6
8-
28

30

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
7 M D
17

Digitized by Google

6_8 f 28

Digitized by Google

Digitized by Google

RUDIMENTA RHETORICA

Ad Orationis omnigenæ,
quà Sacræ, quà Sæcularis
ſtructuram:
Quæ
Flexanimæ Candidatis
exhibet

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. LAURENTIUS VIGEVI

CLERICUS REGULARIS MESSANENSIS:

Atque

D. D.

D. JACOBO BRUNACCINI

PRINCIPI S. THEODORI
D. C. D.

MESSANÆ
Typis Vincentii de Amico. *Sup. lic.* 1695.

Digitized by Google

RUDIMENTA RHETORICA

Ad Orationis contextum,
q. à Sacrae, quà Saecularis
Inſtructam:
Quae
Florentiſsimis Candidatis
exhibet

D. LAURENTIUS VIGEVI

CLERICUS REGULARIS MESSANENSIS:

Atque

D. D.

D. JACOBO BRUNACCINI

PRINCIPI S. THEODORI
D. C. D.

BIBLIOTECA NAZ. AMOR. VITTORIO EMANUELE

MESSANAE

Typis Vincentii de Amico. Imp. ſup. 1695.

D. JACOBO BRUNACCINI

PRINCIPI S. THEODORI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. LAURENTIUS VIGEVI C. R. S. P.

E Cœlo quanvis haud prodies, ut argutè nimis Ariſtides * effinxit; ſed è mei torpidiſſimi ingenii terra nunc erũpens Rhetorica; ſuum & ipſa Tutelarem optat Mercurium. Id ubi primùm adverti; plena ad Te vota direxi, & mentem: eúnque reperi; quem oportebat. Quidni enim Mercurium Te, *Deûm ſobolem*, eximiorum ſcilicet Heroum inclytam prolem, dicam: cùm nihil penè laudis de ſuis Numinibus ſub allegorico fabularum involucro Gentilitas occuluerit; quod veriſſimam Tui generis eſſe prærogativam, apertiſſimè non hiſtoriæ fateantur?

* Ariſt.Orat. 2

tur? Saturnia qui Tuo in Stemmate quærit ſæcula; reperiet profectò, originem Te Romani Imperii natalibus antiquiorem ducere * cum Othone Primo Imperante. Suum enim is* fatetur genus Brunaccium: à quo Brunelleſca familia, nunc Brunaccina, Tuſciæ primùm data, ab eximio Abavo Tuo Petro-Fráciſco * Patriæ (cui non ſemel præfuerat) amiſſam fugiéte libertatem altero fuit ſæculo Meſſanæ feliciſſimis ominibus impertita. Quæ vetuſtiſſimæ Nobilitatis teſtimonia ignara ne deleret oblivio; exertus ex hoſtili jugulo victor chalybs Tuorum ſculpſit in clypeo. Pugnavit nimirùm fortiter pro ſua gloria, pro concivium ſalute, pro Reipublicæ libertate, inſuperabilis Gentilitiorum Tuorum Leo hoſtili Rubens ſanguine: nec Martiale robur Tuę defuit Stirpi. Enerves ſiquidem animos vera reſpuit Nobilitas. Annon Mars Brunaccinus Rinaldo natus Florentinæ Reipublicæ Signifer, & in Lucenſes Præfectus, Strenuiſſimæ Brunelleſcorum familiæ primus Brunaccinorum appellationem præſtans? Annon Rinaldus ipſe ejuſdem Anteſignanus, & aſſertor ſéper invictus? Annon Agapitus * Florentinorum adversùs Feſulanos ejus nominis Archiſtrategus; ut ejus funeri quatuor è Purpuratis Vaticani Patribus aſtiterint? Sileo nanque Bru-

Malaſpina Chron. Flor. c. 26. & Io. Riton. Teſſ. gentil. ap. Mugnos t. 3. de fam. Brunacc.

Privil. Oth. Imp. anno DCCCC.

Samperi Iconolog. l. 2. c. 9.

Io. Riton. Teſſ. gentil. c. de fam. Brunacc.

Brunelleſcum primum Ghibellinorum Ducem. Bertum * quamplurimis auctum palmis, & trophæis ſileo. Joannem-Franciſcum haud memoro: qui terrorem Hetruſco Leoni incutientem Gallum ſola imperterritę vocis increpatione fugavit: Carolum, inquam, Octavum Galliæ Regem Florentiæ contributiones indicentem urbem propera feſtinatione relinquere coegit; galeatam fortitudine frontem; pectúſque objiciens conſtantia loricatum. Dinúnque prætereo Roccæ Dominum: cui minus attulit encomii; * qui ſui temporis appellavit Hectorem: Martem enim dicere, congruebat. Jovis autem dominantis inſignia quî tam inclyto generi deeſſe poſſunt? Quare nil mirũ; ſi pluribus in Arni Valle Ruribus; pluribus ſi in Valle Nievolis Caſtris Tuorum ſub ditione fruentibus invidentes;(quod ſolum Reipublicæ patiebatur libertas) Conſulem ſuum * Brunaccinum de Razzantibus elegit Florentia; Piſæ * memorandum iterum, nunquam tamen ſatis laudatum, Dinum Comitem nuncuparũt. Me verò Jovem vel ſolum appellare juvat D. Didacum eximium Parentem Tuum: cujus ſapientiſſimum caput fœcundum omni fuit Minerva: quénque Aſtræa Patrem habuit, ac Tutorem. Hic ſiquidem omnium acclamatione Juriſperitiæ Princeps, quà ex Patrio, quà gemi-

Villañ. l. 9. c. 22.

Pic. Mirand.

Villan. l. 5. c. 30.

Villan. l. 12. c. 118., & Admirat. de fam. Gambacurt.

mi-

geminatis vicibus ex Magno totius Regni hujus Tribunali jura populis ſumma integritate diſtribuens, Jupiter audire debuit; cui (quod de Jove canebat * Sophocles) Æquitas aſſideret. Huic in utraque prædicta Curia Fiſci-Patrono, veluti fulminanti implacabilibus flāmis iniquitatis Gigantes, boni quique ſunt gratulati. Hunc Magiſtri-Rationalis perpetuam induentem togam vigilantiſſimæ providentiæ prodigium in Trioculo * Jove delineatum univerſa cenſuit Trinacria. Ne id prætercam: quòd ex ejus, vel unius, ore, tanquam è Jovis Oraculo, in arduis quibuſque pendere ſint viſi Sapientiſſimi Proreges: quippe qui * Metim (cōſiliorum ſcilicet Prudentiam) & ipſe ſibi egregiam copulaverat. Quid tamen fugacis proſequor amplitudinis ornamenta? si hic idem ſupremam ex recenſitis dignitatem, quā ſummis omnium plauſibus ad ulteriora aſcenſurus obtinebat, æternis totus vacare cupiens, iteratis renunciavit conatibus: nec rogare deſtitit, quoad exoptatam demum immunitatem impetrarit: plus in abdicando laborans Magiſtratu; quàm in emendicando quiſquam alius deſudaſſet. Vidimus ultrò hoc in heroico facinore; quàm obſtinato pede meritum, vel fugiens, ſequantur honores. Vidimus quoque; veram Sapientiam Pietati aſſuetam hæc

Soph. in Œdip.

Nat. Com. Mytholog. l. 2. c. 1.

Apollod. l. 1. Biblioth.

tan-

tandem temporalia faſtidire. Nec abſimili nunc exemplo fulget in inclyta Genitrice Tua mundi contemptus: quæ propriũ ſplendorem ſub humili Religioſæ tunicæ contegens lanam; unum ſibi ducit magnum; unum honeſtum reputat; quod cœleſte. Super hæc tamen omnia veræ dignitatis inſignia inextinguibilibus micat gemmis perennis gloriæ corona in Joannis Gualberti capite: cui* Matrem dedit familia Brunaccina. Hoc, herclè, Tibi cum paucis commune eſt: ut non Heroum modò; ſed & Divorum infallibili apotheoſi inter Cœlites aſcitorum genere glorieris. At verò tantum jubar caligantia non ſuſtinent lumina: & confugere ad Te coguntur tantis obrutæ ſplendoribus pupillæ. Quanvis enim, congeminatis radiis, ſis (quod Nazianzenus * optabat) *duplici nomine clarus; & majorum gloria; & propria virtute:* fulgorem tamen eo verecundæ modeſtiæ, magnanimæque comitatis occulis velo; ut adearis confidenter; impavidè aſpiciaris. Mercurium te novit alterum; qui Tui vivacitatem ingenii ad omnes parati liberæ mentis artes, facultatéſque, reſpexit. Mercurium Te * *aurea catena auribus hominum annexa mortales, quocunque colliberet, trahere ſolitũ* confitetur; quiſquis ad Tui colloquia nunquam acceſſit; quin Tibi devinctus à Te receſſerit.

Chron. Flor. Aleandri Brunacc. de Brunell. l. 1.

Orat. 18.

Nat. Com. Mytholog. l. 5 c. 5.

Dul-

Dulciori quippe rapit aucupio, arcaníſque nexibus aſtringit moris ſuavitati oris accedẽs affabilitas: qua nihil, niſi gratias loqueris; omnium alliciens animos; omnium demulcens pectora; omniúnque amoris vinculo Tibi corda devincens. Te igitur Numen expetit mea Rhetorica. Tibi præſens erat offerendũ libamen. Cui enim * linguas, (Oratorii ſcilicet * ornatus, & artificii ſymbolum) niſi Mercurio, litare Antiquitas conſuevit? Quare munus hoc accipe, velut addicti animi teſſeram: lingua nanque cordis interpres eſt. *Quòd ſi * nec pondere, nec ingenio placet: non aliter tamen illud amplectere; quàm Superi, vel thura, vel pinguium libamina victimarum. Illi ſiquidem non hoſtiam; ſed affectum conſiderant: eorunque gratiam devotio; non impenſa promeretur.* Vale.

Calliſtr. & Hom. apud Nat. Com. Mythol. l. 5. c. 5.
Natal. Com. ibid.
Hildebert. Epiſcop. Epiſt. 16.

ADmodùm Reverendi Patris D. Caroli Coppola Noſtrę Cōgregationis Prępoſiti Generalis juſſibus obſequētes; cùm librū evolverimus, cui titulus *Rudimenta Rhetorica*, à D. Laurentio Vigevi Congregationis ejuſdem Sacræ Theologiæ Lectore elucubratum; Orthodoxæ fidei, piiſque moribus conſonum, atque omni ex parte laudabilem adinvenimus. Dignum ob id cenſemus; qui publicæ uſura gaudeat lucis, ſplendentiſſimam Orationis omnigenæ ſtudioſis facem prelaturus. Dat. Meſſanæ in noſtra Sanctiſſimæ Virginis Annunciatæ Domo Prid. Kal. Septēbris 1693.

D. Auguſtinus Maria de Marinis C. R. prædictæ Domus Præpoſitus, & Sacræ Theologiæ Profeſſor.
D. Andreas Mandili Clericus Regul. Sacræ Theologiæ Profeſſor.

HOc opus inſcriptum *Rudimenta Rhetorica* à D. Laurentio Vigevi Noſtræ Congreg. S. Th. Profeſſore compoſitum, & juxtà aſſertionem Patrum, quibus id commiſimus, approbatum, ut Typis mandetur, quò ad Nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes litteras manu propria ſubſcripſimus, & ſolito noſtro Sigillo firmavimus. Dat. Romæ die XIX. Menſis Septembris Anno M DC XC III.

D. Carolus Coppola Præpoſitus Generalis Clericorum Regularium.

Locus † Sigilli.
D. Euſtachius Caracciolus Secretarius.

De

DE mandato Reverendiſſimi Dñi D. Petri Miranda, & Gayarre Vicarii Generalis hujus urbis perlegi librũ, cujus titulus eſt *Rudimenta Rhetorica*, elaboratum à R.P.D. Laurentio Vigevi Cler. Reg. Sac. Theol. Profeſſore: in quo ferè omnia, quæ de Arte Rhetorica deſiderari poſſunt, mira claritate, & brevitate continentur: adeò ut, nedum tyronibus, ſed etiam hujus Artis præceptoribus ad diſcipulos erudiendos perutilem fore cenſeam, ſi typis mandabitur. Dat. Meſſanæ Die 4. Menſis Januarii 1695.

D. Michael Ardoinus Cler. Reg. Viſitator, Examinator Synodalis, & Seminarii Meſſanenſis Rector.

Impr. Miranda V. G. *Impr. Natoli pro Ill. de Scoma P.*

IN

INDEX TITULORUM

Numero Paginam deſignans.

PRÆLUDIUM.

LIBER I.

De Munere Oratoris. 1.

PARS I. *De Inventione.* 10.

Cap. I. *De Argumentis; & Locis Rhetoricis.* 11.

Rudim. I. *De Locis Intrinſecis.* 13.

Rudim. II. *De Locis Extrinſecis.* 39.

Cap. II. *De Themate; & Affectibus.* 61.

Rudim. I. *De Multiplici Bono; vel Malo.* 63.

Rudim. II. *De Natura Affectuum: & modo eos commovendi; vel ſedandi.* 66.

Rudim. III. *Qui ex ſupradictis Affectibus in ſingulis Auditorum generibus prædominentur.* 88.

Cap. III. *De Sylva Rerum ad Inventionem paranda.* 92.

Rudim. I. *Duplex Sylva ex Theſauro, & Areſio.* 92.

Rudim. II. *Univerſalioris Sylvæ Idea.* 97.

PARS II. *De Diſpoſitione.* 100.

Cap. Unic. *De Multiplici Rerum Ordine.* 101.

Rudim. I. *De Concluſionum Ordine.* 102.

Rudim. II. *De Argumentorum Ordine.* 103.

Rudim. III. *De Ordine Doctrinarum.* 105.

Rudim. IV. *De Ordine Rebus inſito.* 106.

PARS III. *De Elocutione.* 107.

Cap. I. *De Elocutione Motrice.* 110.

Rudim. I. *De Figuris Sympathicè moventibus Intellectum.* 112.

Rudim. II. *De Figuris Contentiosè moventibus Intellectum;*

ſtum: ſeu de Argumentatione, & Scriptu-
ralium Conceptuum Expoſitione. 147.
Rudim. III. De Figuris Sympathicè movētibus Volūtatē. 150.
Rudim. IV. De Figuris Contentioſè movētibus Volūtatē. 159.
Cap. II. De Elocutione Ornatrice. 161.
Rudim. I. De Compoſitione; ſeu Harmonia: ubi de Periodo. 162.
Rudim. II. De Elegantia; ſeu apta, & ingenioſa Vocum ſignificatione: ubi de Metaphora; cæteriſque Tropis: & de Epithetis. 176.
Rudim. III. De Dignitate; ſeu vario dicendi Stylo. 192.
Cap. III. De Amplificatione. 211.
Rudim. I. De Amplificatione Topica. 213.
Rudim. II. De Amplificatione Elocutrice: ubi de Periodo varianda. 216.
Rudim. III. De Diminutione præconceptam rei Magnitudinem extenuante. 221.
PARS IV. De Memoria. 223.
Cap. I. De Memoria Apprehenſiva. 225.
Rudim. I. De Diſpoſitione ediſcentis; Rebuſque apprendendis. 226.
Rudim. II. De Circunſtantiis Apprehendentis Memoriæ. 227.
Cap. II. De Reminiſcentia. 229.
Rudim. I. De Reminiſcentia Reali. 230.
Rudim. II. De Memoria Locali. 231.
PARS V. De Pronunciatione. 242.
Cap. I. De Prolatione. 246.
Rudim. I. Quæ in Voce univerſim obſervanda. 247.
Rudim. II. De Vocis apta Variatione. 251.
Cap. II. De Actione. 255.
Rudim. I. Quæ in ſingulis corporis partibus obſervanda. 256.
Rudim. II. De apta Actionis Variatione. 261.

LIBER II.
De Partibus Orationis. 267.
PARS I. De Exordio. 269.
Cap. I. De Munere, & Neceſſitate Exordiorum. 269.
Rud. I. Quot modis Animus comparetur Exordio. 270.
Rudim. II. De Neceſſitate Exordiorum. 279.

Digitized by Google

Cap. II. *De Inventione, Elocutione, & Pronunciatione Exordiorum.* 282.
Rudim. I. *Undè eruantur Exordia.* 282.
Rudim. II. *Quæ Virtutes; Quæ Vitia; Quæ Pronunciatio Exordiorum?* 290.
PARS II. *De Propoſitione.* 294.
Cap. I. *De Propoſitione ex priſcis Rhetoribus.* 298.
Rudim. I. *Quid, & Quotuplex antiquis Rhetoribus Cauſa, Quæſtio, Ratio, Judicatio, Firmamentum, & Status, ſeu Conſtitutio?* 298.
Rudim. II. *Quid penès antiquos Rhetores Propoſitio?* 304.
Cap. II. *De Propoſitione ex Recentioribus.* 308.
Rudim. I. *De Unitate, & Univerſalitate Propoſitionis.* 309.
Rudim. II. *De Claritate Propoſitionis: ubi de ejus Diviſione?* 314.
Rudim. III. De *Novitate Propoſitionis.* 318.
PARS III. De *Introductione, & Narratione.* 322.
Cap. I. De *Introductione.* 323.
Rudim. I. De *Neceſſitate, & Munere Introductionis.* 323.
Rudim. II. *Undè Introductiones eruantur: & quæ earum Virtutes, ac Pronunciatio?* 327.
Cap. II. De *Narratione.* 329.
Rudim. I. *Quod Narrationis Munus: & quæ Neceſſitas?* 330.
Rudim. II. *Quæ Virtutes; & Pronunciatio Narrationis?* 332.
PARS IV. De *Probatione, Epilogo, & Tranſitionibus.* 339.
Cap. I. De *Probatione.* 340.
Rudim. I. De *Confirmatione.* 340.
Rudim. II. De *Confutatione.* 343.
Cap. II. De *Epilogo.* 347.
Rudim. I. De *Enumeratione.* 349.
Rudim. II. De *Affectuum Commotione.* 352.
Cap. III. De *Tranſitionibus.* 356.
Rudim. I. *Quotuplex Tranſitio: & Undè petatur?* 357.
Rudim. II. *Quæ Tranſitionibus aptæ Figuræ?* 360.

LIBER III.
De *Generibus Orationum.* 364.

PARS

PARS I. De *Orationibus Abſolutis.* 365.
Cap. I. De *Genere Demonſtrativo.* 366.
Rudim. I. De *Generis Demonſtrativi Materia.* 367.
Rudim. II. De *Stylo, & Partibus Orationis Demonſtrativæ.* 379.
Rudim. III. De *Speciebus Demonſtrativæ Orationis.* 383.
Cap. II. De *Genere Judiciali.* 396.
Rudim. I. De *requiſitis à Genere Judiciali.* 398.
Rudim. II. De *Speciebus Judicialium Orationum.* 401.
Cap. III. De *Genere Deliberativo.* 408.
Rudim. I. De *iis, quæ Deliberativum exquirit Genus.* 410.
Rudim. II. De *Speciebus Deliberativæ Orationis.* 418.
Cap. IV. De *Oratione Sacra, & Sæculari.* 425.
Rudim. I. *Comparatur Oratio Sacra cum Sæculari.* 426.
Rudim. II. De *vero Sacræ Eloquentiæ charactere: ejuſque Speciebus.* 428.
Cap V. De *Argumentativo Genere, & Doctrinali.* 437.
Rudim. I. De *Argumentativa Oratione.* 438.
Rudim. II. De *Oratione Doctrinali.* 438.
PARS II. De *Orationibus Non-abſolutis.* 444.
Cap I. De *Oratione Symbolica.* 445.
Rudim. I. De *Hieroglyphicis.* 449.
Rudim. II. De *Emblematibus.* 450.
Rudim. III. De *Phrenoſchematibus.* 454.
Rudim. IV. De *aliis Symbolorum generibus.* 475.
Cap. II. De *Oratione Lapidaria.* 485.
Rudim. I. De *Inſcriptione.* 487.
Rudim. II. De *Elogio.* 489.
Rudim. III. De *Epitaphio.* 492.
Cap. III. De *reliquis Orationibus Non-abſolutis.* 496.
Rudim. I. De *Epiſtolis.* 497.
Rudim. II. De *Præfatione.* 513.
Rudim. III. De *Hiſtoria.* 514.
Rudim. IV. De *Fabula, & Parabola.* 521.
Rudim. V. De *Ænigmate.* 528.

APPENDIX.
De *Imitatione.* 537.

RU-

RUDIMENTA RHETORICA

PRÆLUDIUM.

F*Lexanimæ Rudimenta facultatis exhibiturus, in eo ducam diutiùs haud immorandum; ut de ejus origine ſomniantis congeram ſigmenta Gentilitatis. Sit aliis tanti boni Jupiter elargitor: aliis ſit primus Eloquentiæ commentor Mercurius: par equidem falſorum Numinum; quorum adinventioni ſola tribuantur veterum præſtigia Sophiſtarum; quibus cum innata mentiendi libidine ſumma fuit doloſo verborum colorata fuco* Fallendi Ars, Rhetoricæque Artis Larva; *ut cum Socrate loquar, & Athenæo. Nos ad veram aſpirantes ſuadendi Artem juvat cum recenti quodam canere Poeta:*

Deus ipſe, à quo Sapientia cuncta,
Optimus eſt Rhetor: nobiſque fideliter Artem
Hanc dedit: ut Bonitatem ejus celebremus in ævum.

*Inter homines verò, cùm (ut ait * Tullius)* nulla erat doctrina dicendi; *naturalis Eloquentiæ cunabula adultis jam tribuunt Athenis * Quintilianus, & * ipſe Cicero: cùm ante Solonis ætatem, & Piſiſtrati de nullo aſſerant, ut diſerto, authore memoriæ proditum eſſe; quos indè ſunt ſecuti Cliſthenes, Themiſtocles, & Cleon. Homerus autem* Ulyſſis *commendat, & Neſtoris Eloquentiam; alteri vim tribuens; alteri ſuavitatem. Sed antiquior etiam Eloquentiæ fuit uſus. Cùm enim * Iſacidum captivitatem reſoluturus Deus Moyſen ad liberandum populum de Pharaonis manibus deſtinaret: eloquentem Aaron apertiſſimè teſtatus eſt; qui aptè loqueretur Pharaoni:*

Cic. in Brut.
Quint. inſt. 3. c. 1.
Cic. in Brut.
Exodi. 4. n. 14.

Aa-

Aaron frater tuus Levites, ſcio, quòd eloquens ſit. *Ante*
Periclem tamen, & Thucydidem litera vix ulla fuit ornatum
habens; qui Oratoris eſſe crederetur: hi enim omnium pri-
mi attentiùs concinnatas ſcriptis conſueverunt tradere Ora-
tiones. At nulla adhuc Ars: quin & dicendi jam ſtylus exlex
erat; turgens verbis, rerunque brevis compreſſione; atque ob
id ſubobſcurus. Artem verò qui primi tradiderint Rhetori-
Cic. in Brut. & Quintil. inſt. 3. c. 1. & Volaterran. apud Beverl. theatr. vit. hum. *cam;* * *Corax fuere, & Thyſias: quos noſtra mundo dedit Tri-*
nacria celebrium ſemper ingeniorum mater fœcundiſſima. Sub-
indè plures dicendi cœperunt haberi Magiſtri. Gorgias Leon-
tinus Empedoclis diſcipulus; meliorum ſui temporis æmulus; &
Coracis, ac Thyſiæ conſtantiſſimus inſecutor. Protagoras quo-
que; (ut precipui tantùm nominis doctores memorem) Traſy-
machus; Prodicus, & Hippias: qui, arrogantibus ſanè ver-
bis, docere ſe, profitebantur; quomodo inferior Cauſa ſuperior
fieri dicendo poſſit. Socrates tum omnibus iis diſputandi pru-
rigine ſeſe oppoſuit: qui & ſermonis ubertate doctiſſimos pepe-
riſſe viros; & acumine ingenii Moralem primus Philoſophiam
dicitur inveniſſe. Iſocrates interim, qui Gorgiæ fuerat audi-
tor, domum cunctæ Græciæ, quaſi ludum, aperuit: deditque
primus numerum Orationi. Lyſias tum floruit: quem jam
Cic. in Brut. *propè audeas Oratorem perfectum dicere; ut* * *Cicero teſtatur.*
Hyperides etiam, & Æſchines, & Lycurgus, & Dinarcus, &
Demades, circa id tempus fuere. Phalereus Demetrius his
ſenibus adoleſcens ſucceſſit: qui primus Orationem inflectens,
& mollem reddens, ſuavis eſſe maluit, quàm gravis. Ariſto-
teles indè (ſeniore jam, & penè nonagenario Iſocrate) pome-
ridianis cœpit ſcholis Oratoriam Artem exponere; & ſolitus
dicere: Turpe eſt tacere; & Iſocratem pati dicere. *Theode-*
ctes idem attigit tempus: nec non & Theophraſtus; qui diſci-
pulus fuerat Ariſtotelis. Hermagoras poſt hos novam veluti
tentavit docendi viam: quam plurimi ſunt ſecuti. Athenæus
tamen ejus æmulator fuit; nec inferior Artis præceptor. A-
pollodorus ſecutus eſt; Areus; Cæcilius; Halicarnaſſæus
Dionyſius; Apollodorus Pargamenus; Theodorus Rhodius; &
plures alii. Et hæc quidem de Grecis preceptoribus. Ex Lati-
nis verò primus Cato Cenſorius recenſetur: ſecundus M. An-
tonius: quibus occulti nominis plures ſucceſſere. Cicero tamē
omnibus lumen ademit omne ſuo ſplendore. Cornificius poſt
Tul-

Tullium aliqua ſcripſit: nec pauci aliquot interceſſere; donec Quintilianus poſtremam videatur forenſi manum Eloquentiæ, ac perfectionem, ſuis inſtitutionibus addidiſſe.

Horum unus omnium labor. humanorum, quà intellectuum, quà pectorum, Dominatricem, & à peculiaris materiæ compedibus ſuapte liberam natura, perque omnia rerum genera pervagantem, ſtatis obſervationibus, ac legibus alligare Rhetoricam: quibus artificioſa teneatur (ut loquitur * *Ariſtoteles*) Vis quædam, ac facultas videndi; quid in quaque re ſit ad perſuadendum accommodatum. *Arduum quidem opus: ſed nimiæ plenum utilitatis: ſi, Cicerone* * *indicante, contemplemur* Multas urbes conſtitutas; plurima bella reſtincta; firmiſſimas ſocietates, ſanctiſſimas amicitias; cùm animi ratione, tùm faciliùs Eloquentia, comparatas. *Undè meritò Tragicus ille non ignobilis, Sophocles, apud* * *Quintilianum* Reginam rerum *Rhetoricam appellavit.* Ariſt. 1. Rh. c.4. Cic. 1.Inv. Quint.inſt.1. c.19.

Tam ergo laudabiles egregiarum mentium conatus imitaturus; è receptiſſimis eruta præceptionibus hæc Rudimenta Rhetorica *tribus alligo libris. Horum recenſebit primus; quæ Munera omnimodæ communia dictioni ſint Oratori præſtanda. Aperiet ſecundus; quas qualibet unquam poſſit habere Partes Oratio. Tertius exponet Species ſingulas Orationum. Addam autem his perbrevem Appendicem: qua viam innuam ad commendatam adeò optimorum Imitationem Oratorum, abſque furti veſtigio, conſequendam: quam licèt aliqui (teſte* * *Caſſiodoro) partem fecerint Artis; melius tamen cum eodem, duce Quintiliano, ceu novam Artem, Arti ſubjicere viſum eſt. Ea verò cunctorum erit methodus: quæ Rhetoricæ Candidatis ſufficiat erudiendis. Ea calami libertas: quæ & legentes non obruat: & ad rem non trahi; ſed ſpontè currere videatur. Non enim omnia dicenda ſunt. Non res citandæ* ab ovo uſque ad mala. *Neque ſic dicendum: ut cùm vix dicere inceperis, oporteat, deſiiſſe. Rectè .n. Callimachus ajebat:* Magnus Liber Magnum Malum: *dummodo Magnum intelligas; qui prolixus.* Caſſiod.Rhet.

Verùm ne me culpet quiſpiam; quòd poſt traditas à tot primi nominis authoribus præceptiones; quibus in cudendis insudarunt hactenus prela; meas haſce ſubjiciam fatigatis jam penè ad tedium ingeniis elucubrationes; proprias partes ſuſci-

Digitized by Google

ſcipiam . Quid prodeſt ; inquies , novas ſemper tingere paginas : ubi nihil Artis excogitabile ; quod non multorum ſit uſu voluminum jam detritum : omnis ubi, quantumvis ſedula, præceptorum induſtria perfectum unquam efformare non poterit Oratorem ? At : ne ſtatim ita pronuncies . Inutile vocabis opus ſublimiorem , qui conſequi aliquando poſſit ; finem aſpiciens ; Oratorē ſcilicet adamuſſim Rhetoricis obſervationibus reſpondentem ? Quid ni igitur inutilis Divini Reſpublica Platonis : Xenophontis Princeps : Demonſtratio Stagiritæ ?

Cic. in Brut. Tenemus, (*ut Ciceronis * utar verbis*) quem quęrimus, Oratorem: *ſed* animo . Nam manu ſi comprehendiſſem : ne ipſe quidem ſua tanta Eloquentia mihi perſuaſiſſet ; ut ſe dimitterem . Nemo is , inquies , unquam fuit . Nemo fuerit . Ego enim , quid deſiderem , non quid viderim diſputo . *Nil tamen (urges) ſub ſole novum . Nil equidem . Experientia mihi comprobatum . Plura nanque excogitata , cùm primis vacarem Rhetoricæ elementis , proceſſu temporis apud alios reperi . Quidquid hìc exhibebo ; ab aliis , apertè fateor , accepiſſe ; memor illius dicti : quòd* Ingenui eſt animi fateri ; per quem profeceris . *Ab aliis , inquam , accepi ; quos, ſcribo, ſecutus : undè dicere poſſim ; quod de ſuis commentariis fatetur * Divus Hieronymus :* Origenis Commentarios ſe eſſe ſecutum : & vel ſua ; vel aliena dictaſſe . *Quid igitur ? Actumne agimus ? Non omninò quidem . Et ob id ſolùm , me non redarguendum , exiſtimo . Habes apud primævos Judiciariæ præceptores Orationis, Tullium , Quintilianum , Ariſtotelem , alioſque ; Togatam Eloquentiam , & Tribunalis majeſtatem præſeferentem . Haſtatam habes apud Sacrorum inſtructores Oratorum, Areſium, Panigarolam ,* Ju*glaris : ne Paulum ſileam Ardizzonum : qui ab avara licèt natura utroque orbatus lumine ; ſui tamen portentoſi ingenii perſpicacia ; noſtræ Congregationis non modò cathedris , verùm & ſuggeſtis , lucem addidit præclariſſimam . Sponſam exhibent alii ; quà figurarum coloribus ceruſſatam ; quà argutiarum enitentem gemmis ; quà omnigenæ Elocutionis floribus , calamiſtris , comptibus , vernantem , compoſitam , ornatam . Epiſtolarum hi tradunt dogmata ſcribendarum . Illi Hiſtoricæ facultatis regulas præſcribunt . Non deſunt ;*

S. Hieron. Præfat. in Epiſt. ad Galat.

qui

Qui Symbolicæ Orationis artificium diſerto tractent calamo. Non; qui Lapidariæ dictionis canones transmittant æternitati. Qui tamen ex ſingulis in unum collectis ampliora præceptionum ſelegerit capita; an adſit: neſcio. Nec enim meas hasce tanti reor elucubrationes: ut omnium ſuccum, & compendium eſſe, velim: ſed, ut quidam ait,

Rudibus converſio noſtra.

(†)

LI-

LIBER PRIMUS

DE MUNERE ORATORIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRoteum phocarum arbitrum æquoreis è Numinibus alterum mira varietatis induſtria diverſas abeuntẽ in ſpecies Poetarũ fabulæ ſõniarunt. Videres ſibimet haud unquam ſimile prodigium gelidos modò ſeſe in liquores effundere: modò flagrantes aſſurgere in Veſuvios. Jam venuſto germine in florem Narciſſo nõ invidentem pubeſcere: jánque fœcundam, & fructibus onuſtam in arborem commutari. Ovina nunc manſuetudine balantem gratus audires: leonino protinus furentem aſpectu, rugitu excandeſcentem, horridam quatentem jubam, ſævos acuentem ungues pallido curſu fugere cogereris. Vanæ utique mentis commentum: ſignificatione tamen haud vacuum. Proteus enim eſſe debet Orator: quantùm hæc noſtra ſuggerit materia. Ejus nempe munus eſt ſuæ fructibus Orationis, ridentes Eloquentiæ flores harmonica ſubrogare viciſſitudine. Ejus eſt auditorũ affectus, quà mitibus ſedare formulis; quà excitare vehementibus: útque erit opus, ignem, vel extinguere accenſũ, vel accendere extinctum. Ejus denique fluctuantibus annuentes paſſionibus animos omnigenæ dictionis uſu, ſtimulare, compeſcere, moderari. Poſituris attamen nobis Artis hujus ſolùmmodò Rudimenta è pluribus, quæ Oratorem exhibentia perfectum ab auctoribus numerãtur, principa-

Digitized by Google

cipaliora munera duas in claſſes dividere opportunius viſum. Harum altera complectitur ea, quę in Oratore prę-ſuppoſita, ipſum tamen in orando non deſerunt: Probitatem ſcilicet, Naturam, Prudentiam, Doctrinam. Continet altera, quæ Rhetoris propria ſunt magis: Artem nempe, Exercitium, & Imitationem. Quorum omnium ſuffulta viribus potentiſſima dicendi copia mentes immutat hominum: lege voluntates aſtringit: ac triumphali excipitur curru haud in * ſolo Dione, verùm & in quolibet Oratore diſerto animorum onuſta ſpoliis Suada.

Philoſtr. in Dione.

PROBITAS quid in ſuadendo valeat, teſtatur Ariſtoteles * elaborandum monens, ut non circa verba Orator duntaxat, verùm etiam circa vitam ſuam diligentiam omnem, ſtudiúmque accommodet: probis etenim viris * & magis, & celeriùs credimus: atque hoc omnibus quidem rebus, at in iis præcipuè, quæ certò ſciri non poſſunt, in quibus omnino bonorum virorum ſententiis acquieſcimus. Et hinc ortum habuit Menandri vatis * opinio, cujus judicio *Mores dicentis ſunt, qui perſuadent, non Oratio*. Dupliciter autem benè in moralibus audire poteſt Orator: ſi ſcilicet ita vivat, ut omnibus ſe laudabilem reddat: & ſi in ipſa Oratione geſtu, verbis, dictione, muneribus omnibus præconceptam de ſe confirmet æſtimationem. Quapropter omnis in ſubeundo negotio * ſuſpicio ſordium, aut odiorum, aut ambitionis abſuerit. Indè illa veterum circa occultandam eloquentiam ſervanda ſimulatio multùm ab aliquorum jactatione diverſa: omnis nanque * ſui vitioſa jactatio eſt, eloquentiæ tamen in Oratore præcipuè, affertque audientibus non faſtidiũ modò, ſed odium: habet enim mens noſtra natura quiddam ſublime, & erectum, & impatiens ſuperioris: qua in parte etiam eſt Cicero reprehenſus. Vitandum etiam, ne contumelioſus, * malignus maledicus in quenquam ordinem videatur aut hominem: his enim ſervatis omnibus continget, ut non Oratoris ſtudium videatur afferre, ſed penè teſtis fidem, cúnque moveri finget, auctoritatem induet vera ſentientis, quò magis credatur. Neque audiendi ſunt quidam * Artis Scriptores, qui ſolam Oratoris ante perſpectam probitatem in Arte collocant, tanquam

ad Alex. c. 37.

l. 1. Rhetor. c. 5.

ap. Plut.

Quintil inſt. Orat. l. 4. c. 1

ibid. l. 11. c. 1.

ibid. l. 4. c. 1.

Ariſt. Rhet. l. 1. c. 5.

quam ſi boni mores ad tempus expreſſi Oratione nullam ad perſuadendum vim haberent: ſed utroque opus eſt, maximáque omnium ferè vis fidei faciendæ in moribus exprimendis eſt poſita: animi ſiquidem ſecreta plerúnque detegit Oratio: nec ſine cauſa Græci prodiderunt, ut vivit, quenque etiam dicere. At verò ſi vel ex gentilium Rhetorum ſenſu tàm opus eſt fama profanis in Oratoribus, vitáque ritè morigerata, quanta requiretur in Sacro Oratore Probitas? O quàm juremeritò cuilibet ex ſui Verbi proditoribus indignatus * *dixit Deus: quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum, tu verò odiſti diſciplinam, projeciſti ſermones meos retrorſum?* Nunquam, meherclè, taliter dum vivemus veri erimus Oratores. Oratorem enim vel ipſi ſeculares definiunt Rhetores: *Virum bonum dicendi peritum*. Quinimò Senecam audio nobis inſultantem, quod ali quando pro ſua protulit Philoſophia: *Nullos peius mereri de omnibus mortalibus judico, quàm, qui aliter vivunt, quàm viuendum eſſe præcipiunt.*

Pſalm. 48. 16.

NATURA reliqua inter præſidia principem habet locum, cujus eſt ingenii vivacitatem, fœcunditatem memoriæ, totiúſque corporis aptitudinem elargiri. Unde plus eſt, quod à ſumma Numinis munificentia accepimus, quàm, quod noſtris laboribus acquiſivimus. Celebre de ejus præſtãtia teſtimonium Ciceronis * aſſerentis, *ſæpius ad laudem, atque virtutem valuiſſe Naturam ſine Doctrina, quàm ſine Natura valuiſſe Doctrinam.* Pro Doctrina autem Artem intelligit Oratoriam, quam etiam aliquando nuncupat Diſciplinam. Hinc Alabandenſis apud Tullium * laudatiſſimus Rhetoricæ doctor, mercedem licèt ab iis exigeret, quos docebat, non tamen patiebatur, quenquam Naturæ præſidio deſtitutum apud ſe operam perdere, ſed quancunque aptum videret ad artē, ad eam impellebat, & hortabatur. Celebrius tamen quod addit Quintilianus * *Natura ſine Doctrina multum valebit: Doctrina nulla ſine Natura eſſe poteſt: conſummatos autem plus Doctrinæ debere, quàm Naturæ putabo.* Nos autem perfectum hìc quærimus Oratorem.

pro Archia.

de Orat.

inſt. l. 2. c. 19

PRUDENTIÆ non unum munus, rerum, quæ, aut ſuffici-

ficientes ex ſe ad ſuadendum, aut dicendi circunſtantiis aptæ videntur, electio: verùm & Naturæ, ſive eludere, ſive moderari defectus. Præſtandum itaque, ne quid à Rhetoricę fine, ſuaſione ſcilicet, aberret: néve proprius nos amor obcæcet, quò obſtinatè, quæ ſemel exaravimus, bona, aut mala ſint, amplectamur. Sit nobis exẽplo Plato, qui deſcripta à ſe quædam confusè, atque indigeſtè quum videret, flammæ dedit. Auguſtus quoquè Cæſar, qui Ajacem ſuum, eoquòd immaturè, properéque nimis conſcriptum putaret, ſpongia delevit; interrogatúſque, quid ſuus ageret Ajax? lepidiſſimè reſpondebat: *Incumbit ſpongiæ*: Ajacis morti alludens, qui propè Trojam, ferro innixus ſuo diem obiit. Quin & monente Quintiliano * ipſorum etiam Artis hujus preceptorum, cùm opus erit, habenda artificioſa transgreſſio: *amentis eſt enim ſuperſtitione præceptorum contra rationem cauſæ trahi*: atque in eiuſmodi delicatos illud Plinij Cęcilii de quodam exacto nimis Oratore poſſet retorqueri: *Orator hic nihil peccat, niſi, quòd nihil peccat.* Spectandum quoquè * quis, cui, apudquem, & dequo dicat? quod ſæpè inculcant primi Rhetoricæ præceptores. Non enim omnes reprehẽdere; non de omnibus conſilium præbere fas eſt cuilibet. Unde objurgaturus Athenienſis populi ſegnitiem Demoſthenes, in aſſerenda libertate Reipublicæ, ne offenſam apud eoſdem incurreret, laude maiorum uti maluit, qui rem fortiſſimè adminiſtraſſent. Qui igitur, aut tempus quid poſtulet, non videt; aut plura, quàm fas eſt, loquitur; aut eorum, quibúſcũ res eſt vel dignitatis, vel loci rationem non habet; is ineptus dicitur Craſſo:* cui ineptiarum omnium (quæ innumerabiles) nulla major, quàm in quocunque loco, quoſcunque inter homines, de rebus, aut difficillimis, aut non neceſſariis diſputare. Id porrò addendum, quod de poeſi his docuit Horatius:

> *Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam*
> *Viribus, & verſate diu; quid ferre recuſent,*
> *Quid valeant humeri.*

Eligat ſiquidem Orator Prudens, quà materiam, quà argumentum, quà ſtylum propriis apta viribus, oportet. Non poſſumus * eſſe tàm graciles? ſimus fortiores. Subli-

Inſt. l.4. c.2.

inſt. l.6. c.4.

Cic. de Orat. l.2.

Quint. inſt. l. 12. c.10.

micitate vincimur? valeamus pondere. Hinc Julius Florus * inter eloquentiæ principes recenſendus, cum nepotem Julium Secundum ſcholæ tùm operam dantem triſtē forte vidiſſet, interrogavit: quæ cauſa frontis tam adductæ? cùnque nihil diſſimulans adoleſcens, tertium jam diem fateretur eſſe, ex quo deſtinatæ ad ſcribendum materiæ, omni licèt labore conatus, non inveniret exordiū, quò ſibi, non præſens tantùm dolor, ſed & impoſterum fieret deſperatio: tùm Florus arridens: *nunquid tu*, inquit, *meliùs dicere vis, quàm potes?* Non tamen is modò ſum, ut ab omni conatu contra naturæ vitia liberem candidatos: ſed cuique in omnia, quæ ſui ſunt inſtituti, etiā ſi qua difficiliora diſcenti videbuntur, cenſeo laborandū: id autem volo, quod, rigidior licèt in hoc, Quintilianus exquirit: * *non deſerendum id bonum, ſi quod ingenitum eſt, ſed augendum, addendunque, quod ceſſat.* Unde ſummis euehitur à Cicerone * laudibus Coſta, eoquòd, cùm gracilis eſſet, à vehementi quadam abſtinebat Oratione. Hujus leges qui ſervaverit, vix eſt, cur ob naturalium dotum imbecillitatem ab Oratoris munere abſterreatur; quare Hermagoras, ceu de ſpeciali parte, peculiarem habet in ſui Rhetorica de Prudentia tractationem.

ibid. l. 10. c. 2.

inſt. l. 2. c. 4.

de præcl. Orat.

SCIENTIA id in Oratore requirit, ut facultates quaſlibet extremis ſaltem labiis deguſtaverit: nulla enim ſi Quintiliano credimus intelligi poteſt eloquentia hominis ſaltem optima neſcientis: unde & Gorgias Leontinus omnibus de rebus Oratorem optimè dicere poſſe exiſtimavit: & ex Tullii * mente *omnia, quæ in diſceptationem cadere puſſunt benè ſunt ei dicenda, qui hoc ſe poſſe profitetur, aut eloquentiæ nomen relinquendum eſt.* Aut certè nullius in facultatis meſſem dictionis immittat falcem, cujus sūma capita non tenuerit: dicendi nanque virtus, * niſi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit percepta ſint, extare non poteſt. Hinc * Annibal Carthagine quum expulſus Epheſum veniſſet ad Antiochum, invitatúſque ab hoſpitibus ſuis acceſſiſſet ad audiendum Peripateticum Phormionē de Imperatoris officio, omníque re militari copioſiùs aliquot horas, omnium, qui aderant, plauſu, & delectatione dicentem: interrogatus, quid ſibi viſum? reſpondit:

Cic. de Orat. l. 2.

ibid. l. 1.

ibid. l. 2.

multos

multos ſenes ſe vidiſſe deliros, ſed, qui magis, quàm Phormio deliraret, vidiſſe neminem. Aſt verò quæ materia Rhetoricæ Arti non ſubeſt? quæ perfecto Oratori non propria, cuius eſt aptè ad ſuadendum de re quacunque diſſerere? Sit igitur, oportet, Orator talis vir, qualis verè Sapiens appellari poſſit, nec moribus modò perfectus, ſed & Scientia, & omni facultate, qualis adhuc fortaſſe nemo fuerit: vel certè ad eum aſpiret conſummatæ Eloquentiæ ſignum. Cui & ſacræ conſonat Eloquentiæ prodigium * ſuum dum admonet Timotheum:
2.Tim.4. *Increpa in omni patientia, & doctrina.* Sed ne quiſquam infinitum eſſe hoc opus urgeat, humaniſque viribus impar eam
Quint inſt.l. 1.c.15. doctrinæ metam attingere: ſatisfaciet * idem, qui ſupra, ſubdens: non eum à nobis inſtitui Oratorem, qui ſit, aut fuerit, ſed imaginem quandã concepiſſe nos animo perfecti illius ex nulla parte ceſſantis. At verò fuit, inquies, aliquis ſine tot ſcientiis in dicendo diſertus. At ego perfectum Oratorem volo.

EXERCITATIO durior ſolet eſſe vero certamine: id
cõtrou. l. 9. proœm ultrò cum Seneca * fateor. Verùm non me præterit, * uſũ, & eſſe, & haberi optimum dicendi magiſtrum: video
Plin. epiſt. 9. quoque multos parvo etiam ingenio, literis nullis, ut benè agerent, agendo conſecutos. Ut enim docuit Tullius *Uſus frequens omnium magiſtrorum præcepta ſuperat.* Ut, inquam, non modò verbis, ſed & proprio docuit exemplo. Cùm enim biennium jam orans Romani fori ſummos acquiſierit plauſus, latinæque Eloquentiæ Pater fuerit inauguratus; diſcendi ex amplioribus Græciæ præceptoribus impulſus cupidine, in Aſiam uſque peragravit: quantùm verò in ſe exercendo laboraverit de ſe ipſe
in Bruto. teſtatur dicens: * *Nos autem non deſiſtebamus cùm omni genere Exercitationis, tùm maximè ſtylo, noſtrum illud*
ad Heren. l. 1. *quod erat, augere, quantumcunque erat.* Et quidem * Ars ſine aſſiduitate dicendi non multùm valet. Quæ cauſa
inſt. l.1.c.1. fuit, ut Quintilianus * eos, qui Oratores eſſent futuri, hos, etiam triennes iudicaverit cum Chryſippo literariis deſtinandos rudimentis, ut nullus vacaret cura tempus: ſeduló que perquiſierit, inſtruendos à ſe pueros, ſic à vitæ primordiis educatos, ut, niſi ſapientes (quales optavit

Chry-

Chryſippus) inveniri poſſent Nutrices, optimæ tamen, quantùm inveniri valerent, eligerentur, & quibus vitioſus ſermo non eſſet, ne aſſueſceret infans ſermoni, qui dediſcendus eſſet. Idque longè ſolertiùs in Parentibus poſtulabat & Pędagogis, teſtatus, Graccorum Eloquentiæ plurimùm contuliſſe Corneliam matrem, cuius doctiſſimus ſermo in poſteros quoquè eſt epiſtolis traditus: & Lelii filiam in loquendo paternam reddidiſſe elocutionem; Leonidem è contra Alexandri pædagogum quibuſdam eum imbuiſſe vitiis, quæ robuſtum quoquè, & jam maximum Regem ab illa puerili inſtitutione ſunt proſecuta. Exercitationis porrò munera Tullius ipſe numerat, ex quo ea definitur *Uſus aſſiduus, & conſuetudo meditandi, legendi, dicendi, audiendi.* Et certè quantùm ad audiendum attinet, & (quod in idem recidit) legendum: primum nobis benè dicendi Rudimentum, tacere, non quinquénio ſolùm cum Pythagoricis, ac audiendo diſcere, deberet eſſe; verùm & toto ferè vitæ curſu aures docentibus porrigere cum Socrate. Hunc ferunt, extremum penè dũ ageret ſpiritum, amicis de virtute ſermonem inſtituentibus caput attuliſſe: iiſque obſtupentibus, quòd ſenex doctiſſimus, ac præceptor, diſcipulum agere non vereretur, reſpondiſſe; vereri ſe potius, ne, quid addiſcere potuiſſe, noluiſſe tamen diceretur, atque in ea libenter mori diſcendi voluptate. Quin & Increata nos exemplo doctura ſuo Sapientia, Chriſtus Dominus, in templo reperiri voluit, primùm quidem interrogans * in medio Doctorum: *Lucæ 2. 46.* deinde verò * nonniſi ſexto completo jam luſtro quotidie docens. *Luc. 19. 47.* Sed quoniam immatura non rarò nos ora ſolvere cogit occaſio: non illicò ſaltem cõſummatos nos Rhetores, Oratoréſque perfectos judicemus. Audiamus libenter alios: alacri libros evolvamus animo: haud enim eſt aliquis adeò infimæ conditionis auctor, apud quẽ aliquid non reperiamus boni, quantumuis minimi: ſi tamen minimum unquam eſt, quod bonum eſt. Quantùm verò ad meditandum pertinet (quò etiam ſcribendi uſũ reduco:) id eſt Exercitationis emolumentum, ut, qui à tali conſuetudine ad ſcribendum venit eam afferat facultatem, qua, etiam ſubitò ſi dicat, illa tamen, quæ dicit, ſimilia

milia ſcriptis eſſe videantur: atque etiamſi quando ſcriptum in dicendo attulerit aliquod (ut ii faciunt, qui ſola Orationis primordia memoriter ediſcunt cætera exteplò ferè dicturi) tùm reliqua ſimilis Oratio conſequetur; ut concitato navigio, cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen ipſa navis motum, & curſum ſuum, intermiſſo licèt impetu, impulſúque remorum. Cúmque benè dicendi regulas præ manibus habeat, familiaréſque ſibi fecerit, neceſſe eſt, Orator ſit iis ſimilis, qui jam aſſueti, & cantandi arte periti, licèt aliò proſpiciant, digitos tamen aptè fidibus applicant tarditate remota, quam induceret ſingulorum attentis oculis motuum dimenſio. In his igitur omnibus apis mores imitati meliora ſemper libabimus, comminiſcemur, proferemus.

ARTIS nunc remanet, & IMITATIONIS commoda recenſere: quarum poſtremæ reſervantes ex inſtituto locũ in operis Appendice, Arti nunc fuſius inſerviemus. Et jure meritò. *Nec enim*, (ut Strabæus * docet) *Arte deſtituta virtus ingenii ad ſtudia quævis ſuffecerit: nec rurſus Ars, ſi deſit ingenium, ſatis eſt: ſed his duobus dulcè conſpirantibus.* Riſu nanque dignum videtur, quod apud Quintilianum * legitur de quodam, magni ſecùs nominis profeſſore, qui interrogatus, quid eſſet Schema, & Noema (Figura ſcilicet, & Ironica Sententia) neſcire ſe quidem, ſed, ſi ad rem pertineret, eſſe in ſua declamatione, reſpondit. Hujuſmodi autem Oratores ſi quem bonæ ad Orationis gradum pervenere, * *quia, & ingenii præſtantes ſunt habiti, & multa etiam memoria digna exclamaverunt, plurimos habere ſimiles negligentiæ ſuæ, pauciſſimos naturæ* factum eſt. Cæterùm quod plerunque fortiùs dicere videantur indocti, hoc cum eodem Fabio * evenire puto; primùm vitio malè judicantium, qui majorem habere vim credunt ea, quæ non habent Artem, & robuſtius putant effringere, quàm aperire, rumpere, quàm ſolvere, trahere, quàm ducere animos: eo modo, quo fortiorem vocant gladiatorem eum, qui armorum inſcius in rixam ruit; & luctatorem, qui totius corporis nixu in quod ſemel invaſit, incumbit: cùm interim illius vehemens impetus molli adverſarii ſatis excipiatur articulo,

tit. 60.

inſt. l. 2. c. 12

ibid.

ibid. c. 13.

tulo, hic verò frequenter ſuis ipſe viribus proſternatur. Deinde, cùm maledicat ineruditus apertiùs, iuverecundiùs audeat, largiúſque effundatur, (ut ſunt quædam virtutum, vitiorúnque vicinia) liber, fortis, ac copioſus exiſtimatur. Accedit, quòd ea, quæ confuſim ſparſa dicuntur, compoſitis credantur numeroſiora. Ob id quoque videntur interdum copiam habere majorem indocti, quòd dicunt omnia, & à cura docendi, quod intenderint, facillimè recedunt. Nec mirum, quòd magna quædam haud nunquam exhibeant Oratores hujuſmodi: conantur enim totis aliquid invenire viribus; undè evenit, ut aliquando grande quid inveniat, qui ſemper quærit. Quod maximum, herclè, foret, ſi frequens, & vitiis immune: verùm, & rarò evenit, & in eo cætera Diſpoſitionis, Elocutioniſque vitia non penſantur. Gratulamur his itaque ſine labore, ſine diſciplina, ſine ratione diſertis: nobis tamen Ars præferatur plauſibus. Cur enim vites coercemus manu? cur eas effodimus? rubos cur arvis excidimus, ſi ſola valet natura? Arte igitur opus eſt Oratori, à qua habet, ne Empiricis, ut vocari volunt, quibuſdam Medicis ſimiles, ignotis morborum, quæ audientium animos afficiunt, cauſis, ſola ducti (quæ nunquam eadem eſt) experientia, dictionis utamur medicaminibus, quæ mortem accelerent potiùs, quàm depellant. Et primò quidem Ars iuvat, ut, quæ natura tradidit, excitentur, imò & expoliantur: deinde (prout Julius apud Ciceronem * loquitur) *in his præceptis hanc vim, & hanc utilitatem eſſe arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, Arte ducamur, ſed, ut ea, quæ natura, quæ ſtudio, quæ exercitatione conſequimur, aut recta eſſe confidamus, aut praua intelligamus, cùm, quò referenda ſint didicerimus*. Atque hæc utique munera ſunt Artis. Artificis verò, perfecti nempe Oratoris, quæ Ars ei præſcribit officia (de quibus priori hoc agendum in libro) diverſimodè plures aſſignarunt; quos fusè * Quintilianus redarguit. Talibus verò exprimit Cicero: * *Is Orator erit mea ſententia, qui, quæcunque res inciderit, quæ ſit dictione explicanda, prudenter, & compoſitè, & ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiã actionis dignitate*. Communiſque eſt omnibus nunc his reſpondens munerum enumeratio: Inventionis ſcilicet, quæ

de Orat. l. 2.

inſt. l. 3. c. 3.

de Orat. l. 1.

res dicendas inquirit: Diſpoſitionis, quæ prudenti ordinat methodo: Elocutionis, quæ compoſitè exhibet, & ornatè: Memoriæ denique, & Pronunciationis, cujus pars Actio minimè deſpicienda. Judicium verò, quod in Topicis Inventioni ſubjicit Tullius, enumeratis omnibus permixtum

Inſt. l.3.c.3. eſſe arbitror cum Quintiliano: * nec enim inveniſſe credo eum, qui non judicavit: neque contraria, communia, ſtulta colligere inveniſſe eſt: quin & ſine Judicio nullam puto fore reliquam Rhetoricæ partem, cum Sal omnia condiat.

PARS PRIMA

DE INVENTIONE.

Rhetoricam Inventionem Excogitationem eſſe rerum, quæ ad Rhetoris finem, ſuaſionem ſcilicet, ſunt ab Oratore dicenda, non eſt, qui jurè poſſit inficiari. Quoniã verò ſuaſio, non ex ſui modò vi nominis meram denotat de

ad Herem. l. 1. intellectu victoriam; ut idem ſit auctori ad Herennium * animum perſuadere auditorum, ac fidem Oratione auditoribus facere: verùm & cùm voluntatis denotat inflexionem, prærequirit certiorem redditum intellectum de ea bonitate, quam debet in objecto proſequi appetitus, vel de malitia, à qua fugere oportet eum, qui rationabiliter expetit operari: præcipuum ideò Inventionis opus arbitror in eo ponendum, quòd ſit *Excogitatio rationum ſufficientium ad ſuadendum*. Collimare huc ea videtur ex præcitato au-

Invent. l. 1. ctore, ac Tullio * cunctis recepta definitio, quæ dicitur Inventio *Excogitatio rerum verarum, aut veriſimilium, quæ cauſam probabilem reddant*. Fitque de veriſimilibus mẽtio, quia nonnullos eò ſuimet impulit amor, ut ab Oratore certis veluti ligari rationibus dedignentur, & veriſimilibus cedant

2. Metaph. 3. liberiùs; quaſi habeat certitudo (ut Ariſtoteles loquitur) tale aliquid, quod illiberale quibuſdam eſſe appareat. Sive potiùs ob conjecturales, quæ accidere poſſent cauſæ: quarum

rum probationem aliquando neceſſitas urget, ut in Judicialibus; aliquando verò movet exercitatio; ut cùm Auſonius * exquirit, cur armata apud Lacedemones Venus? aut Propertius, * quid ita crederetur Cupido puer, ac volucer, ſagittis, ac face armatus? quæ teſtatur præceptores ſuos Quintilianus * perutili, jucundóque exercitationis genere à ſe perquirere conſueviſſe. Suadetur autem, atque convincitur intellectus: ſive oppoſitarum armis expolietur rationibus, ſive argumentorum repetitis ictibus impetatur; quouſque datis manibus rerum quæquæ merita detegat voluntati. Voluntas verò non ſolùm ab aſpectu, quà boni, quà mali ſuadetur: ſed & ad quaſcunque res, modò ſectandas, modóque fugiendas à propriis affectibus, ac paſſionibus inclinatur: quod poeticum illud * explicat; ô utinam fabuloſum: *Epigramm. lib. 2.* *Inſt. 2. c. 4.* *Medaap. Ovid.*

........., Video meliora, probo que:
Deteriora ſequor.

Hinc duo præſertim in capita priorem hâc dividemus partem, quorum alterum Argumentorum loca, Affectuum naturam alterum ad Thematis innuet electionem: tertium, & hoc breuius, additurì caput, quod inventarum doceat parare rerum Sylvam, armis, ut dicitur, pacis tempore providens, quibus adveniente inopina ferè ex tempore orandi neceſſitate uber dicendi copia teneatur.

CAPUT I.

DE ARGUMENTIS, ET LOCIS RHETORICIS.

Miſſis quibuſcunque à Rhetoribus paſſim adductis ſimilitudinibus; ſive cellularum, quibus apothecę diſtinguuntur: ſive varii generis fodinarum: ſive armamentarii, hinc ſclopum, illinc lanceam, indè ſicam, & ſimilia porrigentis arma; ad completam, tùm argumentorum, tùm etiam locorum, è quibus ea ducuntur, explicationem ſufficientiſſimum videtur Romanæ Eloquentiæ Patris huc verba adducere; ex quo, * cùm perveſtigare argumen- *Cic. Topic.*

mentum aliquod volumus, locos noſſe debemus: ſic enim appellatæ ab Ariſtotele ſunt hæ quaſi ſedes, è quibus argumenta promuntur. *Itaque licet definire, Locum eſſe Argumenti ſedem: Argumentum autem Rationem, quæ rei*
de Orat.l. 2. *dubiæ faciat fidem*. Ubi notandum, quod cum eodem *
*inſt.*5.*c.* 10. monet Quintilianus; * ita locos noſſe, cum orandum eſt, nos debere, ut non tunc primò ſcrutari videamur, ſed habeamus familiares: ſi enim propoſita dicendi materia ſingula nobis eſſent requirenda argumentorum loca, & veluti oſtiatim pulſandum, vel è cunctis aliquid eruere ſperantibus, vel, quæ poterimus, eruturis; nihil proficeremus: infinitam enim faceret ipſa res dicendi tarditatem. Offerat ergo ſe potiùs conſuetudinis virtute, & occurrat argumentorum copia, ut literæ ſcribentium cogitationem non exigunt: neque enim quoties verbum eſt aliquod exarandum, toties ejus verbi elementa ſunt cogitatione inquirenda. Sic neque dicenda quoties eſt Cauſa, toties ejus debemus ſepoſita argumenta revolvere; ſed illicò nobis occurrant loci, & ſponte quadam argumenta ſequantur. Quod verò locorum reſpicit diviſionem: communis poſt Ari-
1.*Rhet.c.*10 ſtotelem * docet Rhetorum cum Fabio * conſenſio; eorum
*inſt.*5.*c.*1. alia rei ineſſe, de qua fit ſermo; alia verò extra rem, ad eam tamen ſpectantia, reperiri. E priori locorum genere quæ eruuntur, ab Intrinſeco vocari ſolent, & Artificioſa, eoquòd artis præſidio eſt opus in eorum Inventione: quæ verò poſterius ſubminiſtrat genus, Extrinſeca, artiſque Expertia nuncupantur. Id tamen pro utriſque monendum hìc eſt: quicquid ſcilicet probare intendimus, & quodlibet affatum Propoſitionem vocari: in qua, cùm quidpiam de alio dicamus, ut jejunium utile, peccatum infeſtum eſſe, & ſimiliter; id, quod dicimus, Prædicatum, ſeu Attributum; de quo verò id dicimus, Subjectum appellari. Nunc de ſingulis locis aliquantò diſtinctiùs agendum.

RU-

RUDIMENTUM I.

De Locis Intrinſecis

QUæ ab Intrinſeco rei ducuntur argumenta præ cæteris ad faciendam valent fidem. Hæc tamen, ut loquitur Quintilianus,* plerúnque, aut omnino negliguntur, aut leviſſimè attinguntur ab iis, qui argumenta, velut horrida, & conflagroſa, vitantes amœnioribus deſident locis; nec ſecùs, ac ii, qui apud Poetas Sirenum deliniti cantu voluptatem ſaluti prætulere, *dum laudis falſam proſequuntur imaginem, ipſa, propter quam dicitur, victoria cedunt.* Quinque autem mihi emergunt Artificioſorum capita locorum; quæ vel à Partibus rei conſtitutivis, vel à Nomine, vel ab ejuſdem cum aliis Comparatione, ſive Oppoſitione, vel denique à Circunſtantiis eruuntur: quam non admodùm diſſimiliter recenſet in Topicis Cicero partitionem. *inſt.5.c.8.*

A NOMINE ingenioſa magis, & venuſta, quàm ſolida ſubminiſtrat argumenta locus: cujus unicum eſt munus rem, ad quam probandam aſſumitur, veluti myſterio quodam complecti; ita ut ea ratione videatur fuiſſe tale nomẽ impoſitum, ut, quod nos evincere tentamus, innueret. Varii autem ſunt modi hauriendi è nominibus argumenta peculiaria totidem capita germinantia.

Primum eſt NOTATIO, ſeu Etymologia ſignificationẽ ab eo requirens idiomate, à quo primum habuit ortum nomen illud. Sic apud Græcos *Roma Robur*, & *Gregorius* idem notat, ac *Vigilans.* Similiter & apud Latinos id Caſſiodorus * advertit, dum Alphonſum Petri Cantabriæ Ducis natum à nomine, quo ob Arianam hæreſim funditus everſam Catholicus eſt appellatus, in fide talibus confirmat: *Suſcepiſti nomen ex meritis. cuſtodi, ut ſemper lateris veritate vocabuli*; *eodem modo, quo apud Vopiſcum de Probo dicitur, erat adoleſcens ſui nominis vir.* Nec minùs felici expoſitione Jeruſalem appropinquanti Eudoxiæ, ſacræ illius civitatis ut reædificaret muros, occurrens Patriarcha, Græco, quod utrique naturale erat idioma, dixit, jurè Regium præciniſſe Prophetam: * *Benignè fac Domine in Eudoxia* (bona ſcilicet voluntate) *tua Sion, ut ædificentur muri Jeruſalem.* *l.8.Epiſt.10* *pſalm.50.19.*

lem. Cavendum tamen, ne in falſas, ineptáſve Notationes abeamus.

Secundum CONJUGATA complectitur, ſuggeritque modum probãdi quodpiam inflexione vocis alicujus, eandem tamen ſemper ſignificationem retinentis: undè non raró Derivativum etiam eruitur. Qui locus inter omnes ad nomen pertinentes vim habet ad ſolidè concludendum: pro eodem enim ferè ſumuntur quæcunque Conjugatione dicuntur. Hinc Græcæ Eccleſiæ Sacerdotes fidelibus imponunt, ut ad Sacra accedant debitam præſeferentes Sanctitatem, verbis illis: *Sancta Sanctis*. Hinc etiam Tullius Americum defendit: *Etenim rectum putabat, pro eorum honeſtate ſe pugnare, propter quos ipſe honeſtiſſimus inter ſuos numerabatur*. Sunt tamen etiam ficta quædam, ac leves Conjugationes; qualis ea fuit de Regiliano, maximi tamen ponderis cauſa. Cùm enim apud eum milites largioribus epulis indulgerent, inter hilares, ad quos ſe converterant, ſermones quæſtionem joco Valerius excitavit, undè hoſpitis Regiliani nomen ductum exiſtimarent? Cuncti ſuam proponere mentem, explicationéſque varias ſinguli commentari. Ad Conjugata, qui fortè aderat, quidam recurrit Grammaticus inquiens: *Rex, Regis, Regi, Regilianus*. Feſtivè ſinguli plaudunt interpretationi. Surgunt è menſa: Regiam veluti ſedem glomeratas veſtes novo ſupponũt Regi. Sternunt ante pedes vexilla. *Rex eſto*: ſucclamant. Ad exercitus Ducem res defertur. Accurrit: ſuffragiúnque præbet ſuum. Ac poſtridie, cùm ſe publico exponeret, Rex omnium acclamatione conſalutatur.

Tertium præbet ÆQUIVOCATIO (quam Ariſtoteles * inter loca recenſet) in eo differens à prædictis, quòd Notatio vocis invariatæ ſignificationem inveſtigat: Conjugatio verò ſignificatione retenta vocem inflectit: at hæc vocem ſervat immutatam, cujus tamen alium, atque alium vel inquirit ſenſum, vel fingit. Sic æquivoca antitheſi Plautinum irriſit ſervum Siculus, qui querenti quòd ejus cauſa fuerit in mare lapſus: *imò*, inquit, *eſt, cur debeas maximam gratiam, qui te ex inſulſo ſalſum feci*. Et Martialis importunis Cinnæ petitionibus his reſpondet *

2. Rhet. 25.

1.4

Eſſe nihil dicis, quod petis, improbe Cinna:

Si

Si nil, Cinna, petis; nil tibi, Cinna, nego.

Mordet hinc Neronem illud:

Quis negat, Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem: ſuſtulit ille Patrem.

hic tamen ferro, ille humeris: ille ab ignea erepturus morte, hic crudeli cæde occiſurus. Satyricum quoque illud eſt, quod in ſenem calvum parúmque ſanum argutus jocatur Poeta:

Barba tibi crevit: cecidere, Marce, capilli.
Indè tibi gravis eſt barba, caputque leve.

Huc etiam reduci poſſent quædam notarum aſſumptiones, quibus (ſive alphabetariæ ſint, ſive muſicæ, ſive alterius generis) inter ſe unitis vox alia conſurgit ſimilis aliquid ſignificans: ut eſt diſtichum illud in cujuſdam auctoris librū, ceu nihil aliud, quàm errores continentem:

℞, habet hic latium liber; habet atque pelaſgum;
℞, habet hebræum: prætereaque nihil.

junge etenim ℞, quod Latini *Er* proferũt, & quod Græci vocant *ro*, & quod *res* Hebræi dicunt, & illicò ſcatere videbis *Errores*. Verùm has pluréſque ſimiles æquivocationes, cùm obſcuritatem afferant, fuſiùs inter ænigmata proponemus.

Quartum offert ANAGRAMMA, quod vocant literale, dum ex aliquo nomine, aut etiam ex aliqua propoſitione, eorundem immutato ſolùm elementorum loco, dictum aliud eruitur: quod fit tripliciter. Primò nanque obtinetur ordine inverſo idipſum legendo: qui modus Cancer eſt appellatus. Sic elementis ſingulis inverſis *Roma Amor* dicitur: ſic retrogradis ſyllabis *Gelarda Da largè* ſonat: ſic denique integris dictionibus invertendis carminibus, quod Henrico Octavo omnium ſceleſtiſſimo quidam ceciniſſe ſimulavit omen; putà:

Conjugium tibi, Rex, fœcundent Numina longo
Semine, nec ſterilis ſit tibi progenies:

ſic legi voluit:

Progenies tibi ſit ſterilis, nec ſemine longo
Numina fœcundent, Rex, tibi conjugium.

Obtinetur ſecundò, quæ in unam coaleſcebant dictionem dividendo, vel quæ erant diviſa conjungendo. Prioris eſt generis illud, quod de Ammonio Sacerdote * ſcribitur; qui

dum

* *Plut. in vit. Alex.*

Digitized by Google

dum Alexandrum lætanter filium vellet appellare; quod græca vox exprimit *παιδίον*, Pædion, iſque idiomatis ignavia *παιδίος* erat prolaturus; interrupta à gaudio dictione, *παῖ*, inquit, *Διὸς*, pæ-diòs, ideſt *fili Iovis*. Poſterioris verò, quod inter nothi cujuſdam defuncti reſolutas cineres jocabatur epitaphium; in quo binæ ſimul alligatæ voces *Tumulus* vulgo legēdum exhibebant, eruditioribus verò ingeniis *Tu mulus*. Obtinetur denique tertiò ſingulorum immixtione, quæ vocem aliquam adſtruunt, elementorum, eorúnque varia in dictiones alias combinatione. Sic Pilato Chriſtum interroganti: *Quid eſt veritas?* anagrammaticè quidam reſpondet: *eſt vir, qui adeſt*. Sic etiam è nomine *Laurentius Levita* eruitur: J, *uſtulare lenta vi*. Quod Anagramma purum dicitur, ſi nulla penitùs addatur, mutetur, aut omittatur litera: ita tamen, ut ferè purum etiam exiſtimetur id, in quo ſola habeatur aſpirationis *H*, aut ſolutæ diphtongi diverſitas. Prior enim vix inter literas computatur: poſterior verò quælibet binis literis æquivalet; nempe *Æ* valet *A*, & *E*; ſicque de cæteris. Qua ratione ſunt, qui putant, duplices quoque reſolvi conſonantes poſſe, *X* in *C*, & *S*; *Z* verò in *T*, aut *D*, & *S*. Quòd ſi præter enumeratas unius tantùm, alteriúſve literæ fiat mutatio, purum non eſt; ſed non ideò parvipenditur: mihi tamen potiùs, quàm Anagramma, Paranomaſia videtur, de qua infra dicemus.

Quintum dat ANALYSIS arithmetica, quam Anagrammatis Numerici nomine vocant: cujus varii quoque ſunt modi, ad duo tamen capita redigibiles. Vel enim numerus conſideratur, quem literæ nomen aliquod componentes ex ſe ſignificant: vel, quem affert earundem alphabeticus ordo. Vtrumlibet autem conſideretur, vel tota in numeri ſumma myſterium aliquod deprehenditur; vel aliud conficitur dictum eundem continens numerum: quæ mox explicabunt exempla. Juxta primum igitur caput è numero, quem græcanica denotant elementa JESU nomen prophetica deſcriptione Sibylla * expreſſit his carminibus. *Oracul. l. 1.*

Vocales quatuor autem
Fert: non vocaleſque duas: binum geniorum.
Sed, quæ ſit numeri totius ſumma, docebo:
Nanque octo monadas, totidem decadas ſuper iſtas,

Atque

Atque hecatondadas octo infidis ſignificabit
Humanis Nomen: Tu verò mente teneto
Æterni natum, Chriſtum, ſummique Parentis.

Quatuor etenim vocales, duæque conſonantes Nomen hoc venerandum componentes ſingulæ numeros ſuos ſignificāt, qui ſimul juncti 888. ſummam integrant ſic:

Ι	10
Η	8
Σ	200
Ο	70
Υ	400
Σ	200
	888

Qui numerus permanentiam, æternitaténque talis Nominis adumbrat. Similiter & de eodem Nomine hebræis characteribus ſcripto numerum 88. conſtantibus ejus idiomatis aſſerunt periti. In latinis verò difficile eſt invenire verbũ, quod ſolis conſtet literis numerum ex ſe ſignificantibus,quẽ Romanum vocant: vix enim reperitur *Lux*, & ipſa dictio *Vix*, quarum altera 65., altera verò 16. importat. Sed non ideò prorsùs inutilia ſunt nobis ad hoc munus noſtra elementa: præſtò nanque eſt novum Analyſis genus, quo vocis alicujus, aut carminis, alteriúſve dicti, majuſculis ea notamus elementa figuris, quæ numeris deſignandis antiquum adhibebat Latium, ut in unum collectæ myſticum aliquod repræſentent. Sic obſervo, eundem hujus generis habere numerum *CaJetanUs thIenæUs* nempe 112. ac JeſUs ChrIſtUs: quo uti poſſem ſimilitudinem adſtruens imitationis inter Divum Cajetanum, & Chriſtum Jeſum.

Juxta ſecundum porrò caput ut eruantur numeri, multiplices inſtituuntur tabulæ. Nos duas principaliores afferemus: in quarum altera numerus alphabeticæ cuique literæ juxta ſuum ordinem correſpondens aſſignatur uſque ad 23. in altera verò ordine eodem numerus tribuitur ſimplex uſq; ad 9. qui *I* competit: deindè decenarii diſtribuuntur uſque ad 90. qui in *S* incidit: ac tãdem reliquis ſui dantur centenarii. In utriſque autem aſpirationẽ *H*, ut Latinum elemẽtum, ex auctorum communi ſenſu admittimus: verùm duas

K & *Y*, quas à Græcis acceptas noſtras quoque fecit conſuetudo, aut ambas retinendas puto, cùm eadem ſit utriuſque ratio, aut utranque rejiciendam, ut puritatem Analyſis aſſequamur: jam verò ſit:

Prima Tabula.				Secunda Tabula			
A	1.	*M*	12.	*A*	1.	*M*	30.
B	2.	*N*	13.	*B*	2.	*N*	40.
C	3.	*O*	14.	*C*	3.	*O*	50.
D	4.	*P*	15.	*D*	4.	*P*	60.
E	5.	*Q*	16.	*E*	5.	*Q*	70.
F	6.	*R*	17.	*F*	6.	*R*	80.
G	7.	*S*	18.	*G*	7.	*S*	90.
H	8.	*T*	19.	*H*	8.	*T*	100.
I	9.	*V*	20.	*I*	9.	*V*	200.
K	10.	*X*	21.	*K*	10.	*X*	300.
L	11.	*Y*	22.	*L*	20.	*Y*	400.
		Z	23.			*Z*	500.

Priorem ſecutus tabulam quidam ex noſtris eruditiſſimus in Nomen hoc: *D. Cajetanus Thienæus*: ſic luſit: *Clara Cleri lux, & lex*: ac nõ numeratis grçcis elemẽtis ex eodẽ Nomine hæc eruit: *Cleri Reſtaurator*. Celebris quoque numerus quem è Martini Lutheri Nomine ſua ſcripto lingua juxta poſteriorem eandem eruit tabulam Joannes Oſtulphus hoc pacto:

M	30.	*L*	20.
A	1.	*A*	1.
R	80.	*V*	200.
T	100.	*T*	100.
I	9.	*E*	5.
N	40.	*R*	80.
	260.		406.

qui omnes numeri ſummam conſtant *666.* correſpondentẽ vaticinio D. Joannis ſic beſtiam, quam vidit in Apocalypſi,* deſcribentis: *Qui habet intellectum computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt; & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex.* Ubi denique noto, ſimiles Numericas reſolutiones, quia tectas, & obſcuras, non Anagrammata ſo-

*Cap. 13. 18.

ſolùm eſſe, ſed & Ænigmata, de quibus infra recurret.

A PARTIBUS, & TOTO robuſtiora ducuntur argumenta. Totum autem eſt unum aliquod ex pluribus conſurgens, quæ ejus Partes dicuntur: ut homo ex anima, & corpore, aut annus ex vere, æſtate, autumno, & hyeme coaleſcens. Dividuntur porrò in plura genera Partes, juxta quarum diſtinctionem partitur & Totum. Aliæ nanque ſunt tales, ut earum ſingulæ Toti ſint penitùs neceſſariæ, ita ut, vel una deficiente haberi Totum haud poſſit; ut ſine animo haberi non valet homo: quæ proinde vocantur Eſſentiales. Aliæ, quarum licèt altera deſit, habetur nihilominùs Totum, non tamen integrum; ut ſine brachio, vel pede habetur homo: & hujuſmodi partes dicuntur à philoſophis Integrales. Aliæ denique, quarum una ablata, vel altera, adhuc, & remanet Totum, & defectuoſum minimè creditur; ut ex Oceano hydriam ſi exhaurias: quas appellare libet Accidentales. Eſſentiales autem Partes aliæ Reales, ac Phyſicæ dicuntur; quæ verè ſunt plures, aliquod tamen unum inſtituentes: aliæ Metaphyſicæ, & à ſolo intellectu ab invicem ſejunctæ ob varios, quos habere poſſunt cum aliis quibuſque diſſitis rebus reſpectus; vndè in Simpliciſſimo Deo Miſericordiam à Juſtitia diſcernimus, quòd hæc pœnam inflictam culpis aſpiciat, illa veniam pœnitentibus impertitam. Inter Phyſicas autem Partes, eæ, quæ compoſitum integrant, quod phyſicum appellatur, nempe eſſentiales, duæ ſunt; Materia ſcilicet, quæ & ſubjectum dicitur; ac Forma: quarum prior indifferens quantùm ex ſe eſſe ſolet, ut unum præ alio conſtituat, ſed ex ea plura fieri conſuevere; ut æs, ex quo tormentum, aut ſtatua; lignum, ex quo ſuggeſtus, aut cathedra; hujúſque generis reliqua: poſterior verò determinat ſubjectum, ut tale dicatur; putà figura hominis, ut æs ſtatua ſit; & ſic de cæteris. Inter Metaphyſicas verò eæ adſunt, quæ ſpeciem cōponunt, súntque numero duæ, quarum altera Genus dicitur, altera Differentia: & Genus quidem id eſt, in quo rebus aliis quippiam aſſimilatur, ut ſentire, quod cum brutis animantibus habet homo commune: Differentia verò per quam ab alio quid diſcrepat; ut diſcurſus, quem habet homo peculiarem ſibi: atque Partes hujuſmodi Totum

aliquod integrant; quod, ſi multiplici diſtinctè nomine vocetur, ut ſi *Animal* te dicas eſſe *Diſcurſivum*, Definitio nuncupatur: ſi verò confusè unica tantùm importetur voce, ut ſi dicas, te *Hominem* eſſe, nomen obtinet Speciei. En igitur ex his ita, quantùm Rhetoribus licuit, expoſitis, à philoſophis explicatione mutuata, non cum illo tamen omnimodo identitatum, diſtinctionúmque rigore, qui à ſcholis exigitur, multiplex enumerari ſolitus peculiaris emanat locus argumentorum

Primus autem eſt ENUMERATIO, ſeu Partium Congeries: cujus ea vis eſt, ut quidquid omnibus ſimul conceditur, aut negatur Partibus, etiam Toti neceſſe ſit tribui, vel denegari; & cuicunque omnes ſimul tribuuntur, aut denegantur Partes, & Totum pariter negetur, aut concedatur; ſunt enim prorsùs idem Totum, ejuſque ſimul acceptæ Partes. Fit autem tripliciter Enumeratio: Diviſione ſcilicet, Diſtributione, & Definitione. Prior enumerat Species, quibus phyſicum, ut vocare lubet, Genus conſtat; earum ſcilicet multitudinem rerum, quæ in communi aliqua ratione aſſimilantur. Ex quibus ſic per affirmationem Divus arguit Ambroſius:* *Fortaſſis etiam in typo mulieris illius varijs criminum febribus caro noſtra languebat, & diverſarum cupiditatum immodicis æſtuabat illecebris. Nec minorem febrem amoris eſſe dixerim, quàm caloris. Itaque illa animum, hæc corpus inflammat. Febris enim noſtra avaritia eſt: febris noſtra libido eſt: febris noſtra luxuria eſt, febris noſtra ambitio eſt*: &c. Et per negationem his exemplificat Tullius in Topicis: *Si neque cenſu, neque vindicta, neque teſtamento liber factus eſt, non eſt liber: neque ulla eſt earum rerum: non eſt igitur liber*: eæ enim erant omnes liberum faciendi Species, quarum quælibet ad libertatem dandam ſuffeciſſet. Poſterior, nempè Diſtributio reliquas cujuslibet rationis Partes enumerat phyſicas. Ex quibus negando Tullius* *Quid putem? contemptumne me? non video, nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid deſpicere poſſit Antonius* Affirmatione verò concludit Nazianzenus, * *Cuncta ei obtuli, qui me in ſortem ſuam elegit, ac ſervavit: facultates, claritatem, vires corporis, & literas ipſas*. Poſtrema verò, ſcilicet DEFINITIO, metaphyſi-

l. 4. in Luc. c. 4.

Phi ip. 2.

Apolog.

phyſicas omnes enumerat Partes, putà rationis ejuſdem Genus, ac Differentiam: eíque reſpondens Species Definitum appellatur. Eſt autem Definitio teſte Cicerone* *Oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid ſit*. Ex hac arguit Cicero præfatus* dum à pravis in Rempublicam facinoribus Dolobellam avertere conatur ex gloriæ definitione ſic: *Credo enim, vos homines nobiles magna quadam ſpectantes; non pecuniam, ut quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque, clariſſimoque contempta eſt; non opes violentas, & populo Romano minimè ferendam potentiam; ſed caritatem civium, & gloriam concupiviſſe. Ea autem eſt gloria: laus* (ecce Genus) *rectè factorum, magnorunque in Rempublicam meritorum*: ecce Differentia duplex, unicum tamen integrans cum Genere definitum. Topic. Philip. 2.

Secundus eſt à ſingulis ſeorſim acceptis Partibus ad Totum ex iis conſtitutum: qui tùm locos comprehendit à Subjecto, vel Forma ad compoſitum; tùm à Differentia, aut Genere ad Speciem ex utraque conſtantem; tùm à Specie ſingulari ad integram congeriem omnium Specierum ejuſmodi, quæ & ipſa Genus appellatur; tùm ab aliis quibuslibet Partibus ſingularibus. Ex his autem deducitur omne quodcunque malum alteri ineſt Parti, Totum ex ea compoſitum inficere: quidquid verò, aut boni, aut excuſabilis altera Pars habet, tribui id etiam Toti: ac proinde eadem ratione horum vtrumlibet ſubjici, aut prædicari. Niſi tamen oppoſitum inducat malum Pars altera. Non enim aureum dicitur ſimulacrum, quod aureum habens pectus reliquum ex ære componatur: fœdum verò exiſtimatur omnibus quidquid vel ſolam Partem continet fœdam. Id tamē notare oportet; civilibus in argumentationibus non eum ſervari reſpectus rigorem, niſi ad notabiles Partes; quia, ut Juriſtæ loquuntur, *parum pro nihilo reputatur*: qua pariter libertate poteſt in ſui favorem uti noſter Orator. Hæc porrò ſint pro ſingulis exempla. A SUBJECTI, ſeu Materiæ prætio Verris furtum exaggerat Cicero* *Non pauca pocula ex auro, quæ, ut mos eſt Regius, gemmis erant diſtincta: erat & vas vinarium ex una gemma prægrandi trulla excavata cū manubrio aureo*. Ex ejuſdem verò vilitate ſuperborum elationem comprimit Baſilius.* *Exultas ob divitias, ob majorū nobi-* Ver. 4. Serm. Attēde tibi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

nobilitatem te jactas, ob pulchritudinem corporis: Attende tibi, quia mortalis, quia terra es, & in terram ibis. A FORMÆ nobilitate ultionis ratio homicidis interminatæ de-
cap.9.6. ducitur in Sacra Geneſi * *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, efundetur ſanguis ejus: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* Ex ejus verò vilitate ſacrilegam Hebræorum idolatriam Deum pro aureo vitulo relinquentium arguit
Pſ.105.20. Pſalmiſta * *Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli concedentis fœnum. Obliti ſunt Deum, qui ſalvavit eos.* A SPECIEI laudibus ad Genus aſcendit D. Baſilius Se-
hom.8. leuciæ Epiſcopus * dum Joſephi temperantiam ab ejus caſtitate ita commendat: *Tenacibus manibus retentam permittens veſtem, libidinis effugit anſas: fuga uſus pro armis tradit veſtem, ut temperantiam teneat, denique nudatur veſte, ne nudetur temperantia.* Ad exprobrandum verò effœminatum
de breu.vita aliquot ſui temporis virorum luxum, muliebrem Seneca *
c.12. in iis arguit animum ex ſola ejus vitioſi animi ſpecie, nimia ſcilicet in comis aptandis ſolertia, ſic concludens: *Quid igitur ſperas ab iis, qui corporis venuſtatem, cinnoſque humeris, & collo illudentes pro Deo venerantur, niſi fœmineum, &*
cap.1.26. *mollem animum?* A GENERE Divus arguit Jacobus * ut linguæ frænum ſuadeat hominibus, qui religioſi velint audire, quantùm à vera abſit religione ejuſmodi vanitas, oſtendens: *Si quis autem putat, ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc eſt: viſitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum; & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* A DIFFEREN-
inſt.5.c.10. TIA, ducit hoc in exemplum Quintilianus* *Quod neque immortale eſt, neque mortale, animal non eſt.* Et inconveniente homini perennem iram, commendato illo argumento concludit Ariſtoteles: *Iram immortalem, cùm ſis mortalis, ne geras.* Ab una denique Integrali Parte ad Totum arguit corpus illud omnibus notum: *Ex ungue leonem:* paritérque ab unius racemi magnitudine reliquorum collectionem mirabilem, terræque Canaan fertilitatem ſuadebant Hebræo
Num. 13. populo, qui illuc à Moyſe, miſſi fuerant exploratores, di-
28. centes * *Venimus in terram, ad quam miſiſtinos, quæ reverà fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt.*

Ter-

Tertius denique à Toto ad Partes, cujuſcunque ſint rationis, protrahit argumenta; ita ut quidquid affirmatione, aut negatione alicui adnectitur Toti, alicui ſaltèm indeterminatæ Parti eſſe adnectendum, & cæteris non repugnare neceſſe ſit: undè fit, ut, ſi de Toto propoſitionem aliquam evincas, atque eandem ſingulis de cæteris neges Partibus, de ea, quæ remanſit, Parte ea ſit neceſſariò concedenda. Exemplum aliquod habes apud Ciceronem * *Negat hoc Brutus Imperator, Conſul deſignatus, natus Reipublicæ civis: negat Gallia: negat cuncta Italia: negat Senatus: negatis vos. quis igitur illum Conſulem, niſi latrones putant?* *Philip. 4.*

A COMPARATIS tertius exhibet locus argumēta. Quæcunque autem ad invicem conferuntur: aut in aliquo neceſſe eſt convenire, quod de eorum utroque dici valeat; ut albedo de lacte, & nive: aut in aliquo diſconvenire; ut libra, & uncia in ponderis gradu diſconvenientes, qui non idem de utraque dici poteſt: aut demum eſſe talia, ut eorum unum ſit alterius; ut pater filii pater eſt, & ſervus domini; quæ Relativa appellantur. Quæ autem conveniunt: vel in ſola qualitate conveniunt; & Similia dicuntur, ut duo Æthiopes in nigredine: vel in facto aliquo; quorum prius Exemplum dicitur, locus omnibus receptus, * cùm plerùnque videantur reſpondere futura præteritis, habeatúrque experimentum velut quoddam rationis teſtimonium: vel in quantitate, ſeu menſura; ut duo libræ pondera, quæ ſunt Æqualia: quibus Paria adnumerari ſolent; quatenùs æqualis adeò pro utraque eſt parte vis rationis, ut unum ex alio deducatur; ut ſi dicerem, cùm Petrus ſervus domino obtemperet ſuo, & Paulum quoque ſuo debere domino obtemperare) vel denique in quocunque alio conveniunt attributo, & generico nomine Convenientium indicantur. Similiter, quæ diſconveniunt: ſi in qualitate diſſident, ut album, nigrúmque; ſunt Diſſimilia: ſi in quantitate, ut millenarius numerus, & centenarius; ſunt Inæqualia; quorum alterum Majus ſemper eſt neceſſariò, alterúmque Minus: (quod & de majori, minoréve probandi vi eſt intelligendum) ſi verò in quocunque diſcrepant alio; abſoluto nomine Diſconvenientia vocantur, aut Diſparata. Sunt præterea nonnulla, quæ Proportionata dicuntur; quæque ad Similia reducit Quin- *Quint. inſt. l. 3. c. 10.*

tilia-

inſt.l.5.c.1 1 tilianus.* Vera autem Proportio, ſive (ut alii dicunt) Analogia, quatuor ferè ſemper habet collata; quorum duo eandem habitudinem, ejuſdémque generis comparationem inter ſe retinent, quam habent inter ſe alia duo: ſic eodem modo ſemipalmus eſt palmi medietas, ac ulnæ ſemiulna; eodémque modo perturbant mare venti, ac animum paſſiones evertunt: undè Proportionata ſunt in ratione medietatis ſemipalmus, & ſemiulna; in ratione integri palmus, & ulna; in perturbando venti, & paſſiones; atque animus, & mare in everſionē patiendo, in quibus omnibus conveniunt quodammodo rationibus. Fieri tamen & inter tria valet Proportio; ut ſi dicas, ita binarium numerum medietatem eſſe quaternarii, ut hic eſt octonarii. Hinc, qui enumerari ſolent, plures è Comparatis emergunt peculiares loci, nempe Relata, Similia, Æqualia, Exemplum, Proportionata, Convenientia, Diſſimilia, Majora, Minora, ac Diſparata.

Quoad vim tamen probandi, & uſum, quatuor pro cunctis me expediam regulis. Prima ſit pro Relativis, eorum utrunque eidem convenire non poſſe: non enim valet quis ejuſdem eſſe pater, & filius: ſed tamen, ſi alterum extitit aliquando, adfuiſſe & alterum oportere, & correlativas de iis affirmari propoſitiones; ut ſi domini dicas, eſſe imperiū, obedientiam dices eſſe ſervorum. Secunda, pro Convenientibus omnibus, cujuſcunque ſint generis, obſervandum, qua in re convenientia habeatur; cujuſmodi albedo eſt, in qua duo alba; deindè quidquid ratione talis rei de altero Convenientium affirmatur, vel negatur, negari eodem modo de altero debere, vel affirmari. Hinc quia lilium, quòd album ſit, puritatem adumbrat, eandem adumbrat & lac. Tertia pro Inæqualibus, & Imparibus, quidquid de uno dicitur, multò magis, multóve minùs dicendum de alio, de quo major, aut minor eſt quantitas, fortior, aut levior ratio, ob quam dicitur: ſi enim alicui dominus famulatur, debet multò potiori jure eidem famulari & ſervus; ſi quid duo valent, magis valebunt & tres; quódque iſti nequeunt minùs illi valebunt. Quarta denique pro cæteris diſconvenientibus omnibus, obſervandum quoque, in qua diſcrepēt ratione; & quidquid talem ob rationem alteri tribuitur,

dene-

denegandum alteri; tribuendum verò quidquid alteri denegatur; eſt enim Diſconvenientia quoddam Differentiæ genus, accidentalia tamen rerum afficiens attributa.

Jam verò ad praxim, exempláque veniamus. A RELATIS arguens ex uno Correlativo aliud infert Martialis * in quendam ludens, qui Domini titulo Patrem vocabat. *l.1. Epigr. 82.*

Tùm ſervum ſcis te genitum, blandeque fateris,
Dum dicis Dominum, Soſibiane, Patrem.

De duobus verò Correlativis duo prædicat Correlativa unum ex altero deducens Deus, dum * ab hominibus exigit honorari: *Filius honorat patrem, & ſervus dominum ſuum: ſi ergo Pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* A SIMILI videntur arguiſſe filii Jacob, dum in Beniamin ſacco invento ſcypho, ex eo quòd ſolus inter eos Beniamin filius fuerit Rachelis, quæ paterna è domo aurea furata fuerat idola, ob virtutũ, vitiorúnque, inter parentes, ac natos venientem ſimilitudinem, hæc locuti à Divo Ephrem * introducuntur: *Filius Rachel, quæ furata eſt idola, & ea negavit.* Et duplici ab aliis aſſumpta ſimilitudine Rhetoribus, nimiùm argutiis in orando nõ indulgẽdũ probat Quintilianus: primùm dicẽs,* eas eſſe flores; qui proinde, *ſi leviter excutias, decidũt:* deinde* cùm habet: *Ego verò hæc lumina Orationis velut oculos quoſdam eſſe eloquentiæ credo: ſed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne cætera membra officium ſuum perdant.* Quo tamen loco eſt cautè utendum, habendúnque judicium oculatum: ſolet enim fallere ſimilitudinis ſpecies, ubi non eadem eſt utriuſque ſimilis ratio: vel certè non de quibuslibet illud dici poteſt: *Non ovum tam ſimile ovo.* Ab ÆQUALI, metaphoricè quanvis nomen accipiat menſuræ, Chriſtus Dominus argumentatur * *Nolite judicare, & non judicabimini: dimittite, & dimittemini: eadem quippe menſura remetietur vobis.* Ab EXEMPLO ſic arguit Cicero:* *Hìc tu Cn. Pompeii beneficium, vel potiùs judicium, & factum infirmare conaris; qui fecit, quod P. Craſſum, quod L. Scyllam, quod Q. Metellum, quod denique domeſticum auctorem Patrem ſuum facere viderat?* intendens, quòd, ſicut, quæ ab his facta, non infirmavit quiſpiam; ſic neque, quod fecerat Pompejus. A PROPORTIONATIS, cùm id Imperator, Patréſque ſint in Republica, quod in cælo ſidera; hanc ducit Junior

Malach.1.6
de Ioſeph.
inſt.8.c.3.
ibid.c.5.
Luc.6.37.
pro Balbo.

Paneg. Traj. Plinius * conſequentiam: *Eſt hæc natura ſideribus, ut parva, & exilia validiorum exortus obſcuret: ſimiliter Imperatoris adventu Legatorum inumbratur.* A CONVENIENTIBUS reliquis arguit Seneca: * *Epiſt.44.* *Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc ſumus nobiles: nec rejicit quenquam Philoſophia, nec eligit: Platonem non excepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. quid eſt, quare deſperes, te poſſe fieri parem?* A DISSIMILI verò Judicum, ac Catilinæ in Rempublicam ſtudio ſic pro Murenę libertate arguit * Tullius: *pro Mur.* *Si L. Catilina cum ſuo concilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare, condemnaret L. Murænam; ſi interficere poſſet, occideret: petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Reſpublica; ut minuatur contra ſuum furorem Imperatorū copia; ut major facultas Tribunis plebis detur, depulſo adverſario, ſeditionis, ac diſcordiæ concitandæ. Idemne igitur delecti ex ampliſſimis ordinibus ſapientiſſimi viri judicabunt, quod ille importuniſſimus gladiator hoſtis Reipublicæ judicaret?* A MAJORI Quantitate, ac numero ſuos hortatur fortiſſimus Machabæorū Judas, ne vereantur Nicanoris exercitum, * dicens: *2. Machab. 8.* *Nos autem in omnipotente Domino, qui poteſt, & venientes adverſùm nos, & univerſum mundum uno nutu delere, confidimus.* A Ratione verò Majori reprehendit Hieronymus: * *Ep. ad Heliod. 1.* *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet; & tu amplas domos, & ingentia terrarum ſpatia metiris.* Quo etiam loco venuſtè uſus eſt Iphicrates apud Ariſtotelem * *2. Rhet. 30.* ex iis, quæ contra ipſum dicebantur. Cùm enim ab Ariſtophonte criminaretur, quaſi accepta pecunia naves eſſet proditurus; eum interrogavit, an accepta ipſe pecunia proditurus naves eſſet? quod cùm hic ſe facturum unquam negaſſet: *Ergo*, inquit, *quod tu, cùm ſis Ariſtrophon, non feciſſes, ego Iphicrates feci?* Oportet autem in hoc, ut idem advertit Stagyrita, *adverſarium videri procliviorem; alioquin res ridicula videretur.* A MINORI videtur arguiſſe Quantitate Chriſtus, * ubi ait: *Mat. 10.* *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Nolite ergo timere: multis paſſeribus meliores eſtis vos*: non enim duobus æquales ait; ſed, multis eſtis paſſeribus meliores. A Minori verò Ratione: * *Mat. 6.* *Si fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit; quantò magis vos modicæ*

modicæ fidei? A DISPARATIS,ſervire Romam haud poſſe, ſicut reliquæ civitates, probat Cicero: * *Omnes nationes ſervitutem ferre poſſunt; noſtra Civitas non poteſt: nec ullam aliam ob cauſam, niſi, quòd illa laborem, dolorenque fugiūt; quibus ut careant, omnia perpeti poſſunt: nos à majoribus inſtituti, atque imbuti ſumus, ut omnia conſilia, atque facta ad virtutem, & dignitatem referamus.* *Philip.* 10.

Ab OPPOSITIS alter eſt argumentorum locus. Oppoſitorum autem genera nobis, qui de Relatis jam egimus, quatuor manent. Primum horum exhibet Contraria, quæ Cicero * ADVERSA vocat: & hæc à Philoſopho * dicuntur eſſe, *quæ ſub eodem genere maximè diſtant*; ea ſcilicet,quę, cùm in aliquo ſibi communi conveniant, in omni reliquo opponuntur; ut ſunt ſpecies omnes; & qualitates præſertim, putà album, & nigrum ſub coloratorum genere. Secundum Contradicentia, ſeu, ut alii vocant, NEGANTIA complectitur: quorum quidquid alterum affirmat, negat penitùs alterum; ut velle, & nolle; pium eſſe, & impium; ut aliorum utar exemplis. Tertium PRIVANTIA continet: quorum alterum (ut, clariùs quò fieri valet, loquar) privat altero ſubjectum, cui ſupervenit; ut cæcitas hominem viſu privans. Quartum denique continet cætera ſub neutro ex ſupradictis capitibus comprehenſa; quæ ex Cicerone, nec certa lege, nec numero diſsident; ſed tamen componi ſimul non valent: & hæc REPUGNANTIA cōmuniter, Obſiſtentia verò ab Areſio * nominantur: cujuſmodi ſunt amare, & injuria afficere; qui effectus eſt paſſionis amori contrariæ, nempè odii. Non me hìc latet,ſupradictas Oppoſitorum diſtinctiones, quas ex aliorum mēte collegi, adeò non eſſe exactas, ut non unum aliquando genus cùm alio confundatur. Sed ſcio pariter, ſolers id diſcrimen, quod à Candidatis exoptaretur, vel ipſi Romanæ Eloquentiæ magiſtro fuiſſe perdifficile. Undè pro mea, reliquorúnque Rhetorum defenſione id reſpondebo, quod is, * cùm Negantium attulerit ſignum, & exemplum, explicationis ejus difficultatem Rhetoricæ utilitati longè ſuperiorem dedignatus ſubdidit: *Quid enim opus exemplo eſt? tantùm intelligatur argumento quærendo, contrariis* (ſic Oppoſita vocat) *omnibus contraria non convenire.* Verùm, ne quo

Topic.

1. *de Oppoſ.*

Art. pred. l. 1. *c.* 11.

Topic.

quo opus ad utilitatem eſt, præteream; regulas aliquot pro Oppoſitorum uſu diſtinguam.

Prima igitur ſit Regula, quam mox Tullius innuit: non poſſe ſcilicet utrunque ſimul Oppoſitum de ſubjecto quopiā prædicari: undè ex unius affirmatione alterius deducimus negationem. Sic ab Adverſis arguens Divus Hieronymus * ait: *Balnearum fomenta non quærat, qui calorem corporis jejuniorum cupit frigore extinguere.* A Negantibus argumētatur Cicero * in Catilinam probitatem ſimulantem, defendens Cœlium: *Vtebatur hominibus improbis multis; & quidem, optimis ſe viris deditum eſſe, ſimulabat.* A Repugnantibus verò Ambroſius * in Chriſti Redemptoris perſona ſic loquitur: *Non eſt meus, quem libido ſuccendit; quia mea eſt caſtitas: non eſt meus, quem cura ſpoliandi minores exagitat; quia mea largitio eſt: non eſt meus, quem aura nobilitatis inquietat; quia mea tranquillitas eſt. Pax ſum ego; litigare non novi.*

ad Ruſtic.

pro Cælio.

in Pſalm. 118.

2. Rhet. 30. Secunda Regula ſit, quam tradit Ariſtoteles: * *Spectare, an contrario contrarium inſit: nam, ſi non inerit, erit negandum; ſi verò ſecùs, erit affirmandum.* Videlicet, de Oppoſitis in aliquo ex ſupradictis Oppoſitionum generibus Oppoſita in eodem genere neceſſariò prædicari: de Adverſis ſcilicet Adverſa; Negantia de Negantibus; & ſic de cæteris: ſi tamē, quod de altero dicitur, ei conveniat, quatenùs eſt Oppoſitum alteri. Undè malè quis diceret, hominibus gratam non eſſe voluptatem, quia eſt brutis animalibus grata: nam utriſque conſentanea eſt, quatenùs animalia ſunt; quæ ratio eſt utriſque generica, & communis, nec conſequenter Oppoſita. Juxta hanc regulam à Contrariis vitæ inſtitutis Contrarios deducens mores Roſcium ſic Cicero* defendit: *Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis; ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat avaritia, neceſſe eſt: ex avaritia erumpat audacia: indè omnia ſcelera, ac maleficia gignuntur. Vita autem hæc ruſtica, quam tu agreſtem vocas, parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt.* À Privantibus facto argumentatus videtur Democritus; qui, à Tertulliano * relatus, *quòd mulieres ſine concupiſcentia aſpicere non poſſet, & doleret, ſeipſum excecavit; ſicque pharmacum porrexit*

pro Amer.

Apolog. c. 7

xit incontinentia: A Repugnantibus verò juxta eandem hanc regulam intelligi poteſt fuiſſe locutus Cicero;* dum Syllam innocentem probat, quia à ſe defenſum, qui conjuratores ſemper fuerat inſecutus: *Sed quid? Ego, qui Catilinam non laudavi; qui teſtimonium de conjuratione dixi; adeone vobis alienus à ſanitate, adeò oblitus conſtantiæ meæ, adeò immemor rerum à me geſtarum eſſe videor; ut, cùm Conſul bellum geſſerim cum conjuratis, nunc eorum ducem conſervare cupiam; & in animum inducam, cujus nuper ferrum retuderim, ejus nunc cauſam vitanque defendere?* &c. *pro Sylla.*

Tertia denique Regula ad id tendit, ut videatur, an aliquo ex Oppoſitis ſubjecto cuipiam denegato, alterum ei tribuere neceſſe ſit? Pro qua diſtinctè procedendum. A Cōtradicentibus nanque valet ſemper argumentum. Undè Atticum Epicuri diſcipulum convincit Orator, mortuos miſeros eſſe dicentem; cùm tamen nihil eorum remanſiſſe putaret: * *Jam mallem, Cerberum metueres, quàm iſta diceres tam inconſideratè. Quem eſſe negas, eundem eſſe dicis? ubi eſt acumen tuum? cùm enim miſerum eſſe dicis, tùm eum, qui nō ſit, eſſe dicis. Age jam concede, non eſſe miſeros, qui mortui ſunt; &c.* A Contrariis quoque valet; ſi tamen præſupponatur genus, ſub quo Contraria ſunt, tali competere ſubjecto; & ea immediatè ſint Contraria, in duas ſcilicet ſpecies æquè ſuum partiantur genus; ut ſunt amor, & odium ſub genere affectus, ſeu paſsionis. Sic, occiſione ſuppoſita, in Antonium * Cicero: *Nego quidquam eſſe medium: cōfiteor, eos, niſi liberatores Populi Romani, conſervatoreſque Reipublicæ ſint, pluſquam ſicarios, pluſquam homicidas, plùs etiam, quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius Patriæ parentem, quàm ſuum occidere.* Vel ſaltèm cum disjunctione fas eſt concludere, una negata ſpecie, è reliquis alteram; aut cæteris omnibus denegatis, eam, quæ reliqua eſt, competere ſubjecto. A Privantibus verò ſemper hæc valet conſequentia, dummodò ſubjectum ſit alterutrius capax Oppoſiti: licèt enim dici nequeat cæcus lapis, quòd viſu careat, niſi per translationem; poteſt id tamen optimè affirmari de homine, qui tùm viſus eſt, tùm cæcitatis capax. Quò tendit Martialis illud *

1. Tuſcul. *Philip. 2.*

Semper eris pauper, ſi pauper es, Æmiliane. *l. 5. Epigr. 83.*

Dan-

Dantur opes nulli nunc, niſi divitibus.

A Repugnantibus denique tum ſolùm alterum ex alterius negatione deducitur, cùm inter ſe pugnant immediatè, nō habentia ſibi aliud eadem in ratione obſiſtens; ut cùm alterum quocunque ex capite neceſſariò annectitur alterius Contradictorio, vel Adverſo, vel Privationi. Hinc non valet, in cælo eſſe, qui non reperitur in terris; cùm poſsit eſſe ſub terra: neque cæcum eſſe, qui non videt; cùm dormiens, cæcus licèt haud ſit, non tamen videat: nec ſimiliter, qui non allicit guſtum, amarum eſſe ſaporem; cùm aſper eſſe poſsit, aut acer. Valet tamen, pacis effectum debere tumultum eſſe, ſi eſſe belli negetur effectus. Quod arguit Cicero: * *Etenim, cùm inter bellum, & pacem medium nihil ſit: neceſſe eſt, tumultum, ſi belli non ſit, pacis eſſe: quo quid abſurdius?*

Philipp. 8.

A CIRCUNSTANTIIS qui deſumitur, quà ſubjecti, quà prædicati cujuſpiam, ubertiſsimus eſt argumentorum locus, adeò, ut in quovis dicendi genere hoc præ cæteris, & ſæpè utantur, & delectentur impensè Oratores: undè Theodorus eas vocat Elemēta apud Auguſtinum, * quòd Orationem componant. Hunc ab Adjunctis locum vocare ſconſueverunt. Cicero tamen, * cùm de Attributis negotiorum, aut perſonarum agat, inter priores Adjuncta numerat; quorum nomine, quos hactenus recenſuimus, complectitur locos his verbis: *Adjunctum autem negotio id intelligimus, quod majus eſt; &, quod minus; &, quod ſimile eſt ei negotio, de quo agitur; &, quod æquè, magnum; &, quod contrarium; &, quod diſparatum; & genus, & pars, & eventus.* In tanta igitur varietate loquendi, claritatem potiùs, quàm doctrinæ eruditionem ſectatus; & Attributorum nomen, diviſionénque à Latinæ Eloquentiæ magiſtro petitam veneror; & tres illas, quæ negotiorum aſsignantur Attributis, ſpecies, Antecedentium ſcilicet, Comitantium, & Conſequentium, (ad quas unas totam Calippus Rhetoricam Artem revocabat) haud reſpuo. Imò, & in perſonis ea quoque conſiderari poſſe, arbitror: ut videns, quæ perſonæ in progenitoribus virtus, quæ effulſerit nobilitas; locos in Antecedentibus reperias: ejus vitæ ſcrutatus inſtitutum; Comitantia conſideres: prolem, aut alia poſt mortem inveſtigans, ut

Princ. Rhet.

1. *Inu.*

tiæ Sanctorum miracula, ac ejus generis cætera; Subſequentia, perſcruteris. Sed tamen Attributa quæ Circunſtantias voco, ſecùs puto explicanda; partitus utique in Rerum Circunſtantias, & Perſonæ.

Circunſtantias igitur Negotiorum, ſeu Rerum, primùm Ariſtoteles decem in Elementa diviſas Categorias appellavit; Subſtantiam ſcilicet, Quantitatem, Qualitatem, Locum, Habitum, Situm, Tempus, Relationem, Actionem, Paſſionénque diſcernens. Meliùs tamen, & ad rem noſtrã aptiùs, communiter hoc ſolent carmine comprehendi:

Quis; Quid; Ubi; Per quæ; Quoties; Cur; Quomodo; Quãdo.

QUIS denotat, conſiderandas eſſe Perſonas cuipiã Negotio intervenientes: nec non & Cauſas quaslibet, quas vocant Efficientes; à quibus ſcilicet aliquid geritur. Et quãtùm ad Perſonas; ſive Cauſæ eæ ſint, ſive quovis ex capite ad aſſertum probandum attineant, certè quidquid de iis enunciatur, vel præbet, vel ſaltem auget aſſerto probationem. Hinc ſuam habet vim energia illa, qua Divus Petrus* Divinum allocutus Magiſtrum ait: *Domine, Tu mihi lavas pedes?* ac ſi mirabile quid, & humanam excedens capacitatem profiteri vellet actum illum humilitatis altiſſimæ, tùm ob ſui inter homines infimam æſtimationem, cui pedes lavabantur, tùm ob lavantis excellentiam infinitam. Quò etiam conducunt eæ, quas Perſonæ Circunſtantias inferiùs explicabimus. Quantùm verò pertinet ad Cauſam EFFICIENTEM: hoc argumentaturus ex capite tres obſervabit Regulas. Primam, Cauſa, quæ aliquid agit neceſſariò, ſemel poſita, hoc aliquid, quod effectum vocant, infallibiliter ſecuturum; ſecùs verò de ea, quæ non neceſſariò operatur. Exemplóq; ſit illud Ciceronis: * *Ut non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire poſſis, ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur: ex luxuria exiſtat avaritia neceſſe eſt: &c.* Secundam, Cauſa nulla habita, non haberi effectum. Quare Tullius * haud innuit obſcurè, leges, quas promulgabat Antonius, latas à Cæſare non fuiſſe, qui jam obierat: *De exilio reducti sũt à mortuo: civitas data, non ſolùm ſingulis, ſed etiam nationibus, & provinciis univerſis à mortuo* &c. Tertiam, quidquid de Cauſa mali dicitur, effectum inficere; quidquid

Ioan. 13.

pro Amer.

Philip. 1.

boni,

boni, bonum reddere effectum, niſi hic aliunde dedecoretur. Hùc illud ſpectat, quod de Clemente Octauo, cui priùs nomen Hyppolitus:

Sancta pudicitię virtus redit exul in Urbem.
Quid mirum eſt? Urbi præſidet Hyppolitus.

Art. pred. l. 1. c. 14. *QUID* (ut bona dicam Areſii, * aliorunque pace) non tam factum ipſum importat, de quo decernitur; exempli cauſa, ſacrilegium ſit, an ſimplex furtum; quàm Effectus indicat à rę quapiam, ſeu negotio partos. Prius enim illud eſt ipſa res, ejúſque eſſentia, vel ejus conſtitutivum; poſterius verò hoc ſolummodò rem circunſtat; & cùm extra non ſit, afficit tamen, ut ex ejuſdem viſceribus probatio oriatur. Ab EFFECTU porrò ad cauſam arguitur primò, quia, ſi ſemel Effectus adfuit, ejus cauſam aliquando fuiſſe, neceſſe eſt. Taléque eſt illuminati, non minùs mente, quàm corpore, cæci illius; quo novùs Rhetor Evangelica in Academia initiatus, Phariſæos de Chriſti divinitate convincebat: Ioan. 9. * *A ſæculo non eſt auditum, quia aperuit quis oculos cæci nati. niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam.* Secundò, quia Effectu nunquam poſito, nec ejus aliquando cauſa poſita, quæ neceſſariò talem fuiſſet Effectũ operata. Hùc autem illuſio tendebat, qua Sacerdotibus 3. Reg. 18. Baal deridebat Elias, * dum fruſtrà ad meridiem uſque clamantibus, abſque eo, quòd eſſet, qui reſponderet, improperabat: *Clamate voce majori: Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in itinere eſt:* quaſi objiceret, divinum eſſe, veræ fidei aſſertoribus momento adeſſe, ac favere. Tertiò, quia bonum quodquod Effectui tribuitur, in cauſæ vertitur laudem; licèt è converſo non valeat, ob Effectus malitiam vituperari cauſam; niſi talem ipſa malitiam infuderit. Et hinc rei militaris laudem, cæteris eam omnibus pro Mur. virtutibus præferens, eruit Cicero: * *Hæc nomen populo Romano; hec huic Urbi æternam gloriam peperit; hæc orbem terrarum parere huic Imperio coegit: omnes urbanæ res; omnia hæc noſtra ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria latent in tutela, ac præſidio bellicæ virtutis.*

UBI ratione Loci, in quo aliquid geſtum eſt argumenta profert. Sic, ſi circa delicti locum tunc temporis reus fuerit, cùm id accidit, delicti infert ſuſpicionem; ſin minùs, omnino

nò purgat à crimine. Quo poſteriori ex capite Syllam defendit Cicero: * *Nunc qui eſt, qui dicat, in campum aſpiraſſe Syllam? at, qui ſe cum Catilinæ ſocietate conjunxerat, cur ab eo diſcedebat? cur cùm Antonio non erat? cur in pari cauſa paria ſigna non reperiuntur? Hoc tempore, cùm arderet acerrimè conjuratio; cùm Catilina egrederetur ad exercitum, Lentulus in Urbe relinqueretur, Caſſius incendiis, Cethegus cædi preponeretur, Antonius, ut occuparet Etruriam, proſcriberetur; cùm omnia ordinarentur, inſtruerentur, ac pararentur; ubi fuit Sylla Cornelii? num Romæ? imò longè abfuit* &c. Similiter ratione loci, in quo res facta probatur, augetur malitia; vel bonitas facti, de quo agitur. Hinc commendatur Job, * quòd in terra Hus ſceleſtiſſima vir fuerit *ſimplex, & rectus*. Hinc etiam in Antonium excandet Cicero:* *Si inter cœnam in tuis illis immanibus poculis hoc tibi accidiſſet, quis te non increparet? in cœtu verò populi Romani, negotium publicum gerens, magiſter equitum, cui ructare turpe eſt; ſic vomans fruſtris eſculentis vinum redolentibus gremium ſuum, & totum Tribunal implevit!* Job 1. Philip. 2.

PER QUÆ, Inſtrumenta, & Media complectitur, ſive inanimata ſint, ſive animata; ut ſocios, arma, & quæ hujuſmodi, ad factum aliquod adjuvantia, vel ab eo repellentia. Quo ex loco arguitur primò oſtendendo, quòd, ubi Media ſunt, ac Inſtrumenta, & finis eorum veriſimiliter habeatur; ubi verò non ſunt, ſecùs ſe res habeat. Hinc Clodium geſtit Cicero * convincere, invaſorem Milonis, non verò invaſum oſtendens à Milone, ſic: *Agè nunc; iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper cum uxore; tùm ſine ea: nunquam non in rheda; tùm in equo: comites Græculi quocunque ibat, etiam cùm in caſtra Etruſca properabat; tùm nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquã, tùm caſu pueros Symphoniacos uxoris ducebat, & ancillarum greges.. Ille, qui ſemper ſecum ſcorta, ſemper exoletos, ſemper lupas ducebat; tùm neminem; niſi, ut virum à viro lectum eſſe diceres*. Secundò arguitur è Mediorum, Inſtrumentorúnve malitia, malum in eo caſu finem appellando: ut enim prudentiæ dictat regula; *non eſt faciendum malum, ut eveniat bonum*. Undè, bonum licèt fuerit ſacrificiis Deum ante pugnam ſibi placare; non tamen id licuit Sauli * pro Mil. Rup. Ab. in 1. Reg. c. 20.

 ar-

arrogata Sacerdotali dignitate. Et indè quoque ſcitus Poëta monet:

Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas.

Non tamen ideò bonum Medium ſimilem valet finem arguere; cùm poſsit à malo fine & ipſum coinquinari.

QUOTIES, ejuſdem facinoris repetitionem appellat, quę magis vim augeat probationis. Majus enim eſt malum, pluribus, quàm unico ictu hominem occidere. Quare ob vocationum, quas ſemper reſpuerat, numerum, ream arguit Chriſtus Dominus * Jeruſalem dicens, *Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?*

Matt. 23.

CUR, denotat Finem, ob quem facinori quiſpiam potuit intervenire: ex quo loco, tripliciter argui poſſe, videtur. Primò enim malus Finis ſemper media fœdat. Undè, populi Romani agrum non vendendum, ex pravo Decemvirum Fine Tullius * evincit: *Tu non definias, quò colonias, in quæ loca, quo numero colonorum deduci velis? Tu occupes locum, quem idoneum ad vim tuam judicaris? compleas numero, confirmes præſidio, quo velis? Populi Romani vectigalibus, atque omnibus copiis ipſum populum Romanum coerceas?* &c. Secundò, ſive in re habito, ſive in votis duntaxat, Fine, habentur & media, quæ ſunt in ejus poteſtate, qui tali addicitur Fini. Hinc Cicero: * *Si L. Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare; condemnaret L. Murenam: ſi interficere poſſet, occideret. Petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio Reſpublica; ut minuatur contra ſuum furorem Imperatorum copia; ut major facultas Tribunis plebis detur, depulſo adverſario, ſeditionis, ac diſcordiæ concitandæ.* Tertiò, nullo Fine propoſito, media probabiliùs non exiſtunt; cùm omne agens propter Finem operetur, ſi rationabiliter operatur. Undè patiens Chriſtus percutientem ſe redarguit * *Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem benè, quid me cædis?*

in Rull. 2.

pro Mur.

Jo. 18.

QUOMODO, notat Modum, quo negotium peragitur: qui ſi malus ſit, inficit actionem; ſi bonus, actionem quantùmvis in ſe malam, aliquatenùs excuſat. Undè Religioſū ſu-

ſupra cæteros ſtatus extollit Divus Bernardus: *Nonne hæc eſt Religio ſancta, & immaculata; in qua homo vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, irroratur frequentiùs, quieſcit ſecuriùs, moritur confidentiùs, purgatur citiùs, præmiatur copioſiùs?*

QUANDO, explicat Tempus, & quæ ejus dicuntur paſſiones: qua ſcilicet die, qua hora; an ſereno, vel nubilo; an brevi, longóve intervallo; an citò, vel ſerò; & his ſimiles: quæ, vel novam ad excuſandum ſuggerunt, aut accuſandum rationem; vel jam adinventæ robur adaugent. Sic Cicero * ex homicidiis, quæ crebra tunc accidebant temporis, quo Roſcii fuit occiſus pater, arguentem refert Erucium, ut ipſum Roſcium homicidii faciat reum: *Ejuſmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgò occiderentur*. Sic etiam à celeritate victoriæ Pompejum idem * commendat: *Tantum bellum, tàm diuturnum, tàm longè, lateque diſperſum; quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur; Cn. Pompejus extrema hyeme apparavit, ineunte verè ſuſcepit, media æſtate complevit*. Et Iphicrates apud Ariſtotelem * pro ſtatua ſibi erigenda contra Harmodium oſtendens, Temporis varietate ſibi non præjudicandum; arguit: *Si prinſquam hæc gererem, poſtulaſſem à vobis, ut mihi ſtatuam erigeretis, ſi ea confeciſſem; nonne eam mihi decreviſſetis? nunc, poſtquam confeci, non decernetis?*

pro Q. Roſcio. — *pro Lege Man.* — 2.*Rh.* 30.

Circunſtantias porrò Perſonarum à Tullio * enumeratas hoc apud Areſium * exhibet diſtichon: 1.*Inv.* *Art.Pred. l.c.*14.

Conſilium; Affectus; Natura; Oratio; Nomen;
Sors; Habitus; Victus; Studia; Facta; Caſus.

CONSILIUM ex Cicerone * eſt *aliquid faciendi, aut non faciendi, verè excogitata ratio*: comprehenditque præmeditationes, & finem, ad quem totam aliquis ſuam dirigit vitam; ut ſi ad gloriam aſpiret. In quo differt à fine, qui negotiis attribuitur; quatenùs hic finem actionis appellat peculiaris, de qua controvertitur; ille verò univerſalem vitæ finem conſiderat. Quò reduci poteſt munus politicæ vitæ à Cicerone * propoſitum; ex quo ejus profeſſores commendat ſic: *Ut gubernatori curſus ſecundus, Medico ſalus, Imperatori victoria; ſic huic moderatori Reipublicæ beata civium vita propoſita eſt; ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta ſit.* 1.*Inv.* *ad Att.l.* 8. *ep.*11.

1. *Inv.* *AFFECTUS* ex Tullii mente * eſt *animi, aut corporis, ex tempore aliqua de cauſa commutatio*; ut lætitia, cupiditas, metus, & hujuſmodi. Sic ex Erucii affectibus validè pro

pro Amer. ſua cauſa conjicit Tullius: * *Peroravit aliquando: aſſedit. Surrexi ego: reſpirare viſus eſt, quòd non alius potiùs diceret. Cœpi dicere. Uſque eò animadverti, eum jocari, atque alias res agere antequam Chryſogonum nominavi. Quem ſimulatque attigi, ſtatim homo ſe erexit: mirari viſus eſt. Intellexi, quid eum pupugiſſet: iterum, ac tertiò nominavi.*

1. *Inv.* *NATURA* nulla definitione explicatur à Tullio; * ſed tantùm * plures ejus numerantur partes: ait enim: *Naturā ipſam definire difficile eſt: partes autem ejus enumerare eas, quarum indigemus, faciliùs eſt.* Partes verò recenſet (ut ſummatim dicam) Patriam, Stirpem, Ætatem, Sexum, Cognatos, & quæcunque à Natura, ſive animæ, ſive corpori ſunt data. Hujuſmodi autem putantur in corpore Valetudo, Robur, Statura, Agilitas, Pulchritudo, & ſimilia, híſque contraria: atque in animo Habitus, quà boni, quà mali; ut Scientia, vel Ignavia, Virtutes, aut Vitia; cæteráque id genus, non ex tempore, ut affectus, erumpentia, ſed, quæ jam profundas in animo fixerint radices. Hinc (ut unum ſit pro cunctis exemplum) Dejotarum non ſaltaſſe, ſenem, qui puer ſeveriſsimus fuerat, evincit ex ætate Ci-

pro Dejot. cero: * *Dejotarum ſaltantem quiſquam, aut ebrium vidit unquam? Omnes ſunt in illo regiæ virtutes; quod te, Cæſar, ignorare non arbitror; ſed præcipuè ſingularis, & admiranda frugalitas: & ſi hoc verbo ſcio laudari Reges non ſolere. Hæc in illo eſt ab ineunte ætate, tùm à cuncta Aſia, tùm à Magiſtratibus, Legatiſque noſtris, tùm ab Equitibus Romanis, qui in Aſia negotiati ſunt, perſpecta, & cognita.*

ORATIO id importat, quod quis voce, ſcriptóve dixit, dicet, aut fuit dicturus: non quidem, quod extraxere tormenta, vel ad liberam criminis confeſſionem attinet in Judicio habitam; hæc enim extrinſeca reſpiciunt loca, de quibus infra: ſed, quod ſponte aliquando, aut uſu ad os, calamúnve ſæpè venit; vel in aliquo deveniſſet caſu. Ex qua circunſtantia, non modò perſonæ qualitas eruitur, cùm multos ſua manifeſtos faciat loquela: verùm & facta pro-

pro Mil. bantur. Undè ex Favonii dicto Tullius ſic * arguit: *Vos ex*

Fa-

Favonio audiſtis, vivo Clodio periturum Milonem triduo: poſt tertium diem geſta res eſt, quam dixerat. Cùm ille non dubitaret aperire, quid cogitaret; vos poteſtis dubitare, quid fecerit?

NOMEN, inquit Cicero,* eſt, *quod unicuique perſonæ datur; quo ſuo quæq; proprio, & certo vocabulo appellatur.* Re vera tamen diſtinguendũ putarem inter Nomen, quod primò perſonæ impoſitum, quid futurum ſit, veluti adumbrat myſterio; (ut inter loca ſuperiùs expoſita propoſuimus communem Rhetorum ſecuti diviſionem) & Nomen, quod ad perſonæ qualitatem aliquam deſignandam ſuperadditur. Hujus autem generis eſt, quo Antonius, & Ludovicus Caroli Magni fratres *Pii* ſunt appellati ob pietatem in ſubditos: & ob eradicatam Arianam hæreſim Alphonſus Petri Cantabriæ Ducis Filius eſt *Catholicus* cognominatus. Pro quibus omnibus eædem inſerviunt regulæ, quæ ſupra. 1. *Inv.*

SORS ea continet omnia, quæ bona, vel mala Fortunæ nuncupantur; cujuſmodi libertas, dignitas, divitiæ, & ſimilia; eiſque contraria. Ex hoc Chriſtianos hortatur S. Leo:* *Agnoſce, ò Chriſtiane, dignitatem tuã; & divinæ conſors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri converſatione redire. Memento, cujus capitis, & cujus corporis ſis membrum. Reminiſcere, quia erutus de poteſtate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum.* *Serm.* 1. *de Nat. Dom.*

HABITUS importat ex Tullio* *Animi, aut corporis conſtantem, & abſolutam aliqua in re perfectionem; ut virtutis, aut artis alicujus perceptionem, aut quamvis ſcientiam:* & conſequenter oppoſita quoque vitia complectitur; cùm eadem ſit contrariorum ratio. De virtutibus autem, aut vitiis eſt hic ſermo, quas non dedit natura, ſed induſtria, vel pravitas humana comparavit. Quo ex capite argumẽtatur Cicero,* ubi ait: *Dejotarum ſaltantem quiſquam, aut ebrium vidit unquam? omnes ſunt in illo regiæ virtutes: quod te, Cæſar, ignorare non arbitror;* &c. 1. *Inv.* *pro Dejot.*

VICTUS comprehendit Educationem, Amicitias, Converſationes, Vitæque inſtitutum. Quo loco utitur Cicero* inter alias rationes probans, Roſcio non poſſe tribui ob cupiditatem aliquam parricidium: *Luxuries igitur, hominem nimirùm, & æris alieni magnitudo, & indomitæ animi cupiditates* *pro Q. Roſc.*

ditates ad hoc ſcelus impulerunt? De luxuria purgavit Erucius cùm dixit, hunc, ne in convivio quidem ullo ferè interfuiſſe: nihil autem unquam debuit: cupiditates porrò quæ poſſunt eſſe in eo, qui ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disjuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta.

1. Inv. *STUDIUM*, ait Tullius,* *eſt animi aſſidua, & vehemens, ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio; ut Philoſophiæ, Poetices* &c. Hinc Seneca Lucilium ob intenſum ejus animi erga Philoſophiam ſtudiũ ex affectatę aſperitatis cultu ad humanam adducit converſationem ſic: *

Epiſt. 5. *Hoc primum Philoſophia promittit, ſenſum communem, humanitatem, congregationem: à qua profeſſione diſſimilitudo ſeparabit. Videamus, ne iſta, per quæ admirationem parare volumus, ridicula, & odioſa ſint. Nempè propoſitum noſtrũ eſt ſecundùm naturam vivere.*

FACTA, quid quis egerit, vel ſit, aut fuerit aliquando facturus, inſinuant; dummodò negotium excipiatur ipſum, de quo præcipua ſit controverſia; cùm hoc ad ſecundum, jam ſatis explicitum, negotiorum attributum reducatur. Ex operibus igitur, velut ex fructibus arbor, quiſque dignoſcitur; atque ex ejus cognitione plura ad rem Oratoriam

pro Mur. argumenta ducuntur. Sic Cicero * inquiric: *Si L. Catilina cum ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare, condemnaret L. Murenam: ſi interficere poſſet, occideret.* Ex quibus ab Oppoſitis infert, occidendũ, & condemnandum haud eſſe à Senatu, cui hoſtis erat infenſiſſimus Catilina.

CASUS ea continet, quæ cuipiam aliquando acciderint, vel quod modò quis fortè patiatur, aut ſit paſſurus præter rerum expectationem, aut ſeriem. Hinc argutiſſimè Cice-

pro Mil. ro * cùm dixerit, Milonem ſolum, ac penè inermem, invaſum à Clodio militibus, armiſque ſtipato; ſibi objicit, & reſpondet: *Cur igitur victus eſt?* (nempè Clodius) *quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur; quia, quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.*

RU-

RUDIMENTUM II.

De Locis Extrinſecis.

ALterum Locorum genus eſt eorum, quæ artis Expertia nuncupantur: non quòd eorum uſus abſque ſummo artificio obtineatur; ſed quòd Inventio extra rerum, de quibus agitur, viſcera ſe circumvolvens, apertè conſequentiam, de qua lis eſt, ſubminiſtrat. Eorum (inter explicationes, partitionéſque multiplices, ut, quæ clariores videntur, è non mediocris notæ præceptoribus congeram) vim totam ad unam redigam Auctoritatem. *Hæc ergo argumentatio* (ut cum Tullio * loquar) *quæ dicitur artis expers, in Teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua rẽ externa ſumitur ad faciendam fidem. Perſona autem non qualiſcunque Teſtimoniis habet põdus: ad faciendam enim fidem Auctoritas quæritur.* Auctoritatem verò cùm eodem in Humanam partior, & Divinam; de quibus nunc fuſiùs aliquantò. *Topic.*

DIVINA præcipuum Auctoritas habet locum: ex quo procul eliminet Ethnicorum ſuperſtitioſa religio veri prædictiones ex variis fruſtrà mendicantium obſervationibus. Quid illis tandem Oracula profuere? cùm vel de celeberrimo eo, quod Delphis audiebatur, ex idolo in adulatorẽ degenere dicendum cum Cicerone * fuerit, eum Philippizare: de omnibus verò cæteris, nihil ea ſincerè, nihil fideliter protuliſſe. Quid Vaticinia tot obſcuris ænigmatibus tecta; tot ambagibus involuta? Hìc, tribus fratribus Delphicum conſulentibus, audies: *Rex erit is, qui prima ſuæ dabit oſcula matri:* è quibus Junnius Brutus (qui cæteris videbatur ingenio tardior, & ineptior) matrem oſculatus omniũ, terrã, futuri regni ſpẽ ponet. Illìc deluſum intueberis Macedonem Philippum; &, cui monitum, ut à quadriga caveret, Pauſaniæ tandem gladio quadrigam habentẽ incifam manubrio ſanciatum. Tùm Neronem; qui certa, ut putabat, fide monitus, ut à ſolo caveret anno ſexageſimo tertio, priùſquam ad eam perveniſſet ætatem à Caligula totidem annis nato fuit occiſus. At omnium faceriſsimè irriſum excipies Alexandrum: Huic circumſeſſam deſpondit Civitatem Oraculum his verbis: *2. de Divinat.*

Dono

ditates ad hoc ſcelus impulerunt? De luxuria purgavit Erucium, cùm dixit, hunc, ne in convivio quidem ullo ferè interfuiſſe; nihil autem unquam debuit: cupiditates porrò quæ poſſunt eſſe in eo, qui ruri ſemper habitarit, & in agro colendo vixerit? quæ vita maximè disjuncta à cupiditate, & cum officio conjuncta.

I. Inv. *STUDIUM*, ait Tullius,* *eſt animi aſſidua, & vehemens, ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio; ut Philoſophiæ, Poetices* &c. Hinc Seneca Lucilium ob intenſum ejus animi erga Philoſophiam ſtudiū ex affectatę aſperitatis cultu ad humanam adducit converſationem ſic: *

Epiſt. 5. *Hoc primum Philoſophia promittit, ſenſum communem, humanitatem, congregationem: à qua profeſſione diſſimilitudo ſeparabit. Videamus, ne iſta, per quæ admirationem parare volumus, ridicula, & odioſa ſint. Nempè propoſitum noſtrū eſt ſecundùm naturam vivere.*

FACTA, quid quis egerit, vel ſit, aut fuerit aliquando facturus, inſinuant; dummodò negotium excipiatur ipſum, de quo præcipua ſit controverſia; cùm hoc ad ſecundum, jàm ſatis explicitum, negotiorum attributum reducatur. Ex operibus igitur, velut ex fructibus arbor, quiſque dignoſcitur; atque ex ejus cognitione plura ad rem Oratoriam argumenta ducuntur. Sic Cicero * inquirit: *Si L. Catilina*

pro Mur. *cum ſuo conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare; condemnaret L. Murenam: ſi interficere poſſet, occideret.* Ex quibus ab Oppoſitis infert, occidendū, & condemnandum haud eſſe à Senatu, cui hoſtis erat infenſiſſimus Catilina.

CASUS ea continet, quæ cuipiam aliquando acciderint, vel quod modò quis fortè patiatur, aut ſit paſſurus præter rerum expectationem, aut ſeriem. Hinc argutiſſimè Cicero * cūm dixerit, Milonem ſolum, ac penè inermem, in-

pro Mil. vaſum à Clodio militibus, armiſque ſtipato; ſibi objicit, & reſpondet: *Cur igitur victus eſt?* (nempè Clodius) *quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur; quia, quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros.*

RU-

RUDIMENTUM II.

De Locis Extrinſecis.

ALterum Locorum genus eſt eorum, quæ artis Expertia nuncupantur: non quòd eorum uſus abſque ſummo artificio obtineatur; ſed quòd Inventio extra rerum, de quibus agitur, viſcera ſe circumvolvens, apertè conſequentiam, de qua lis eſt, ſubminiſtrat. Eorum (inter explicationes, partitionéſque multiplices, ut, quæ clariores videntur, è non mediocris notæ præceptoribus congeram) vim totam ad unam redigam Auctoritatem. *Hæc ergo argumentatio* (ut cum Tullio * loquar) *quæ dicitur artis expers, in Teſtimonio poſita eſt. Teſtimonium autem nunc dicimus omne, quod ab aliqua rè externa ſumitur ad faciendam fidem. Perſona autem non qualiſcunque Teſtimoniis habet põdus: ad faciendam enim fidem Auctoritas quæritur.* Auctoritatem verò cùm eodem in Humanam partior, & Divinam: de quibus nunc fuſiùs aliquantò. Topic.

DIVINA præcipuum Auctoritas habet locum: ex quo procul eliminet Ethnicorum ſuperſtitioſa religio veri prædictiones ex variis fruſtrà mendicantium obſervationibus. Quid illis tandem Oracula profuere? cùm vel de celeberrimo eo, quod Delphis audiebatur, ex idolo in adulatorẽ degenere dicendum cum Cicerone * fuerit, eum Philippizare: de omnibus verò cæteris, nihil ea ſincerè, nihil fideliter protuliſſe. Quid Vaticinia tot obſcuris ænigmatibus tecta; tot ambagibus involuta? Hìc, tribus fratribus Delphicum conſulentibus, audies; *Rex erit is, qui prima ſuæ dabit oſcula matri:* è quibus Junnius Brutus (qui cæteris videbatur ingenio tardior, & ineptior) matrem oſculatus omniũ, terrã, futuri regni ſpẽ ponet. Illìc deluſum intueberis Macedonem Philippum; &, cui monitum, ut à quadriga caveret, Pauſaniæ tandem gladio quadrigam habente incisam manubrio ſauciatum. Tùm Neronem; qui certa, ut putabat, fide monitus, ut à ſolo caveret anno ſexageſimo tertio, priùſquam ad eam perveniſſet ætatem à Caligula totidem annis nato fuit occiſus. At omnium facetiſsimè irriſum excipies Alexandrum. Huic circumſeſſam deſpondit Civitatem Oraculum his verbis: 2. de Divinat.

Dem-

Deuictam, Macedo, tibi ſpondeo protinùs urbem;
Si mihi ſacrifices, qui primus ab urbe recedat.

Egreditur interim onuſtum lignis jumentum ſecutus ſimpliciſsimus ruſticus: protinúſque gladium nouus Sacerdos exerit litaturus. Quid ita verò? inquit ruſticus. Oraculum probè non intellexiſti. Quem ſequor, aſinus primus exiit. Aſinus igitur tuo Numini ſacrificetur. Quid porrò Somnia proſunt; quandoquidem teſte Quintiliano * *Somniorum, & ſuperſtitionum colores ipſa jam facilitate auctoritatem perdiderunt?* Quid Auſpicia? quibus obtemperaverit licèt Paulus, ut notat * Tullius; in Cannenſi tamen cum exercitu ſuo cecidit pugna: Cæſar verò monentibus, ne in Africam ante brumam transmitteret; quanvis morem non geſſerit haruſpicis; hoſtium tamen evaſit occurſum, & eò faciliùs navigavit, ac vicit. Una igitur, firma, erroris neſcia, aut doli, Summæ Veritatis Divina Auctoritas: quæ Facto, vel Dicto continetur.

inst.l.4.c.2.

2. de Divin.

Factum autem; ſive immediatè à Deo, ſive Dei nutu ab aliis procedat; ſignum eſt ejus, quæ rei ineſt bonitas, aut malitia: ſub quo etiam genere prodigia, ſeu miracula cōtinētur. Sic, quantū diſpliceat Deo ſuæ domus deſpectus, indè colligimus, quòd Chriſtus Dominus in neminem unquam, præter contaminantes Templum, propria diſsimulata manſuetudine, flagella adhibuerit: ac etiam pluribus miraculis, vel humana ab hiſtoria propoſitis, plura confirmamus. Pro quorum omnium uſu id monere ſufficiat è communi Logicorum effato; Concluſionem ſequi debiliorem partem. Quare, ut auctoritas ex Facto ſit ex omni parte infallibilis, debet eſſe infallibile, quòd Factum ipſum acciderit; ejuſque interpretatio non negabilis: ut cùm ſupradictæ ejectionis è Templo cauſa ex ejuſdem Redemptoris infertur verbis: * *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum meam domum negotiationis.* Undè non ſemper idem habet hic locus probandi robur.

Jo. 2. 16.

Dictum verò Divinum: vel eſt immediatè à Deo prolatum; ut, quòd Chriſtus nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi ſit futurus; quòd * ſuo nobis ore promiſit: vel eſt ab eo mediatè; quia ſcilicet id homines Deo aſſiſtente pronunciarunt; ſeu potiùs Deus eſt per hominum ora locutus. Vtrunque autem hoc Teſtimonium, vel exhibet Pu-

Mat. 24. 14.

blica Reuelatio, vel Privata. Poſterius hoc infallibilem nō infert conſequentiam; eoquòd in eo fides ſit penes homines, an verè id tale fuerit revelatum; cujuſmodi ſunt Revelationes S. Brigittæ, & quæ à pluribus Sanctis prophetico ſpiritu prædicuntur. Prius verò illud (quod eſt omninò infallibile) Canonici perhibent Sacræ Scripturæ libri; Canones, ſeu Definitiones Conciliorum OEcumenicorum; & Summi Pontificis aſſertum ex cathedra, Pontificia ſcilicet auctoritate, loquentis. *Ut enim* (verbis utar Divi Cypriani *) *par eſt Spiritui Sancto, & Chriſto Divinitas; ita in ſuis* *de Simpl. Prælat.* *inſtitutis æqua eſt Auctoritas, & poteſtas: nec minùs ratum eſt, quod dictante Spiritu Sancto Apoſtoli tradiderunt; quàm, quod ipſe tradidit.* In his autem explicandis non me ulteriùs extendam, ne Theologorum in meſſem falcem videar injicere: idque ſolummodò, quod ad multiplicem attinet Sacræ Scripturæ ſenſum, utpotè Conceptibus, quos vocant Prædicabiles, neceſſarium, mox enucleare licebit.

HUMANA interim Auctoritas eſt dividenda; quæ & ipſa quoque in Dicto reperitur, aut Facto; quæ verò in Dicto conſiſtit, aut Oratione exprimitur, aut ſcripto. Sed tamen aliundè petitam Humanæ Auctoritatis partitionem claritas exigit. Igitur, ut rem, quò valet diſtinctiùs, proſequar; aliam Juris; aliam Multitudinis; aliam verò Singulorum hominum dicam. Jus autem; quod *Poteſtas legitima* definitur *aliquid rationabiliter agendi, vel non agendi*; con- *lib. 2.* ſtat, ex auctore ad Herennium, * Natura; Lege; Conſuetune; Judicato; Æquo, bonóque; & Pacto. Multitudinis verò Auctoritas in iis, quæ Jus non conſtituunt, duas habet partes: nempè Adagia; & Famā, ſeu Rumorem. Singulorum denique Auctoritas ſub ſe habet Teſtes, Signa, Juſjurandum, Tormenta, Tabulas, & Clarorū hominum dicta. Jam de ſingulis.

SACRÆ SCRIPTURÆ ſenſum alium immediatè verba ſignificant; & dicitur Literalis: alium important res per ipſa verba ſignificatæ; & appellatur *Spiritualis*, ſeu Myſticus; fundatúrque in ſimilitudine. Hic & ipſe triplex eſt; videlicet Allegoricus; Moralis, ſeu Tropologicus; & Anagogicus. Moralis ille eſt, qui, quid agamus, detegit: ut cùm leproſis dixit Chriſtus: * *Ite, oſtendite vos Sacerdotibus*: in- *Luc. 17. 14.*

nuens, peccatorum lepram Sacramentali debere Confeſſione mundari. Allegoricus eſt ille, qui fidei revelat myſteria, quæ credamus : ut, quòd *Abraham duos filios habuit; unum*
ad Gal. 4. *de ancilla, alterum de libera*: revelat enim, teſte Divo Paulo,* diſcrimen inter vetus, novúmque teſtamentum. Anagogicus is eſt, qui ad ſuperna nos vocat, enucleátque, quid li-
Mat. 24. ceat ſperare: ut cùm dicitur : * *Beatus ille ſervus, quem, cùm venerit Dominus ejus, invenerit ſic facientem : amen dico vobis, quoniam ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*. Qui ſenſus omnes hoc diſticho clauduntur:

Litera geſta docet: quid credas Allegoria:
Moralis quid agas : quò tendas Anagogia.

Ex quibus Literalem; qui præcipuum inter alias probatio-
in 2.Corinth. 3. nes robur poſſidet; non ſemper intendit Scriptura, ut probat Nicolaus de Lyra * ex eo quòd *Litera occidit* : ut cùm dicitur Deus manum extendere; quòd Myſticè intelligendum eſt de Omnipotentia, cujus Symbolum eſt manus. Inter ſenſus verò Myſticos maximam habent vim, qui ſunt Literæ conformes, & innituntur Patrum Auctoritati, (cùm humana ſit horum interpretatio) vel aliis explicationibus communiter receptis: ut, quòd Leo Chriſtum ſignificet. Quòd ſi dura aliquantò videbitur occurrens Scripturæ explicatio, meliùs textu utemur tanquam exemplo, vel ſimilitudine; dicentes, exempli gratia, veluti Samſon Dalilæ captus amore in ligamina incidit hoſtilia, ſic Chriſtum humanæ captum naturæ charitate ſe ultrò militibus obtuliſſe vinciendum : non autem Chriſtum abſolutè Samſonē; humanam verò naturam Dalilam appellabimus.

Jam verò argumenta ex Divinæ Scripturæ ſenſibus hæc eruuntur præcipua. Primum, infallibiliter, & de fide ex duabus Literalibus propoſitionibus aliquid deducendo : ut
in Ev.h.38. cùm Divus Gregorius * argumentatur: *Quia enim per Prophetam Dominus dicit; cælum mihi ſedes eſt : & Salomon ait; anima juſti ſedes Sapientiæ: Paulus etiam dicit Chriſtū Dei virtutem, & Dei Sapientiam : aliquando colligere debemus, quòd, ſi Deus Sapientia, anima autem juſti ſedes Sapientiæ; dum cælum dicitur ſedes Dei, cælum ergo eſt anima juſti*. Secundam, etiam fide Divina firmam inferendo concluſionem ex altera Literali, & altera quocunque modo à

fide,

fide, licèt extra Scripturam, revelata. Tertiam, ex altera pariter Literali, altera tamen naturaliter evidente, vel probabili, probationes trahendo, quas Theologicas nominant; ſolam ſcilicet certitudinem naturalis partis ſecutas, licèt ad ſimilitudinem fidei obſcuras. Quartam denique, ex quibuſcunque Scripturæ auctoritatibus variè explicatis ab homine, cujus auctoritati innituntur, hauriendo concluſiones. Quorum omnium uſus, quò execrandiùs ab iis adhibetur, qui, ut ingenii oſtentent acumen, vel facetiis inſerviant, Dei verbum ad vanitates, falsiſque trahunt inſanias; eò turpiùs à Sacris negligitur Oratoribus: cùm tamen potiori jure, ac de ſua lege Juriſtæ, fateri deberet Chriſtiani: *Erubeſcimus dum ſine lege loquimur.* Vt enim monet Chryſoſtomus: *ſi quid dicitur ſine Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, interdū ſermonem, ut frivolū, averſans: verū cùm è Scriptura divinæ vocis prodit teſtimonium, & loquentis ſermonem, & auditoris animum confirmat.*

CONCEPTUS verò Scripturales efformandi duplex eſſe poteſt occaſio. Vel enim determinatā aliquam ſibi proponit Orator aſſertionem iis evincendam; vel ex eo, quod forte in Sriptura legit, argumento in Conceptus formam diſpoſito concluſionem, quæcunque ſequatur, eruere contendit.

Primum ut habeat, probaturus exempli cauſa, hominē venialia non curantem facilè in graviora diffluere; inquirat in Scriptura ope Concordantiæ dicta, quæ de parvis rebus loquuntur; ut ſunt *Modicum*, *Parvum*, & ſimilia: vel etiam percurrendo res ipſas, quæ in natura, vel arte minimæ ſunt, quærat verbum *Scintilla*, vel ejuſmodi. Hinc reperiet ex D. Paulo,* quòd *Modicum fermentum totam maſſam fermētat.* 1. Corinth. 6
Ex Regibus* verò: *Ecce nubecula parva, quaſi veſtigium hominis; cunque ſe verteret, ecce cœli contenebrati ſunt, & nubes, & ventus, & facta eſt pluvia grandis.* 3. Reg. 18.
Ex Iſaia autem de ſcelere ſui populi dicēte:* *Opus veſtrum tanquam ſcintillæ.* Iſ. 1. 31.
Quæ dicta duplicis ſunt generis: vel enim expreſsè aſſimilant id, de quo loquimur, rei cuipiam; ut in hoc poſtremo licet obſervare: vel cum duabus prioribus de re ſimili id prædicant, quod nos pro noſtra cauſa demonſtrare conamur. Undè pro iis, quæ primi ſunt generis, inquirendum, quo-

quomodo rei ſimili idem conveniat; putà magnum excitet parva ſcintilla incendium, ac notabile damnum inducat? Pro iis verò, quæ ſunt ſecundi generis, cùm habeatur jam effectus convenientia, reperienda ſimilitudo venialium cum fermento, vel nube. Jam verò, ut hæc inveniantur, revoluenda eſt Concordantia. Et pro prima quidem ſententia invenietur, in ſacris paginis peccatum aſſimilari fer-
1. Corinth. 3 mento: **Epulemur, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ*. Pro ſecunda, nubis voce peccatũ
Iſ. 44. etiam indicari: **Delevi ut nubes iniquitates tuas*. Pro tertia
Eccli. 11. 34. denique legimus: **A ſcintilla una augetur ignis*. En igitur tria argumenta, ſeu Scripturales Conceptus. Malitia fermento eſt ſimilis: igitur, quemadmodum fermentum, quãtumvis modicum, totam, cui immiſcetur, maſſam corrumpit; juncta ſimiliter venialia, quæ modica ſunt crimina, opera cuncta, ac bonitatẽ omnẽ, cui ſe ingerẽt, contaminabunt. Inſuper peccata aſſimilãtur nubi: igitur ad inſtar nubis, licèt parva videantur; dilatabuntur tamen, ac tempeſtates prægrandes ingenerabunt. Scintillæ denique comparantur: ſed, quæ minima videntur, ignem ceu ſcintilla augebunt; & ab eis peccator ad majora ſcelera pertranſibit. Quòd ſi hujuſmodi propoſitiones in Scriptura non reperiſſet, ad Concilia, vel alia ex ſupradictis locis fuiſſet ei recurrendum, eorum indices pervolvendo: vel ex aliis pluribus auctoritatibus, & Conceptibus deducenda nova fuiſſent argumenta, prædicatum idem, aut ſimile ſubjectũ, quod deerat, ſubminiſtrantia. Et quidem in caſu noſtro clara occurriſſent de ignis voracitate experimenta: rationes haud obſcurę ex ſumma caloris præ cæteris qualitatibus activitate, quæ ſumma & ipſa eſt in quolibet igniculo: ac
lib. 6. demum auctoritas Curtii; * ex quo *Parva ſæpè contempta ſcintilla magnum excitavit incendium*. Monendum denique, id ipſum fieri è converſo poſſe, aſſumpta priùs ex auctoritatibus, rationibus, hiſtoriis, cæteriſque locis aliqua propoſitione, & alteram deinde in Scriptura requirendo ad cõplementum probationis.

Secundum ut obtineat, ex aliqua Scripturæ ſententia, ſive fortuita Sacrorum Bibliorum lectione, ſive data opera, reperta Conceptum efformaturus; præter innumeros, quos

apud

apud expoſitores, & Patres licet invenire, tria conſiderabit; vocis ſcilicet ſignificationem; modum ſignificandi; & ſignificationis cauſam. Et quidem haud ignorandum, quod Baſilius, Chryſoſtomus, aliique ſimilis notæ Patres apud Areſium * obſervarunt; apicem, vel minimum, quemlibet Scripturæ excuti debere; cùm indè, acutæ ceu ſagittæ in manu potentis, excuſſorum filii, Conceptus inquam Scripturales, oriantur. Data igitur qualiber ſententia: vel eam totam, ſive quamlibet ejus partem Sacer conſiderabit Orator: vel cum aliis partibus, aut ſententiis eam conferet. Alterum ei multipliciter præſtare licebit. Et primò quidem verbis ſingulis, aut ſententiis, grammaticales omnes applicare poterit obſervationes: ut cùm inquirunt in illo * *Domine, tu mihi lavas pedes?* ſingularum vocum energiam: illudque * *Generationem ejus quis enarrabit?* obſervant, ſumi poſſe, tùm activè pro Verbo humanato nos generante per gratiam; tùm paſſivè pro ea, qua idem ineffabiliter à Patre procedit ut Deus, vel à Virgine eſt genitus ut homo. Secundò loca poterit adhibere Rhetorica ſupradicta; præſertim intrinſeca; ſcrutando, quo Topico uſa Scriptura ſit, & quare? Tertiò variis attendere Scripturæ verſionibus, ſenſibuſque myſticis; de quibus ſupra. Alterum verò habebit conſiderando, an propoſitiones, partéſve illarum, (quas invicem conferet) idem ſignificent, vel diverſa; vel inter ſe oppoſita videantur. Si enim idem ſignificant, obſervabit, quare repetantur? cùm repititio majorem addat vim; ut obſervant nonnulli expoſitores in illis Evangelii * verbis: *Gaviſi ſunt gaudio magno valde.* Si diverſa, adhuc ordini attendet præcedentiæ, ejúſque cauſæ: ut, quare dictû de Chriſto priùs fuerit, * quòd cœpit *facere*; deindè, quòd *docere*? vel, an pars aliqua ſit præcedentibus, aut potiùs ſubſequentibus conjungenda; quod in illo * *Quod factum eſt, in ipſo vita erat* inveſtigari ſolet circa voces, *in ipſo*. Si deniquè oppoſitæ videantur, variis conciliabit rationibus; undè novos ſemper reſultare Conceptus experietur.

Art. Pred l. 1. c. 18.

Jo. 12.

Iſ. 53. 8.

Mat. 2

Jo. 1.

NATURA Jus eſt dictamen rectæ rationis ab ipſamet Natura humanis inditum mentibus: quod, vel ſoli eſt inſitum homini; ut, alterum non lædere, colere Deum, & ſimilia: vel eſt homini commune cum brutis animantibus;

Ariſt. I. Rh. ut propriam tueri vitam. Eſt enim * quoddam juſtum, at-
28. que injuſtum Natura commune; quod omnium mentes oc-
cupavit, quanvis conſenſio nulla hominum intercesserit,
neque inter ſe pepigerint. Ab hoc loco infallibilis ſemper
eſt conſequentia; cùm immutabile ſit, nulláque diſpenſa-
pro Mil. bile auctoritate Jus Naturæ: quod ſic objicit Tullius; * *Eſt
enim, Judices, hæc non ſcripta, ſed innata lex: quam non
didicimus, accepimus, legimus: verùm ex Natura ipſa ar-
ripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed
facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus.* &c.

LEGIS nomine alterum Juris genus, quod Poſitivum
dicitur, importatur. Et hæc quidem alia Divina; quæ ad
jam expoſitam Divinam attinet auctoritatem: alia verò
humana; quæ ſcilicet à libero hominum ſtatuto duxit ori-
ginem; de qua præſens eſt ſermo. Ea porrò dividitur in
Canonicam, ſeu Eccleſiaſticam; & Politicam, ſeu Sæcu-
larem. Prior ab Eccleſia conſtituitur, ut habente in ordine
ſupernaturali à Deo ſibi conceſſam poteſtatem. Poſterior
verò ab hominibus liberè conſtituitur, ut habentibus intra
naturæ limites auctoritatem: quæ & ipſa dividitur in Jus
Gentium, & Jus Civile. Prius autem Theologis eſt id,
quod orbis initio ab omnibus gentibus, vel à primis pa-
rentibus conſtitutum, omnibus commune eſt; ut ea ſunt fe-
rè omnia, quæ ad convivendum homini, quà ſociabilis eſt,
conducunt. Poſterius verò peculiare reſpicit Regnum, aut
Civitatem; auctorénque Principem, aut Populorum ha-
bet conſenſum. Quod poſtremum duntaxat inter Leges
I. Rh. 28. & ad Alex. I. agnoſcit Civiles Ariſtoteles: * cui Legem in Communem,
& Propriam dividenti Propria eſt illa, quæ ad ſingulas
tantùm Civitates, aut nationes pertinet; quæ vel ſcripta
eſt, vel non ſcripta: ſcriptánque definit communem Civi-
tatis conſenſum; qui ſcriptis præceperit, quomodo unun-
quodque agendum ſit. Eique auctor conſonat ad Heren-
lib. 2. nium; * apud quem *Lege Jus eſt, quod populi juſſu ſancitum
eſt*. Ex his autem omnibus Legibus, quam ſuperior con-
didit poteſtas, nequit inferior caſſam reddere; benè ta-
men æqualis, aut præſtantior. Undè Legem aliquam alla-
turus Orator, ejus neceſſitatem, dignitaténque amplifi-
cabit; & oſtendet, eam nullis implicatam ambagibus,

ac

ac conſequenter omnibus obſervandam; nec licere cuipiã pro libitu Leges effringere; præſertim verò ſi coram Judicibus ſit Oratio; quos monere poteris, cuſtodes Legum eos eſſe juratos. Hinc Cicero: * [*pro Cluent.*] *Ut tibi concedam, hoc indignum eſſe: quod, cujuſmodi ſit, jam video: tu mihi concedas, neceſſe eſt, multò eſſe indignius, in ea Civitate, quæ legibus continetur, diſcedi à legibus: hoc enim vinculum eſt hujus dignitatis, qua fruimur in Republica: hoc fundamentum libertatis* &c. Idémque exemplo * [*1. Inv.*] hæc proponit: *Judices, qui ex lege jurati judicatis; legibus obtemperare debetis: obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi, quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini.*

Econtrà verò, ſi noſtram in Cauſam Lex urgeatur. Infirmari primò vis ejus poterit ad aliam, quæ majoris ſit ponderis, Legem confugiendo: undè, ſi quis * [*Ariſt. 1. Rh. 31.*] Scriptam Cauſæ ſuæ contrariam eſſe cognoverit; ad Communem ſe vertat. Quod his præſtitit Cicero, * [*pro Mil.*] omnem humanis præcludens Legibus aditum: *Eſt enim hæc non Scripta, ſed nata lex; quam non didicimus, accepimus, legimus; ſed ex Natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus:* &c. Secundò, quòd ſecum ipſa pugnet, oſtendendo: ut cùm Cicero, domum ſibi ereptam injuriâ, demonſtrat: * [*pro Domo ſua.*] *Quo jure; quo more; quo exemplo legem nominatim de capite civis indemnati tuliſti? vetant leges Sacratæ; vetant duodecim tabulæ, leges privatis hominibus irrogari.* Tertiò injuſtè latam evincendo: quod idem Orator tentat, * [*de Lege Clodia.*] ubi ait: *Quòd ſi per vim tuliſti? tandemne lex eſt? aut quidquam in re geſtum videri poteſt, quod per vim geſtum eſſe conſtat?* Quartò, res illas, ob quas lata fuit, non ampliùs perſeverare, monendo; Legem tamen adhuc immeritò ſervari; putà, ſi integra cauſa, ob quam ſancita fuit, extincta ſit; cùm legis adæquato fine ceſſante, Lex ceſſet. Ad quod illud * [*pro Rabir.*] tendit: *Quas tempora aliqua deſiderarunt leges, ut ita dicam, & temporibus ipſis notabiles eſſe video. Quæ in pace latæ ſunt, plerunque bellum abrogat; quæ in bello, pax. Ut in navis adminiſtratione, alia in ſecunda, alia in adverſa tempeſtate uſi ſunt. Hæc cùm ita natura diſtincta ſint; ex utro tandem genere videtur eſſe ea lex, quam abrogamus?* Quintò ſi Lex ipſa abrogata, retractatave ſit; aut de ea pro nobis diſpē-

ſatio

ſatio habeatur, ſive expreſſa, ſive interpretatione præſumpta. Cujuſmodi eſt exemplum, quod affert Tullius * pro
1. Inv. Epaminonda Thebanorum Imperatore; qui ſuccedenti ſibi ex Lege Prætori exercitum non tradidit; quo tamen paucos poſt dies Lacedemonas vicit: *Omnes Leges, Judices, ad commodum Reipublicæ referri oportet; et eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in literis eſt, interpretari. Eâ enim virtute, & ſapientia majores noſtri fuerunt, ut in Legibus ſcribendis, niſi utilitatem, & ſalutem Reipublicæ ſibi alind nihil proponerent: neque ipſi, quod obeſſet, ſcribere volebant; et ſi ſcripſiſſent, cùm eſſet intellectum, repudiatum iri Legem, intelligebant.* Sextò, ſi ambigua Lex eſt, ut quiſque torquere eam poſſit; videndo, quam in partem juſtū, atque æquum, utiléque conveniat; illáque utendo; (quod ad locum infra explicandum ſpectat de Æquo, & Bono) vel pro nobis favorabili interpretatione Conſuetudinem mox
l. 37. ff. de Leg. explicandam, quæ Juriſtis * eſt *Optima Legum interpres*, afferendo.

lib. 2. Conſuet. diſt. 1. CONSUETUDINE Jus * eſt id, quod ſine lege, æquè, ac ſi legitimum ſit, uſitatum eſt. Quod etiam clariùs explicari poteſt, ſi cum Juriſtis * dicatur *Jus quoddam frequentibus moribus conſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur*. Idque triplex totidem ex muneribus, quæ gerit, eſt: aliud quippe Præter legem vim habens novas condendi leges, & ſtatuta: aliud Secundùm legem, quod legem, ubi dubia eſt, interpretatur: aliud Contra legem priſtinæ legi, ſive toti, ſive quoad partem aliquam (etiamſi quamlibet futuram expreſsè Conſuetudinem excludenti) valens derogare: dūmodò Naturalem excipias, & Divinam, aut aliam quamlibet his innixam; cujuſmodi ſunt, quæ Eccleſiaſticam reſpiciunt immunitatem.

Ut verò Jus fundet, & locum argumento præſtet Conſuetudo, quinque exigit conditiones. Prima harum, ut ejus materia ſit apta, quæ, ſi Legiſlator aliquis vellet, materia poſſet legis evadere; ſítque proinde bona. *Si enim* (ait
1. Inſt. c. 11. rectè * Quintilianus:) *tantùm ex eo, quod plures faciunt, nomen accipiat, periculoſiſſimum dabit præceptum, non Orationi modò, ſed, quod majus eſt, vitæ. Igitur, & velli, & comam in gradus frangere, & in balneis perpotari, quamlibet*

hæc

hæc invaſerint civitatem, non erit Conſuetudo; quia nihil horum caret reprehenſione. Secunda, ut nemine cogente plena introducatur libertate, & animo legitimam inducendi Conſuetudinem. Tertiam, ut à majori ſaltèm illius communitatis introducatur parte, ad quam ejus pertinet obſervantia. Quarta, ut ſuperioris, qui legem in tali materia condere valeret, ſi vellet, habeatur conſenſus: qui, vel expreſſus eſt; ſi poſitiuè confirmet: vel tacitus; ſi ſciens, valénſque obſtare, diſſimulet: vel Juridicus, ſeu, ut alii loquuntur, via Præſcriptionis; ſi, neſciente licèt Principe, poſt certum tamen tempus ſervatæ ſemper Conſuetudinis Præſcriptio habetur; ad quam Jura conſentiunt, & conſequenter etiam ipſe cenſetur aſſentiri ſuperior. Quinta denique ad tempus, vel numerum ſpectans actuum, ut ſit longæva, atque oppoſitis actibus non interrupta. Quod poſtremum ut habeatur; aliqui ſpatium annorum decem univerſaliter exigunt; quadraginta verò pro ea, quæ contra legem eſt Canonicam, requirunt annos: alii tamen hæc limitant ad eas tantùm Conſuetudines, quæ Præſcriptionis introducuntur via; pro reliquis omnibus autem duos, aut tres communitatis actus autumant ſufficientes. Hæc omnia ſi ſervet Conſuetudo, eadem, qua lex, probandi vi pollet: harum ſi careat aliqua, vel ſi ſubſequenti lege fuerit à Legislatore ejus conſcio derogata, habet undè illegitima, ac proinde, nullius eſſe roboris, oſtendatur. Ea inter alia loca adverſarii invidiam tentat Cicero* *de leg. Agr.* cauſam his exorſus: *Commodiùs feciſſent Tribuni plebis, Quirites, ſi, quæ apud vos de me deferunt, ea coram potiùs me præſente dixiſſent: nam, & æquitatem veſtræ diſceptationis, & Conſuetudinem ſuperiorum, & jus ſuę poteſtatis retinuiſſent.*

JUDICATUM, quod ab aliis Præjudicium dicitur, eſt id, de quo ſententia lata eſt, aut decretum interpoſitum. Ubi noto, * de re eadem debere præceſſiſſe ſententiam; non de ſimili: ſi enim de ſimili, jam argumentum ex duplici deſumetur loco; intrinſecùs ſcilicet à Similitudine; extrinſecùs verò à Judicato. Uſus porrò præſentis loci iseſt, ut iis, qui ſententiam ferre debent, oſtendatur, pro nobis in eodem caſu viros probos (quorum proinde commenda- *Quint. inſt. l. 5. c. 2.*

 bimus

bimus auctoritatem) antea judicaſſe: vel etiam ipſoſmet, qui nunc ſunt judicaturi, eam aliàs tuliſſe ſententiam; nec conſequenter ſine injuſtitiæ, mutabilitatis, aut imprudentiæ nota contrarium poſſe decernere. Quæ præſertim in forenſibus valent judiciis; maximè, ſi à ſuperiore fuerit Præjudicium; quod nulla ii, apud quos agimus, auctoritate

pro Cluent. legitima valent immutare. Hinc Cicero: * *Qualis vir Juventius Pedo fuit ex vetere illa Judicum diſciplina? qualis L. Caulius? M. Baſilius? qui omnes in judiciis publicis jam tum florente Republica floruerunt. Ex eodem numero Lucius Caſſius, Cn. Navius, pari, & integritate, & prudentia. Quorũ nullius ſententia eſt Oppiniacus abſolutus.*

Infringitur autem ejus robur primò, ſi non ritè habitum oſtendatur; ſive defectu Judicum; ſive injuria teſtium; ſive non ſervata judicii forma; alióve ex capite. Quod Cice-

ibid. ro * ſic promittit: *Veruntamen multa iſta judicia, quæ ſunt? ego enim me ad omnia confirmavi; & ſic paravi, ut docerem, quæ facta poſtea judicia de illo judicio dicerentur; partim ruinæ ſimiliora, aut tempeſtati, quàm judicio, & diſceptationi fuiſſe; partim nihil contra Avitum valere; partim etiam pro hoc eſſe; partim eſſe ejuſmodi, ut neque appellata unquam judicia ſint, neque exiſtimata.* Quódque promiſerat, præſtitit Orator. Secundò, ſi variata ſit cauſa, ut, ſi eadem tunc fuiſſet, Præjudicium, vel nullum, vel certè iniquum extitiſſet: aut (quod in idẽ recidit) ſi alterius tunc criminis reus fuerit pronunciatus, quem modò defendimus. Undè Latinus Orator: * *At etiam Balbus eſt condemnatus.*

ibid. *Adde majeſtatis: ut intelligas, hoc judicium cum illo non eſſe conjunctum? At eſt hoc illi crimen objectum. Fateor: ſed etiam legionem ab eo ſollicitam in Illyrico L. Coſconii literis, & multorum teſtimoniis planum factum eſt; quod crimen erat proprium illius quæſtionis, & quæ res lege majeſtatis tenebatur. At hoc obfuit ei maximè. Jam iſta divinatio eſt.* Tertiò, cùm aliis non appareat modus, ſi conetur Orator ſuadere, nullam incurſuros notam; qui ratione ducti à ſe ipſis, aut aliis, anteactis temporibus haud cognita, ritè præjudicata retractent: eſt enim, non probi modò viri, ſed & ſapientis mutare conſilium; cùm præſertim plurimùm Præjudicia

inſt.l.5.c.2. ad iniquè judicandum conduxerint, ut monet * Quintilianus:

nus: non ſemel enim iniquè abſolutus Catilina, damnatus verò Rutilius.

ÆQUO, BONOQUE Jus eſt quoddam veluti legis ſupplementum: ut ubi lex, vel ambigua, vel nimis univerſalis cùm ſit, indefinita pro ſingulari remanet caſu, nec optatam aliqua perhibet Conſuetudo determinationem; oporteat juxta Æquum, quod ſcilicet juſtitiæ non opponitur, & Bonum, quod ſcilicet videtur communitati utile, judicare. Ejus proinde robur in eo conſiſtit, ut oſtendatur, legis interpretationi locum, procùl ab omni injuria, aut communitatis pernicie adeſſe; & æquitatem, communéque bonum nobis favere. Cujus exemplum his affert Ariſtoteles: * *Quare, ſi quis annulum ferreum habens elata manu quempiam percuſſerit, ex verbis legis ille reus eſt, & injuſtè facit; revera tamen non facit injuſtè.* Erant autem legis verba: *Ne quenquam ferro vulnerato.* 1. Rh. 29.

PACTO Jus eſt ex eo, * quod inter aliquos convenit. Cujus loci tanta eſt auctoritas; ut non modò legis ambiguitatem jure potiori, quàm æquum, bonúmque definiat; nováſque valeat ceu privatas leges (juſtitiæ dummodò ſervantes limites) inſtituere: verùm & aliquando humanæ legis robur infirmet; cùm ſcilicet lex eſt in favorem alterius ex convenientibus condita, qui Pactum habens, juri cedit ſuo. Undè meritò Conventionum firmitas ſolidum eſt Tullio * juſtitiæ fundamentum. Pactum objicit murmurantibus operariis eorum uni juſtiſſimus Paterfamilias * dicens: *Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum eſt, & vade.* Ut verò tanti Loci robur infringatur, ſufficit oſtendere, Pactum, ſive quia alteri ex convenientibus minimè liberum, ſive quia contra tertium, ſive alio quocunque ex capite fuiſſe injuſtum. Quod notat Cicero * fusè docens, quæ Pacta ſervanda ſint: *At ne illa quidem promiſſa ſervanda ſunt, quæ non iis ipſis utilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaetonti filio, facturum ſe, dixit, quidquid optaſſet: optavit, ut in currum patris tolleretur: ſublatus eſt inſanus; atque quà conſtitit, ictu fulminis deflagravit. Quantò melius fuerat, in hoc promiſſum patris non eſſe ſervatum?*

2. Heren. Inv. 2.

1. de Offic.

Mat. 20. 13.

3. de Offic.

ADAGIA deinde (ut ad Auctoritates Multitudinis Jus

minimè conſtituẽtes veniamus) diverſimodè expõnũt Rhetores. Quidam enim; ut Piccolomineus,* & Panigarola;* metaphoricam ſignificationem ad ea requirunt; ut ſi dicerem: *Ubi collis, ibi vallis*: ad denotandum, dignitatis cujuslibet celſitudinem ruinis eſſe, ac periculis affinem: undè Adagium communiter Proverbium, quaſi *præter verbum* appelletur. Alii verò; quos inter Alexander Rhetor, & Adagiorum auctor; metaphoram docent Adagii non eſſe neceſſarium conſtitutivum: undè Tullius * inquit: *Pares cum paribus communi Proverbio facillimè congregantur*. Inſuper præallati Panigarola, & Piccolomineus exigant pro Adagio ſententiam; ut ſcilicet Proverbium ſententioſum ſit, ac breviter docens, quid fugere, quid tenere debeamus. Id tamen requiri negant alii cum Areſio;* quibus ſubſcribo. Adagium ergo (quod à Græcis *Paræmia*, quaſi in via repertum, dicitur) ex Alexandri, & auctoris Adagiorum mente, Areſio præcitato, aliiſque probata, eſt *Celebre dictum ſcita quapiam novitate inſigne*; pluribus utique applicabile. Celebre, inquam, eſt dictum, ſeu populare, & commune: ſive quia ſolummodò penes plebem in uſu ſit, vel ab ea ſola ſit originem, applicationémve ſortitum; cujuſmodi illud eſt: *Bonum omnibus placet*: ſive quia à Sapientibus primùm adinventum, à pluribus indè exceptum, Multitudinis ſit auctoritate firmatum; ut illud: *Ne quid nimis*. Inſigne rurſus eſt novitate quapiam. Hanc verò nova modò comparatio, aut ſimilitudo, quà expreſſa, quà metaphorica detegit: ut illa: *Vento velocior*: *velut hortulani canis*: *Clavum clavo trudere*: &c. Modò dicentis ſententia, nova ſcilicet morum inſtructio, ſubminiſtrat: ut: *Amicus eſt alter ipſe*. Modò geſtum aliquod dat peregrinũ: ut illud ex Juvenale: *Lugdunenſis Rhetoris pallor*: quod lex ardua fundavit illis temporibus ibi vigens; qua victi literariis in ludis Oratores lingua delere jubebantur Orationẽ; cujus verecundiam veriti, ante quàm dicerent, ceu mortis pallore faciem armabant. Modò denique alius quicunque præbet laconiſmus, ſeu breve dictum aliquod, & ſignificatione quidem integrum; verbis tamen diminutum: ut illud è languente Evangelico * firmiter receptum: *Hominem non habeo*. Pluribus tandem, quod addidi, debet eſſe applicabile;

Digreſſ. 2. in c. 1. l. 3. Ariſt.
Com. 89. in Demetr.
de Seneƈt.
Art. pred. l. 3. c. 40.
Jo. 5.

cabile: quia, licèt ex peculiari aliqua determinatione duxerit initium; aptari tamen & cæteris ſimilibus valet Adagium. Hujuſmodi & illud eſt: *Carpathius leporem*: ex eo, teſte Julio Polluce,* ductum, quòd Carpathii propriam inſulam leporibus carentem indignati, par leporum eò cùm intuliſſent, multiplicatis nimiùm naturali fecunditate leporibus, agrorum omnium devaſtationem inemendabiliter deplorarint: quod tamen nunc de quolibet dicitur, qui propriæ domui aliquid, ceu profuturum, intulerit; quod tamen infenſum, ac noxium experiatur. *lib. 5.*

Vis porrò Adagiorum tota in populi auctoritate, & opinione conſiſtit: cùm aliò pertineat, an ſapiens ea primò protulerit: & ad formam, Elocutionémque ſpectet, an per modum ſententiæ, laconiſmi, metaphoræ, vel alterius formulæ proponantur. Undè dum Ariſtoteles * de Sententiis agit inter argumentorum loca, de iis putandus eſt agere, quatenùs auctoritatem, ſeu publicam faciunt, ſeu privatam. Enervatur verò ea vis omnibus iis ex capitibus, è quibus infirmari mox famam docebimus. Id tamen hic obſervabimus: * hoc tunc faciendum, cùm, vel is, qui dicit, ex ea re melior eſſe videbitur; vel aliqua commotus erit perturbatione: niſi enim Orator in ea re potiorem habeat, quàm populus fidem, temeritatis notam incurret: levitatíſque incidet in cenſuram, ſi abſque notabili motivo communia quæquæ dicta aſſumet refutanda. Cùm verò tanta non gaudet apud auditores æſtimatione, ut ſuum communi præponderet dicto; tunc omninò eſt Proverbii confutatio ratione firmanda. Sicque ex eodem Ariſtotele* exemplum: *Sed neque illud probo: Ne quid nimis: nam improbos homines ſupra modum odiſſe oportet.* *2. Rh. 28.* *Ariſt. ibid.* *ibid.*

FAMA, ſeu Rumor, eſt Sermo in ore hominum communiter reſonans de ſingulis, determinatiſque rebus, aut perſonis. In hoc enim Famam puto ab Adagiis poſſe diſcriminari; quòd, cùm utraque ſint commune Civitatis, aut populi Teſtimonium; Adagia tamen pluribus applicari queant; Fama verò non ita. Hæc porrò duplex eſt, Gravis ſcilicet, & Inanis. Gravis ea dicitur, quam certus, & gravis auctor protulit, prudentúmque conſtans opinio recepit. Inanis verò; ut loquitur Quintilianus; * *Sermo eſt* *inſt. l. 5. c. 3.*

ſine certo auctore diſperſus; cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas: quod nulli, etiam innocentiſſimo, non accidere poſſet fraude inimicorum falſa vulgantium. Hinc à

lib.2. Rumoribus, docente auctore ad Herennium, * argumentabimur, ſi negabimus, temerè famam naſci ſolere, quin ſubſit aliquid; & dicemus, cauſam non fuiſſe, quare quiſpiam confingeret, & comminiſceretur: & præterea, ſi, quamvis cæteri falſi ſoleant eſſe rumores; hunc tamen eſſe verũ,

Paneg.Traj. & gravem. Quod præſtat Junior Plinius* inquiens: *Cæſar, tales nos crede, qualis fama cujuſque eſt. Hìc aures, hìc oculos intende. Ne reſpitias clandeſtinas exiſtimationes, nulliſq; magis, quàm audientibus inſidiantes ſuſurros. Meliùs omnibus, quàm ſingulis creditur: ſinguli enim decipere, & decipi poſſunt: nemo omnes, neminem omnes fefellerunt.*

Contra Rumores verò dupliciter ex eodem auctore dicemus. Primò enim probabimus, nobis inimicos, aut natura malevolos, & maledicos homines id, quod fama divul-

pro Cælio. gat, confinxiſſe. Quod his habet Cicero: * *At fuit fama. Quotuſquiſque iſtam effugere poteſt in tam maledica Civitate? vicinum ejus mulieris miraris malè audiſſe, cujus frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit?* Secundò univerſè contra Inanem Famam arguemus ex ejus inconſtãtia, & mendacii periculis, quibus ſubeſt; cujus deinde generis eam eſſe oſtendemus Famam, quam refutamus.

pro Plancio Hinc idem Tullius: * *Nihil eſt autem tam volucre, quàm maledictum: nihil faciliùs emittitur: nihil citiùs excipitur: nihil latiùs diſſipatur. Neque ego, ſi fontem maledicti reperietis, ut negligatis, aut diſſimuletis, unquam poſtulabo. Sed, ſi quid ſine capite: aut, ſi quid erit hujuſmodi, ut non extet auctor, qui audierit; aut ita negligens vobis eſſe videbitur, ut undè audierit, oblitus ſit; aut ita levem habebit auctorem, ut memoria dignum non putarit: hujus illa vox vulgaris auditu, ne quid reo noceat, oramus.*

TESTES; quibus primum inter Singulares Auctoritates locum tribuimus; in duplici ſunt differentia teſte Ariſtotele.

1.Rh.31. * Aliqui enim antiqui ſunt, & præter cauſæ noſtræ agitationem veluti ſuppoſiti; quos ad Clarorum hominum dicta reducemus. Aliqui verò novi, & pro cauſa convenientes; qui ſcripto, aut voce præſentes aliquid teſtantur: cujuſmodi

modii ſunt, quos Judices acceſſiverunt. Inter omnia autem loci hujus Teſtimonia, ea præcipuam habent vim, quæ cõtra ſeipſum quiſque, aut in hominem ſibi charum, putà parentem, cognatum, amicúmve protulit: ut cùm Cicero * *pro Mil.*
ait: *Res erat minimè obſcura: etenim palàm dictitabat, Conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe. Significavit hoc ſæpè in Senatu; dixit in Concione. Quia etiam Fannio fortiſſimo viro quærenti ex eo, qua ſpe fureret Milone vivo? reſpondit, triduo illum, ad ſummum quatriduo periturum.* Rurſus & quæ pro adverſario liberè quis fatetur: vndè idem Tullius
* habet: *Quis huic rei teſtis? idem, qui acerrimus adverſarius. In hac re te; te inquam, Nævi, citabo.* &c. *pro Quinct.*
Inſuper ex omnibus ſolidius ii perhibent Teſtimonium, qui Teſtes sũt magis immediati: majorem nanque fidem habet, qui ſe aliquid oculis inſpexiſſe; quàm, qui, narrari tale geſtum, ſe audiviſſe teſtatur. Hinc prædictus Orator: * *Quid enim* *pro Archia.*
horum infirmari, Gracche, poteſt? Heracleæne eſſe eum adſcriptum negabis? Adeſt vir ſumma auctoritate, & religione, & fide, L. Lucullus; qui ſe, non opinari, ſed ſcire; non audiviſſe, ſed vidiſſe; non interfuiſſe, ſed egiſſe dicit. Denique (ut quibuslibet Teſtibus communes exponamus regulas) eorum vis exigit, ut benè morati, aut ſaltèm veraces audiãt, & rem polleant, de qua teſtantur. Undè * à Teſtibus dicemus ſecundùm auctoritatem, & vitam Teſtium, ac Teſtimoniorum conſtantiam. *Heren. l. 2.*
Quare Cicero * Verrem inſequens, *Verr. 1.*
Teſtes, antequam proponat, his exornat: *Scit is, qui eſt in Conſilio, C. Marcellus: ſcit is, quem adeſſe video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide, atque præſidio, Siculi maximè nituntur; quòd omninò Marcellorum nomini tota illa Provincia adjuncta eſt.*

Infirmatur verò Teſtium vis pluribus ex capitibus; quæ ad quinque redigam ab auctore ad Herennium * his adum- *lib. 2.*
brata: *Contra Teſtes vitæ turpitudinem: Teſtimoniorum inconſtantiam: ſi, aut non fieri potuiſſe dicemus, aut non factũ eſſe, quod dicunt: aut, ſcire illos non potuiſſe: aut cupidè dicere, & argumentari.* Primò nanque poſſumus oſtendere, Teſtes, aut mendaces, aut reliquis moribus pravos eſſe. Quod docet Cicero, dum Fonteji accuſatores Teſtes his in- *pro Font.*
cipit refutare: *Quid eſt igitur, ubi elucere poſſit prudentia, &*

ubi

ubi diſcerni ſtultus auditor, & credulus, ab religioſo, & ſapienti Judice? nimirùm, in quo ea, quæ dicuntur à Teſtibus, conjectura, & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto ſtudio æſtimationis bonæ, quanta cura, quanto timore dicuntur: quę deinde in adverſos applicat Teſtes. Secundò, eorum inter ſeſe cohærentia non eſſe Teſtimonia: præſertim ſi omnes circunſtantiæ examinentur. Undè pro

Marc. 14. Incarnatæ Sanctitatis innocentia notat Evangeliſta:* *Multi enim falſum teſtimonium dicebant adversùs eum: & convenientia teſtimonia non erant*. Tertiò, (quod Ariſtoteles* in-

1. Rh. 31. quit) judicium ex argumentis fieri debere; & hoc eſſe æquiſſima ſententia judicare: neque enim argumenta pecuniis depravari poſſunt, neque coargui ſolent, quòd mentiantur, & fallant: quo univerſim propoſito deveniatur ad arguendum ex quibuslibet Topicis, verum non eſſe,

pro Cæl. quod Teſtes aſſerunt. Hinc Tullius:* *Equidem vos abducam à teſtibus: neque hujus judicii veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam, quæ facillimè effingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri poteſt. Argumentis agemus: ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus: res cum re; cauſa cum cauſa; ratio cum ratione pugnabit*. Quartò, Teſtes rei illius, de qua teſtantur, in-

in Pſal. 63. v. 7. ſcios prorsùs eſſe, quia abſentes, vel alia ratione probabimus. Undè Divus Auguſtinus* refutat, & deridet Hebræos: *Quid eſt, quod dixiſti, ò infelix aſtutia? Tantumne deſeris lucem conſilii pietatis, & in profunda verſutiæ demergeris, ut hoc dicas: dicite quia vobis dormientibus venerunt diſcipuli ejus, & ſuſtulerunt eum? Dormientes teſtes adhibes? verè tu ipſe obdormiſti, qui ſcrutando talia defeciſti*. Quintò, cupidè eos dicere; vel quia de propria cauſa dicentes Teſtimonium; vel quia hoſtes eorum, contra quos teſtantur; vel quia ad id dicendum quocunque modo coacti: Teſtimonium enim eſſe debet* rei cognitæ voluntaria confeſſio. Undè Tullius* invehitur: *Hoc verò quid eſt? unà ſedent: ex accuſatorum ſubſelliis ſurgunt: non diſſimulant: non verentur. De ſubſelliis queror? Una ex domo prodeunt: ſi verbo titubaverint, quò revertantur, non habent.*

SI-

SIGNA Chirographa, ac ſubſcriptiones cujuſpiam; nec non & cujuslibet privatæ perſonæ ſigillum vocari ſolent. Quæ ſunt tacitus velut Teſtis; ac voluntaria contra ſeipſum, licèt muta, confeſſio: undè & ſolent hujuſmodi Signis addere inditia, quæ reus vultus, coloriſque præbet ſubita mutatione. Urgentur eodem artificio, quo prius teſtium genus, rei ſcilicet in ſeipſum: præſertim, verò ſi recognoſcenda reo tradantur, ut, an ſua ſint, fateatur. Hujus exempli, omnes quoque Signorum ſupradictas congerens ſpecies, ſit ex Cicerone: * *Introductus Statilius cognovit manum, & Signum ſuum; recitatæ ſunt tabulæ in eandem ferè ſententiam. Tùm oſtendi tabulas Lentulo, & quæſivi, cognoſceretne ſignum. Annuit. Est verò, inquam, Signum quidem notum, imago avi tui clariſſimi, qui amavit unicè patriam, & cives ſuos: quæ quidem te à tanto ſcelere, etiam muta, revocare debuit.* Et paulò infra: *At mihi quidem, Quirites, tùm illa certiſſima ſunt viſa argumenta, atque indicia ſceleris; tabellæ, ſigna, manus, denique uniuscujuſque confeſſio; tùm multò illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas. Sic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam inter ſe aſpiciebant; ut non jam ab aliis juditari, ſed ipſi à ſe viderentur.* Hinc inter Signa numerat Quintilianus * etiam inditia, & conjecturas quaslibet probabilitatem aliquam adducentes cauſæ: ut reſpectu homicidii ſunt cruenta veſtis, & clamor, & livor. Imò & Signa vocat cœleſtes obſervationes, & prognoſtica: ut ex his præſentis loci ſpeciebus arguiſſe videantur Areopagitæ, dum puerum quendam morte damnarunt, qui coturnicum oculos eruebat; quod inditium putabant eſſe perniciosiſſimæ mentis, multiſque malo futuræ, ſi adoleviſſet. Et Salomon infantis veram agnovit matrem: quòd illius diviſionem non paſſa, maluit, totum alteri dari infantem. Ejuſque generis inditium fuit infenſiſſimi in Eccleſiam animi futuri, quòd Apoſtata Julianus ſtercore luſtrales aquas fœdaverit adhuc infans. Confutantur verò Signa, ſi non rei ſint, ſed efficta, atque ſuppoſita: aut ſi vi, metu, fraudéve extorta demonſtrentur. Quibus & Tullius * utitur: *Cleomenem, & Navarchos ad ſe vocari jubet. Veniunt. Accuſat eos, quòd ejuſmodi de ſe ſermones habuerint; rogat, ut id facere deſiſtant, & in ſua*

in Catil. 3.

inſt. l. 5. c. 9.

in Verr. 7.

 quiſque

quiſque navi dicat, ſe tantum habuiſſe nautarum, quantum oportuerit; neque quenquam eſſe dimiſſum. Enimverò ſe oſtendunt, quod vellet, eſſe facturos. Iſte non procraſtinat: advocat amicos ſtatim: quærit ex his ſingillatim, quot quiſque nautas habuerit. Reſpondit unuſquiſque, ut erat præceptum. Iſte in tabulas refert: obſignat ſignis amicorum providens homo; ut contra hoc crimen, ſiquando opus eſſet, hac videlicet teſtificatione uteretur.

ad Alex. 17 JUSJURANDUM eſt, ut loquitur Ariſtoteles, * cum divina veneratione dictio: ejúſque vis major eſt, quàm alterius peculiaris hominum auctoritatis. Ut enim Tullius * notat: *Nullum vinculum ad aſtringendam fidem Jurejurando majores arctius eſſe voluerunt: id indicant ſacra, indicant leges in duodecim tabulis; indicant fœdera, quibus etiam cum hoſtibus devincitur fides.* Et nemo quidem adeò facilè credi impius poteſt, ut Deum, qui ſumma Veritas eſt, teſtem vocet mendacii: nemo tam audax, ut ſui criminis ſibi vindictam à ſupremo imprecari Numine non vereatur. Undè fit, eadem capita confirmandi ſimplicis Teſtimonii, Tormentorum, aut Tabularum; imò & cujuslibet alterius auctoritatis robur, multò magis pro Jurejurando valere. (*3. Offic.*)

Pſalm. 109. Hinc aſſeverantiam Juramento firmat Regius Pſaltes: * *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum.* Difficiliùs quoque hujus, quàm reliquarum auctoritatum vis ex infamia jurantis enervatur. Non enim quæque quis audet; nec quævis Infamia reum quempiam omnis criminis reddit: quidquid Laberius ſentiebat, cùm Jusjurandum eſſe dicebat *Emplaſtrum æris alieni.* Si tamen perjurus quis ſemel deprehendatur, ſemper pejeraturus non difficilè credi poteſt. Undè monet Cicero: * *Ubi ſemel quis pejeraverit, ei credi poſtea, etiamſi per plures Deos juret, non oportet.* Quin, ut verùm fatear, idem Romanæ præceptor Eloquentiæ * contra Jusjurandum à ſimplici argumentatur mendacio; ſed fortè conjecturaliter tantùm; ubi ait: *Qui mentiri ſolet, pejerare conſuevit. Quem ego, ut mentiatur inducere poſſum, ut pejeret exorare facilè potero. Nam, qui ſemel à veritate deflexit; hic non majore religione ad perjuriũ, quàm ad mendacium perduci conſuevit.* (*pro Rabir Poſth.*; *pro Roſc. Cõ.*)

inſt. l. 5. c. 4. TORMENTA cum Fabio,* Quæſtiones cum aliis appel-

lo

lo Teſtimonia quædam, (ut inquit * Ariſtoteles) quæ videntur ea de cauſa fidem facere, quia neceſſitas quædam eis ineſt; quas proinde Cicero * Neceſſitates vocat: quæ tùm à corporibus, tùm ab animis oriuntur. Et quidem, quæ corpora reſpiciunt, communiter ſolent Quæſtiones dici; quibus Judicum publica auctoritas uti conſuevit: cujuſmodi verbera, ignis, & ſimilia; quibus fatigati quæ dicunt, veritas ipſa dicere videtur. Animum verò quæ tangunt, perturbationes ejuſdem ſunt; dolor, cupiditas, iracundia, metus: quibus adduntur leuiores quædam Neceſſitates; putà pueritia, ſomnus, imprudentia, inſania, vinolentia; quibus veluti oppreſſa libertas animi non rarò perhibet, quidquid veri mens ſuggerit proferendum. Vis itaque Tormentis ineſt aliqua; licèt imbecillior libero Teſtimonio: quæ tamen ad eadem capita confirmandi, vel infringendi pertineat. Iis verò, quæ talem enervant vim, illud accedit, quo Orator evincit, plures impuliſſe Neceſſitatem ad falſum proferendum; plures item mori potiùs inter cruciatus, quàm verum aperire voluiſſe: proinde, neque Tormẽta pro accuſatoribus, neque pro reo patientium ſilentia quid probare: nam, ut Ariſtoteles * monet, vel verum occultant dolorem tolerantes; vel facilè mentiuntur, ut citiùs à cruciatu liberentur. Indè Magnus hoc etiam titulo Alexander Philotam, licèt crimen in equuleo confeſſum, non priùs tamen damnari juſſit, quàm intervallo temporis elapſo denuò confirmaſſet interrogatus criminis confeſſionem. Hoc denique refutationis Cicero * caput adhibuit ſic: *Quæſtiones nobis ſervorum, ac tormenta accuſator minitatur: in quibus quanquàm nihil periculi ſuſpicamur, tamen illa pericula gubernat dolor; moderatur natura cujuſque, tùm animi, tùm corporis; regit quæſitor; flectit libido; corrumpit ſpes; infirmat metus; ut in tot rerum anguſtiis nihil veritati loci relinquatur.*

1.*Rh.c.*31.

Topic.

1.*Rh.c.*31.

pro Sylla.

TABULÆ illius ſcriptum important Teſtimonium, cui publica aliquando auctoritas fidem ſancivit habendam. Hujuſmodi ſunt noſtri temporis Notariorum acta; quibus pactiones, & conventa, cæteræque omnigenæ ſtipulationes continentur: quibus accedunt & literæ publicæ Civitatis, Communitatiſve, aut Principis auctoritate firmatæ. Hæ

cun-

cunctæ fidem Tormentis potiorem aſtruunt ; & Teſtibus, ſi ea concurrant omnia, quæ pro Teſtibus requiſivimus. Quales enim, inquit Ariſtoteles,* fuerint, qui Tabulas ſcripſerint, aut aſſervarint ; talem etiam fidem habebunt ipſæ Tabulæ. Et univerſim, quod ad fidem eis addendam, vel adimendam ſpectat, nihil differt à Teſtium tractatione. Undè fit, ut ex antiquiorum majori integritate ætatum vetuſtiores Tabulæ potiori fide dignæ ut plurimùm habeantur. Ex quo Tertullianus * ſacras Tabulas profanis omnibus præhabēdas ſic probat: *Primùm inſtrumentis ipſis auctoritatem ſumma antiquitas vendicat. Apud vos quoque religionis eſt inſtar, fidem de temporibus aſſerere.* &c. Quòd ſi ea, quæ Teſtibus obſunt, etiam Tabulis objiciantur ; vel hæ nō reperiantur integræ ; ſed lituris ſcateant, aut mendis: fides iis facili adimitur negotio. Quæ omnia vera Tullius * oſtendit ; dum, & quarundam notat Tabularum ſuſpicionē; & Archiam ex illibatis A. Licinii Tabulis defendit: *At non eſt profeſſus ? imò verò iis tabulis profeſſus, quæ ſolæ ex illa profeſſione, Collegioque Prætorum obtinent publicarum tabularum auctoritatem. Nam cùm Appii tabulæ negligentiùs aſſervatæ dicerentur; Gabinii, quandiu incolumis fuit, levitas, poſt damnationem calamitas omnem tabularum fidem reſignaſſet : Metellus homo ſanctiſſimus, modeſtiſſimuſque omnium, tanta diligentia fuit; ut ad Lentulum Prætorem, & ad Judices venerit, & unius nominis litura ſe commotum eſſe dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomine A. Licinii videtis. Quæ cùm ita ſint : quid eſt, quod de ejus civitate dubitetis ?*

1. Rh. 3. — Apolog. l. 2. c. 9. — pro Arch.

CLARORUM hominum dicta ſoli innituntur ea proferentis auctoritati, abſque eo quòd per omniū ora percurrant, ut Adagia. Súntque hujus generis Poetarum, Sanctorúnque Patrum, aut Philoſophorum, vel aliorum aſſerta. At non id tamen legenti ſtatim ſit perſuaſum ; omnia, quæ magni auctores dixerint, eſſe perfecta. Nam, * & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorū voluptati : cùm Ciceroni dormitare interim Demoſthenes ; Horatio verò Homerus ipſe videatur. Modeſtè tamen, & circunſpecto judicio de magnis pronunciandum ſemper eſt viris ; ne, quod pleriſque accidit, damnent Zoili, quod non intelligunt; & * quæcunq; ignorant, blaſphement.

Quintil. inſt. l. 10. c. 1. — Judæ c. 10.

CA-

CAPUT II.

DE THEMATE, ET AFFECTIBUS.

PRopoſito ſibi, quodcunque auditoribus ſuadere debet Orator, expedit ei, ut præ omnibus ſuum eligat Thema. Thema autem illud voco principale argumentum, quod vim habet auditorum animos commovendi: ſemper enim ex proprio munere debet Orator aliquam animorum intendere motionem. *Sic* ex. g: B. Andream Avellinum è noſtri Ordinis fratribus laudaturus; ut insererem Concionis animis erga eundem devotionem; tribulatis utilitatem exponerem; quòd ſcilicet aliorum magis Andreas, quàm propriis ſemper indigentiis levamen attulerit. Poſſunt quoque plura congeri Themata ejus generis; quæ indè novo artificio inferiùs declarando in unicam redigantur propoſitionem. Quæ quidem Thematis adinventio non una ſemper incedit via. Ut enim de Scripturæ Conceptibus dixi; & hìc aliquandò certum nobis Thema ſtatuitur, ſolis attentis audientium, & Oratoris circunſtantiis; ac deinde res,& argumenta ſeliguntur: quod expeditè fit, ubi materia, de qua dicturi ſumus, eſt copioſa; putà cùm agitur de Ss. Euchariſtiæ Sacramento, de B. Virgine, &c. Quod & in ſcholis antiquitùs conſuetum docet Quintilianus: *ex quo, quæ verſarentur in cauſis, certa erant, & pauca, & ante declamationem exponebantur, *quæ Themata Græci vocant*, *Cicero Propoſita*. Aliquandò verò certæ res ſunt, circa quas omnes agi ſeries debet argumentorum, ut cùm defendendus quis eſt hujus determinati facinoris reus; vel hæc numero vita laudanda; vel hæc certa deliberatio ſuadenda. In hoc poſteriori caſu, cùm ſingulæ inveſtigantur res, ac partes, curandum, ut argumenta ex eis eruamus eò collimantia, quò excipientium animus propendet: quæ deinde, cùm de unitate propoſitionis, quomodo in unicum aggerantur aſſumptum, enucleabimus. In caſu verò priori totũ conſiderandum eſt Thema ſeu Effatum; ejúſque ſingula conſtitutiua objecta ſolertiùs inſpicienda: dabunt enim uberem argumentorum fructum, ſi cum Topicis, jam ex-

inſt.l.7.c.2.

expoſitis, eorum quodlibet conferatur. Undè, ſi propoſueris à levibus abſterrere peccatis, eò quòd magna cauſant damna; erit Thema: *Peccata, etiam parva, magni ſunt cauſa damni.* In quo ſi conſideres partes ſingulas, argumenta dabunt peccata, & parvitas, & magnitudo, & damnum: mò non argumenta duntaxat; ſed & eruditiones, & phraſes, præſertim metaphoricas: ut clariùs ſequenti capite, novam ſylvæ parandæ ideam daturi, proponemus.

Interim, cùm humana voluntas; quanvis debeat à ſola moveri ratione, appetitui verò imperare; ab hoc tamen haud rarò præoccupata difficillimè locum præbeat rationi: (neque enim * eodem modo de re aliqua judicamus cùm mœremus, & gaudemus; aut cùm diligimus, & odio habemus) optimo proinde ſunt Oratori tales expendendi Affectus; ut eorum veluti locutus idiomate, audiatur faciliùs, & Thema ſuam vim obtineat ſuadendi. *Quis enim*, ut Tullius * ait, *non fateatur; cùm ex omnibus Oratoris laudibus longè iſta ſit maxima, inflammare animos audientium, & quonam res poſtulet modo flectere; qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, defuiſſe?* Conſideret igitur, qui Affectus in iis, quos ſuadere cupit, prædominentur: ut, an quos optat à peccato retrahere, in iis Superbia, exempli cauſa, vel Avaritia; aut etiam ex virtutibus Gratitudo, ſimiliſve pervigeat. Deinde, quaſcunque adinvenire tentat ad ſuum obtinendum finem rationes, ipſúnque Thema, colliment, ut vitia, penè dixerim, ſanctificent, & virtuoſas inclinationes alliciant: putà viliſſimum oſtendendo, deſervire peccato: ſtultum, pro momentanea delectatione theſaurum amittere non deficientem in cœlis: atque indignū, tot acceptis à Deo beneficiis vicem rependere offenſionum. In cunctis tamen id cavendum, ne motivum ex ſui vi ad pravum inducat actum: ut ſi ſuperbo, ut ignoſcat ſuaderes; eo quòd longè majoris ipſe ſit gradus, & excellentiæ, quàm ut non ſpernere viliſſimum debeat inimicum: vel (quod ineptius aliquādò audivi occaſione illius divinę proteſtationis; *Mihi vindictam, & ego retribuā.*) ſuaderes offēſis; ut, ſi videre Divinā geſtiunt in offenſorem vindictam, ipſi ignoſcant. Ad affectuum igitur motionem, ut dirigam.

* Ariſt. 1. Rh. c. 5.

* in Bruto.

RV-

RUDIMENTUM I.

De Multiplici Bono, vel Malo.

OMnes affectus hominum, aut ad felicitatem, ejúſque partes aſſequendas; aut ad ea fugienda, quæ felicitatem impediunt, tendere docet Ariſtoteles. * *Eſt enim,* eo monente, *& privatim ſingulis, & publicè ferè omnibus finis quidam propoſitus; ad quem acies mentis dirigentes, omnia, vel expetunt, vel fugiunt; atque, ut in ſumma dicam, ea eſt felicitas, & partes ejus.* Quanvis autem felicitas pluribus à philoſophis quæſtionibus variis aſtruatur rebus: à Rhetore tamen, non tam, quæ ea ſit; quàm, quæ æſtimetur eſſe, debet conſiderari. Undè, ſiquis beatitudinem, in quo verè non invenitur, adeò poſuerint obſtinatè, ut vix ab errore valeant rationibus avocari; pateátque Oratori campus tale illud in thema aſſumendi, & pro dignitate exhibendi; id non relinquat. Huc artem direxit omnem ſui temporis eloquentiſſimus Cineas * pacem conatus ſuadere Pyrrho. Cùm enim Regem nova tentantem bella cognoviſſet; quid, inquit, nobis, ò Rex, ſi ſors de Romanis terra, marique ſemper invictis palmam elargiretur? Et reſpondente Pyrrho, facilem indè futuram; non modò de cuncta Italia; verùm etiam Carthagine, & Africa, ſubindéque de univerſo ferè mundo victoriam. At quid indè? inſtitit Orator. Et ille: quieſcemus indè, amico inquit ſubriſu, ſimúlque lætos ducentes dies aſſiduis collocutionibus, omnigeniſque ludis deliciabimur. Tunc argumento concluſit Cineas: ad hoc igitur tot labores, bellorúmque pericula; cùm idipſum jam modò obſtante nemine valeamus?

1. *Rh.* 15.

ap. Plut. in vita Pyrrhi.

Sciendum igitur, univerſè Bonum, (juxta cujus partitionem dividitur & Malum ei oppoſitum) vel eſſe Utile, vel Delectabile, vel Honeſtum. Utile quidem, ſi medium efficax ad bonum aliquem finem; ut pugna ad victoriam aſſequendam: undè Stoici nil boni præter honeſtatem prædicantes, nihil utile, niſi quod honeſtum; nihil inutile, niſi quod turpe, definiebant. Delectabile verò, ſi ipſummet finis ſit; quod tamen ſenſitivum alliciat appetitum; non materialem modò, qui viliſſimus eſt; verùm & ſpiritualem,

cui

expoſitis, eorum quodlibet conferatur. Undè, ſi propoſueris à levibus abſterrere peccatis, eò quòd magna cauſant damna; erit Thema: *Peccata, etiam parva, magni ſunt cauſa damni.* In quo ſi conſideres partes ſingulas, argumenta dabunt peccata, & parvitas, & magnitudo, & damnum: [immò] non argumenta duntaxat; ſed & ciuditiones, & phra[ſ]es, præſertim metaphoricas: ut clariùs ſequenti capite, novam ſylvæ parandæ ideam daturi, proponemus.

Interim, cùm humana voluntas; quanvis debeat à ſola moveri ratione, appetitui verò imperare; ab hoc tamen haud raro præoccupata difficillimè locum præbeat rationi: (neque enim * eodem modo de re aliqua judicamus cùm mœremus, & gaudemus; aut cùm diligimus, & odio habemus) optimo proinde ſunt Oratori tales expendendi Affectus; ut eorum veluti locutus idiomate, audiatur faciliùs, & Thema ſuam vim obtineat ſuadendi. *Quis enim*, ut Tullius * ait, *non fateatur; cùm ex omnibus Oratoris laudibus longè iſta ſit maxima, inſ[l]ammare animos audientium, & quonam res poſtulet modo flectere; qui hac virtute caruerit, id ei, quod maximum fuerit, deſ[u]iſſe?* Conſideret igitur, qui Affectus in iis, quos ſuadere cupit, prædominentur: ut, an quos optat à peccato retrahere, in iis Superbia, exempli cauſa, vel Avaritia; aut etiam ex virtutibus Gratitudo, ſimiliſve pervigeat. Deinde, quaſcunque adinvenire tentat ad ſuum obtinendum finem rationes, ipſúnque Thema, collinent, ut vitia, penè dixerim, ſanctificent, & virtuoſas inclinationes alliciant: putà viliſſimum oſtendendo, deſervire peccato: ſtultum, pro momentanea delectatione theſaurum amittere non deficientem in cœlis: atque indignũ, tot acceptis à Deo beneficiis vicem rependere offenſionum. In cunctis tamen id cavendum, ne motivum ex ſui vi ad pravum inducat actum: ut ſi ſuperbo, ut ignoſcat ſuaderes; eo quòd longè majoris ipſe ſit gradus, & excellentiæ, quàm ut non ſpernere viliſſimum debeat inimicum: vel (quod ineptius aliquãdò audivi occaſione illius divinę proteſtationis: *Mihi vindictam, & ego retribuã.*) ſuaderes offẽſis; ut, ſi videre Divinã geſtiunt in offenſorem vindictam, ipſi ignoſcant. Ad affectuum igitur motionem, ut dirigam.

Ariſt. 1. Rh. c. 5.

in Bruto.

RUDIMENTUM I.

De Multiplici Bono, vel Malo.

OMnes affectus hominum, aut ad felicitatem, ejúſque partes aſſequendas; aut ad ea fugienda, quæ felicitatem impediunt, tendere docet Ariſtoteles. * *Eſt* enim, eo monente, *& privatim ſingulis, & publicè ferè omnibus finis quidam propoſitus; ad quem acies mentis dirigentes, omnia, vel expetunt, vel fugiunt; atque, ut in ſumma dicam, ea eſt felicitas, & partes ejus.* Quanvis autem felicitas pluribus à philoſophis quæſtionibus variis aſtruatur rebus: à Rhetore tamen, non tam, quæ ea ſit; quàm, quæ æſtimetur eſſe, debet conſiderari. Undè, ſiquis beatitudinem, in quo verè non invenitur, adeò poſuerint obſtinatè, ut vix ab errore valeant rationibus avocari; pateátque Oratori campus tale illud in thema aſſumendi, & pro dignitate exhibendi; id non relinquat. Huc artem direxit omnem ſui temporis eloquentiſſimus Cineas * pacem conatus ſuadere Pyrrho. Cùm enim Regem nova tentantem bella cognoviſſet; quid, inquit, nobis, ò Rex, ſi ſors de Romanis terra, marique ſemper invictis palmam elargiretur? Et reſpondente Pyrrho, facilem indè futuram; non modò de cuncta Italia; verùm etiam Carthagine, & Africa, ſubindéque de univerſo ferè mundo victoriam. Atquid indè? inſtitit Orator. Et ille: quieſcemus indè, amico inquit ſubriſu, ſimúlque lætos ducentes dies aſſiduis collocutionibus, omnigeniſque ludis deliciabimur. Tunc argumento concluſit Cineas: ad hoc igitur tot labores, bellorúmque pericula; cùm idipſum jam modò obſtante nemine valeamus?

* 1. Rh. 15.
* ap. Plut. in vita Pyrrhi.

Sciendum igitur, univerſè Bonum, (juxta cujus partitionem dividitur & Malum ei oppoſitum) vel eſſe Utile, vel Delectabile, vel Honeſtum. Utile quidem, ſi medium efficax ad bonum aliquem finem; ut pugna ad victoriam aſſequendam: undè Stoici nil boni præter honeſtatem prædicantes, nihil utile, niſi quod honeſtum; nihil inutile, niſi quod turpe; definiebant. Delectabile verò, ſi ipſum met finis ſit; quod tamen ſenſitivum alliciat appetitum; non materialem modò, qui viliſſimus eſt; verùm & ſpiritualem,

cui ſuavitatem quandam ingerit conſiſtentem in quiete à cruciatibus deſideriorum. Honeſtum autem, ſi bonitas,quã habet ſibi congenitam, inſpiciatur : quod enim Bonum eſt, etiamſi à nemine appetatur,adhuc ſemper eſt Bonum.

Præterea, (ut quid de aliis minoribus Boni diviſionibus, quas fuſiùs explicat Ariſtoteles, * attingam) Bonum, vel publicum eſt, vel privatum. Utrunque verò, vel eſt Morale, quod eum, cui ineſt, benè moratum reddit: vel eſt Phyſicum. Et hoc quidem, vel Animæ; cujuſmodi ſunt acies intellectus, memoriæ fœcunditas, cæteráque ejus generis: vel Corporis; ut ſanitas, robur, pulchritudo.

1.Rh.ác.15.

Ad hæc autem Bona, & alia reducuntur. Conveniens enim eſt, quod alicui proportionatum; in tali ſcilicet circunſtantia reſpondens qualitati, ſexui, ætati, atavorum gloriæ, propriæ famæ, ac facinoribus anteactis. Laudabile ad Honeſtum, & Utile revocatur: eſt enim id, * quod conficit honeſtam, & præſentem, & ſequentem commemorationem. Juſtum ad Honeſtum pertinet. Et de cæteris pariter. Inſuper Carentia Mali ab Ariſtotele ad Bonum reducitur ejuſdem generis, cujus Malum eſt, à quo liberat. *Ego enim, & liberationem malorum; & eorum, quæ mala videntur; & minoris mali optionem pro majori, in bonis colloco: quonam enim modo ſunt expetenda.*

Heren. 3.

Ex omnibus autem Bonis ſimul ſumptis, & in ſupremo repertis gradu emergit Beatitudo, ſeu felicitas; quatenùs iis poſſeſſis ſiſteret humanarum motus cupiditatum, & cor in ſua quiete bearetur. Quoniam verò, quæ deſiderant homines, fluxa ſunt, ut nunquam poſſint præter amiſſionis metum acquiri; nemo ea propter omninò felix haberi poteſt in hoc mundo, quin ſua penitùs compeſcat, ac frænet deſideria. Undè beatior viſus eſt Diogenes nudus in dolio; quàm Alexander in ſolio coronatus. Cùmque Gyges * occupato Lydiæ regno, armis, & divitiis abundantiſſimo inflatus animo Apollinem Pyrrhium ſciſcitatum veniſſet, num mortalium aliquis ſe eſſet felicior; ex abdito ſacrarii ſpecu miſſa voce Aglaum Pſophidium ei prætulit Apollo: erat autem hic Arcadum pauperrimus; ſed, ætate jam ſenior, terminos agelli ſui nunquam exceſſerat, parvuli ruris fructibus contentus.

ex Valer. l. 7.c.1.

Por-

Porrò, cùm haud raró duo, plurave conferenda occurrant Bona; ut, quod alteri bonitate (idémque de malis dicito) præcellat, probetur, ac dignoſcatur; nonnulla, apud Ariſtotelem * ſparſa, per loca argumentorum univerſaliora diſtribuere nullo pacto ſuperfluum exiſtimabo. A locis igitur intrinſecis ut initium ducam. Partes, & Totum oſtendunt, quod generis eſt præſtantioris, etiamſi in eo genere minimum ſit, melius tamen eſſe quocunque inferiori ſub genere contento; ut quilibet Angelus eſt quocunque puro homine in naturæ dotibus excellentior: & rurſus, aggregatũ præcellere ſingulis quibuſque partibus illud cõſtituentibus. Nominis conjugatio id quoque valet oſtendere: quo enim pacto ex conjugatis, ſimilibúſque caſibus alia conſequuntur; ita & in præſenti: undè, ſi fortiter ſe gerere pulchrius, & magis expetendum eſt, quàm temperanter; etiam fortitudo magis erit expetenda, quàm temperantia. Similiter & id poſſet innuere Etymologia è re meliori deducta; aut alia quævis nominis conſideratio. Comparatio clariſſimè demonſtrat; meliora eſſe, quæ bonitate magis exuperant; eáque ſuperaddita melius ſubjectum reddere, quàm ſi eorũ vices Bonum aliud occuparet: undè melior eſt perfecta valetudo multis divitiis, quia feliciorem reddit hominis vitam. Relatio quoque evincit, quorum cupiditates meliores ſunt, ea quoque eſſe meliora; atque ideò correlatiuè, honeſtiorum, & meliorum rerum hóneſtiores eſſe, & meliores cupiditates: & quarum rerum ſcientiæ pulchriores, & exquiſitiores, ipſarum pariter eſſe objecta præſtantiora. Oppoſitio deſignat, id melius eſſe, quod eidem Malo magis opponitur, vel quod majori eximit Malo: undè ex oppoſitis infelicitati, melius eſt, nihil optare, quàm aliquid ex optatis, non tamen cuncta adipiſci; & vita melior divitiis, quia oppoſita morti, quæ eſt deterior paupertate. Circunſtantias deinde ut aliquas afferam: *Quis*, *& Quid*; Cauſa ſcilicet, & Effectus, docẽt, quæ cauſa sũt melioris rei; vel, quę à meliori cauſa procedũt, ea fore meliora; ut, ſi quod eſt ſalubre magis expetendum, quàm quod jucundum, certè valetudo voluptate major ſit. *Cur*, ſeu Finis, oſtendit, ſe meliorem eſſe mediis ad ſe conducentibus: ex mediis verò, id potius eſſe, quod, vel ad præſtantiorem, vel ſecuriùs, faciliciliI.

* 1. Rh. 16.

ciliúſque ad æqualem conducit finem; cùm ea ſit mediorũ natura, ut ſemper quatenus utilia, & ratione finis appetantur; cùm tamen finis, vel propter ſe tantùm expetatur; vel utique non ratione mediorum: quare vires corporis rebus omnibus ſalubribus præſtant; eæ nanque propter vires, hæ verò propter ſe expetuntur. *Quando*, ſeu Tempus, explicat, diuturna majora brevioribus eſſe; & incertioribus ſtabiliora. Atque, univerſim ut dicam, accidit, ut etiam occaſiones, ætates, loci, facultates, res magnas efficiant: ſi quid enim ſupra vires, & ſupra ætatem, aut opportunè geſtum fuerit; magnitudinem habebit, tùm in rebus honeſtis, tùm in jucundis, tùm in utilibus, aut contrariis. A locis denique extrinſecis docemur, quæ Natura dictat, meliora eſſe, talia reputanda; & quibus majores honores, potioráque præmia Jura concedunt, ea quoque expetibiliora; quemadmodum pejora putantur, quibus ſunt ignominiæ, pęnęque majores conſtitutæ: & quod prudentes homines, vel cuncti, vel plures, vel ex eis præſtantiſſimi, aut, ſi ſibi daretur optio, ſeligerent, aut quocunque modo melius fatentur; id eſſe tale neceſſe eſt; ut injuriam accipere potiùs, quàm inferre; melius nomen bonum, quàm multæ divitiæ; ac ſimilia. Quæ omnia percurriſſe tantùm Rudimentis hiſce ſufficiat.

RUDIMENTUM II.

De Natura Affectuum; & modo eos commovendi, vel ſedandi.

2. Rh. 2. SVnt, Ariſtoteli * ſi credimus, Affectus *Permotiones, quæ efficiunt, ut homines immutati non eodem modo de iiſdem rebus ſentiant*: ſive naturali habitu ſint concitatę; quæ dicuntur Ethicæ: ſive incidenter; & Pathethicæ nuncupantur; ut cùm apud Homerum Achilles, ſemper minax, circumventum ſe à fulmine gemit; aut cùm Mezentius, ſẽper crudelis; vel Turnum, ut ſe ſuſcipiat precatur; vel Æneam, ut ſibi tribuat ſepulturam. Duplicem quoque ex objecto humanus habet animus motionem juxta rerum duplex genus, quæ ipſi objiciuntur: Proſecutionis ſcilicet erga

ga bonum, & Fugæ à malo; quam ingenioſo naturæ myſterio Syſtolis, Diaſtoliſque cordi inſitæ viciſſitudines indicant, ceu refutantis, dum ſe dilatat; dum verò ſe coarctat; fibrarum veluti brachiis amplexantis. Verùm adhuc uterque motus triplex eſt. Vel enim ab intellectu objecti bonitas, aut malitia, præter reflexionem aliam primò voluntati proponitur: & huic bono adhærere Amor dicitur; à malo verò refugere Odium appellatur. Vel objectum, ut abſens agnoſcitur: & Deſiderium excitat, ſi ſit bonum; ſi verò noxium, Timorem. Vel ut præſens concipitur: & Lætitiam parit, aut Mœſtitiam. Quod triplex nobis caput erit, tùm horum, tùm aliorum, qui ad hos reducuntur, motuum, ſeduliorem inſtituendi tractationem: quandoquidem, Tullio * præcipiente: *Omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, penitùs pernoſcendi; quòd omnis vis, ratioque dicendi, in eorum, qui audiunt, motibus, aut ſedandis, aut excitandis exprimenda eſt.* 1. Orat.

Serpit igitur humanis in pectoribus jugis Amoris ſcintilla: atque tanto vix impetu, tantóque nexu, gravia recurrunt ad centrum, alta petit ignis, magneti adhæret ferrum, paleáſque devincit ſuccinum; quanto humani cordis Affectus bonum, vel apparens, proſequitur, amplexatur. Eſt itaque ex dictis Amor erga bonum inclinatio: quod vel proprium eſt, vel alienum. Et ad proprium quidem bonum propenſio Concupiſcentia dicitur; mala ut plurimùm affectio, ac vitioſa; cujus ſpecies Avaritia, quæ ad divitias impellit; Ambitio, quæ ad honores; & ſimiles aliæ à bonorum, quæ amantur, petitæ varietate. Ad alienum verò inclinatio Benevolentia dicitur; quæ vel eſt Gratitudo cauſam habens beneficiorum memoriam; vel Amicitia è ſola objecti bonitate ducens originem. Hanc explicat Ariſtoteles,* ubi ait: *Eſt igitur amare velle, alicui bona evenire; non ſua, ſed illius ipſius cauſa, quem diligit; & quantùm in eo eſt, efficere, ut illa veniant: amicus verò eſt, qui, & amat, & redamatur.* Nec minoris Odium eſt efficaciæ: naturalis enim viventium in cordibus viget horror mali: ea nanque vis eſt naturę; ut, quæ res alias aliarum arcana trahit rapacitate; ab aliis alias effrẹnata disjungat antipathia. Species verò Odii, ſint licèt re vera, quot Amo- 2. Rh. 5.

ris oppoſiti; nullæ tamen præter Inimicitiam; quæ averſio eſt à perſona quocunque modo infenſa, ſolent enumerari.

Ex Amore naſcitur Deſiderium, cujus perenni motu mortalium agitur cor; & angitur dilata ſæpiùs acquiſitione. Eſt autem Deſiderium appetitus ad bonum abſens, ſed aſſequibile, propenſio. Quæ, ſi unita eſt opinioni de facili rei appetitæ conſequibilitate; Spes eſt: ſi conjunctam habet cognitam obtentionis difficultatem; Audacia: ſi verò ſimul cum repræſentata certitudine quidquid deſideratur obtinendi reperitur, ſive facilè, ſive difficilè; Securitas eſt, ſeu confidentia. Rurſus, ſi Deſiderii objectum eſt propria ſupra alios excellentia propriis acquirenda meritis; Æmulatio conſurgit. Tandem Ira quædam eſt Deſiderii ſpecies,
2.Rh.3. quæ ab Ariſtotile * definitur *Libido cum dolore ſperatæ punitionis propter apparentem negligentiam, vel in ſe, vel in ſuorum quempiam contra id, quod oportebat.* Iraſcitur enim quiſquis ſe contemptum aliqua credit injuria; ſive quia injuſtum aliquod patiatur damnum; ſive quia ſibi violentia, impedimentum ſcilicet propriæ voluntatis, inferatur; ſive quia recipiat contumeliam; ſeu ignominiam ob alterius voluptatem: in quorum ſingulis, non tam malum attenditur illatum; quàm animus inferentis. His Timor opponitur contraria incedens via, & quibuſcunque obſiſtens Deſiderii ſpeciebus. Deſperatio verò, & Lenitas, quæ videntur aliquibus Timoris ſpecies, revera non ſunt; ſed pura quies à Deſiderio Iræ, vel Spei.

Exultat denique præcordiorum tripudiis animus, dum præſenti firmiter adhæret bono, quod amaverat: & Choreas agit, dum in ejus quieſcit poſſeſſione. Hinc, eo pro viribus impellente, modò florida venuſtas vultui, amœnúſque motus ori conciliatur; modò vox, totúnque corpus in gratulationes erumpit, & plauſus. Quinimò nimia temperamenti commotione; aut lachrymas exprimit; aut deliquium cauſat; aut etiam aliquando mortem inducit. Quod tamen ad amicos Lætitiæ pertinet effectus: non rarò ex ea Riſus ſequitur; qui vehementior eſt quædam oris, vultus, totiúſque corporis exultatio; non tamen immoderata, ut

Ca-

Cachinnus, Riſus ſcilicet in ore ſtultorum abundans. Torpet econtrà Mœrore, immanibúſque doloris pectinibus dirè laceratur animus, dum præſentibus vincitur malis, quà ſibi, quà ſuis, quos diligit, infenſis. Indè Verecundia; quæ * Ægritudo eſt animi, ac perturbatio in iis malis, quæ ignominiam, ac dedecus ferre videntur. Indè Miſeratio; 2.Rh.9. inquæ * Ægritudo eſt ex opinione, quòd ſiniſtra ſors, aut interitū, aut dolorem afferat ei, qui ea fortuna ſit indignus: 2.Rh.11. quam ægritudinem ſympathia quadam puto moveri indè excitata, quòd, qui miſeretur, eo ſe veluti malo premi imaginetur, & æquè doleat: undè Miſericordia vulgò Cōpaſſio nuncupatur. Indè etiam Invidia; quæ Ægritudo eſt ob alterius bonum, quo is invidente ſuperior appareat: quę inter pares ſępè verſatur, & propinquos, aut tempore, aut loco, aut ætate, aut gloria, aut profeſſione: ut enim vulgò * dicitur; *Vicinus invidere vicino ſolet, & figulus figulo.* Indè quoque Indignatio, gręcis Nemeſis appellata, Vindictę mater, & Miſerationis hoſtis infenſa; quę * Ægritudo 2.Rh.13. eſt, & dolor de proſpera alicujus fortuna, qui ea indignus 2.Rh.12. ſit; ſeu breuiùs, dolor de cujuſpiam proſperitate injuſtè obtentà: dolet enim quiſque bonę naturę, ac indolis, de omni eo, quod injuſtum eſt: *Quidquid autem*, inquit * Ariſtoteles, *præter dignitatem accidit, injuſtum eſt; atque hacde cauſa Dris etiam ipſis hoc attribuimus, ut indignentur.* ibid.

Igitur hi ſunt explicandi nobis peculiares Affectus: Amicitia ſcilicet; Gratitudo; Concupiſcentia, quam ne ſuſpectum infamet nomen, Amorem voco; Odium; Deſiderium; Spes; Audacia; Securitas; Æmulatio; Ira; Timor; Lætitia; Riſus; Mœror; Verecundia; Miſeratio; Invidia; Indignatio. Pro quibus noto univerſim, contrarios contrariorum ſuſcitatione ſedari.

AMICITIAM ingerit ex honeſtis, perſonę probitas, modeſtia, nobilitas, comitas, urbanitas, conſtantia, fidelitas: ex delectabilibus, in bonis, aduerſiſque conſortiū; morum, ſtudiorúnque ſimilitudo; innocens vultus amabilitas; facetię: ex utilibus verò nihil; utilitatem enim nullam vera reſpicit Amicitia. Utque exempla non deſint: arguit ab honeſtate Tullius: * *Quod ſi Adimi A. Cecinna Ci-* pro Cecinna

vitas lege potuiſſet; magis illam tamen rationem omnes boni quæreremus, quemadmodum ſpectatiſſimum, prudentiſſimumque hominem, ſummo conſilio, ſumma virtute, ſumma auctoritate domeſtica præditum, levatum injuria civem retinere poſſemus. A jucunditate verò ſic Plinius: * *Cujus latiſſima facies, & amabilis vultus, in omnium civium ore, oculis, & animo ſedet.*

Paneg Traj

Enervatur verò Amicitia ex amatæ perſonæ demerito; aut ſuſpicione infidelitatis, & incorreſpondentiæ ipſius amati. His falſam quorundam amicitiam reprehendit Seneca: * *Hæ ſunt amicitiæ, quas Temporarias populus appellat. Qui cauſa utilitatis aſſumptus eſt, tandiu placebit, quandiu utilis fuerit. Hac re florentes amicorum turba circumſedet: circa everſos ingens ſolitudo eſt; & indè amici fugiunt, undè probantur. Hac re iſta tot nefaria exempla ſunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentiũ. Neceſſe eſt, initia interſe, & exitus congruant. Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit; placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi ullum in illa placet pretium præter ipſam.*

Epiſt. 9.

GRATITUDINEM cauſat, recepti beneficii magnitudo: quod & augetur, ſi in ſumma fuit collatum neceſſitate; ſi nullo titulo debitum; ſi puro gratificandi præſtitum ſtudio; ſi cum præſtantis incommodo; ſi ſponte; ſi quocunque ex capite inexpectatum. Cujuſmodi affectum his captat Cicero: * *Eſt mihi jucunda in malis, & grata in dolore veſtro erga me voluntas: ſed eam, per Deos immortales quæſo, deponite; atque obliti ſalutis meæ, de vobis, ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem, ſi hæc conditio Conſulatus data eſt, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatuſque perferrem; feram, non ſolùm fortiter, verùm etiam libenter; dummodò meis laboribus vobis, populoque Romano dignitas, ſaluſque pariatur.*

in Catil. 4.

Contra Gratitudinem verò facit oſtendere, beneficium à conferente ob propriam utilitatem præſtitum vel fortuitò; vel ob neceſſitatem, & ægrè; cùm in re minori aliàs non ſubvenerit: vel, quòd ſolitus is ſit cuicunque talia facere, etiam inimico: vel, quòd in gratiam alterius interceſſoris, aut ſatisfacturus gratię pręacceptę contulerit: vel, quòd ſatis, ſupérque ei jam fuerit ſatisfactum. Rurſus beneficii

ficii conferi ipſius diminutio; eo quòd tanta minimè fuerit recipienti neceſſitas; aut tanti non momenti beneficiũ; aut non eo penitùs ablata indigentia; cùm tamen longè majori bono potuerit omnis prorsùs auferri. Inſuper, oſtendere, beneficium in recipientis perniciem degeneraſſe. Gratitudinem erga Rullum ob Agrariam legem excitatam his Cicero diſſipat: *Sic confirmo, Quirites, hac lege Agraria pulchra, atque populari, dari vobis nihil, condonari certis hominibus omnia: oſtentari pop. Rom. agros, eripi etiam libertatem: privatorum pecunias augeri, publicas exhauriri: denique, quòd eſt indigniſſimum, per Tribunum plebis, quem majores præſidem libertatis, cuſtodemque eſſe voluerunt, Reges in Civitate conſtitui.*

AMOREM, quem diximus Concupiſcentiæ, accendunt quæcunque honeſta, utilia, aut jucunda valent enumerari. Hìc tantùm addam ex generibus ſingulis exempla. Ab honeſtate nanque pro tribulationis amore Divus arguit Ambroſius: * *Pati pro Chriſto non datur, niſi amatoribus Chriſti: ſumma dignitas, & gratia illa eſt.* Ab utilitate jejunii Chryſoſtomus: * *Jejunium ſententiam Dei revocavit: dixit enim: ſubvertetur Ninive: & non eſt ſubverſa. Adhibuerunt enim jejunium, & effugerunt.* A delectabilitate verò divini amoris Regius arguit citharœdus, * *Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.*

in Epiſt. D. Pauli.
Serm. 1. de Jejun.
Pſalm. 33.

Extinguitur verò Amoris flamma, nullum ex ſuprarelatis bonis objecto ineſſe, probando: vel, Amorem ipſum pravum eſſe, oſtendendo; ſive quia infami notæ ſubjectũ; ſive quia ineptum, & puerilem; ſive quia diris legibus dura ſervitutis catena amãtes vinciẽtẽ, acutiſq; feriẽtẽ ſagittis; quod cum Odii coincidit excitatione. Hæc in terrenorum Amorem affert Ambroſius, ubi ait: *Laqueus eſt in auro, viſcus in argento, nexus in prædio, clavus in amore.*

ODIO ſtimulos adhibet quidquid auditoribus, eorúmve amicis, familiaribus, conſanguineis noxium eſt, turpe, aut injucundum: nec non & ſtudiorum, ſententiarúnque oppoſitio inimicitias fovens, & antipathias. Hinc Chryſoſtomus: * *Tantus eſt avaritiæ furor, ut hac Judam, & proditorem nequiſſimum, & ſacrilegum nefandiſſimum faciat. Audite hac omnes avari, qui graviſſimo Judæ morbo laboratis; &* *teter-*

in Mat. ho. 81.

in Ver. 5. *teterrimam hanc ægritudinem fugiatis.* Hinc etiam Tullius * in Verrem: *An tu majores ullas inimicitias putas eſſe, quàm contrarias hominum ſententias, ac diſſimilitudines ſtudiorum, & voluntatum? Fidem ſanctiſſimam in vita qui putat, poteſt ei inimicus non eſſe, qui Quæſtor Conſulem ſuum conſiliis cõmiſſis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis ſpoliare, relinquere, oppugnare auſus ſit?*

Frænum verò ponit Odio quidquid oſtendit, rem, vel nullum continere malum; vel certè, malam adeò non eſſe, ut apprehenditur. Quo, habita cõparatione ad majora, quæ confert bona, tribulationis Odiũ aufert Auguſtinus:
in Pſalm. 114. * *Flagellat omnem filium, quem recipit: nec tam amarum mihi debet eſſe, quòd flagellat; quàm dulce, quòd recipit.* Inſuper incommoda referre juvat, quæ Odium affert. Quod
16. de Verb. Dom. idem præſtat Africanus Doctor: * *Non poteſt autem fieri, ut, qui odit alterum, non ſibi priùs noceat. Illum enim lædere conatur extrinſecùs; ſe vaſtat intrinſecùs. Quantùm autem animus noſter corpore major eſt, tantùm ei proſpicere debemus, ne ipſe lædatur. Lædit autem animum ſuum, qui odit alterum.*

DESIDERIO generaliter impellitur affectus exageratione boni propoſiti, ut aſſequibilis: ad quod tamen non parùm confert laus perſonæ, quæ ad Deſiderium incitatur; cui bonum illud aptum, & conveniens oſtendatur. His u-
lib. 9. trunque conatur apud Curtium * Magnus Alexander ſuos affatus milites: *Veſtras manus intueor; veſtram virtutem rerum, quas geſturus ſum, vadem, prædemque habeo.* Et poſt pauca: *Majora ſunt periculis præmia. Dives eadem, & imbecillis eſt regio. Itaque, non tam ad gloriam vos duco, quàm ad prædam. Digni eſtis, qui opes, quas illud mare littoribus invehit, referatis in patriam.*

Siſtit verò Deſiderium, ſive objecti detecta contemptibilitas, ſimul cum laude perſonæ, cui talia cupere indignum: ſive Deſideriorum pernicies, & incommodum: ſive in cohibendis cupiditatibus ſola felicitas; cùm optantes ob inexplebilitatem Deſideriorum ſemper maneant in
Epiſt. 119. cruciatu. A duobus poſtremis capitibus Seneca * ſic arguit: *Nunquam parum eſt, quod ſatis eſt: nunquam multum eſt, quòd ſatis non eſt. Poſt Darium, & Indos pauper eſt*

Ale-

Alexander Macedo: quærit, quod ſuum faciat: ſcrutatur maria ignota: in Oceanum claſſes mittit novas: &, ut ita dicam, mundi clauſtra perrumpit. Quod naturæ ſatis eſt, homini non eſt. Inventus eſt, qui concupiſceret aliquid poſt omnia. Tanta eſt cæcitas mentium; & tanta initiorum ſuorum unicuique, cùm proceſſerit, oblivio. Ille modò ignobilis anguli non ſine controverſia dominus, de tanto fine terrarum per ſuum rediturus orbem triſtis eſt. &c.

SPE, præterea excitatur præmium laboribus excellentius exhibendo; ac facilitatem rei ſperandæ, quà præſidiis, quà induſtriæ, quà, tùm animi, tùm corporis robori, quà amicorum multitudini, quà adverſantium imbecillitati, quà demum ejus, à quo obtineri debet, innixam benignitati. Quorum plura Cicero* proponit ad ſpem libertatis ingerendam, ubi ait: *Ad ea autem præſidia, quæ habemus, jam accedunt Conſules ſumma prudentia, virtute, concordia, multos menſes de populi Romani libertate commentati, atque meditati. His auctoribus, ac ducibus; Diis juvantibus; nobis vigilantibus, & multùm in poſterum providentibus; populo Romano conſentiente; erimus profectò liberi brevi tempore. Jucundiorem autem facit libertatem ſervitutis recordatio.* *Philip. 3.*

AUDACIAM infert difficultatum modis omnibus ſupradictis extenuatio: quarum ſi pars aliqua jam ſuperata remanet, non parùm reddit Audacem. Nec non etiam facit prædictorum ad ſpem, deſideriúmque excitandum major elatio: ac neceſſitas pariter, quæ Audacem animum urget. Cujuſmodi eſt, quod ſuis Annibal exhibet, inquiens: *Neſcio, an majora vincula, majoreſque neceſſitates vobis, quàm captivis veſtris fortuna circundederit. Dextra, lævaque duo maria claudunt. Nullam, ne ad effugium quidem, navem habentibus hìc vobis vincendum, aut moriendum.*

SECURITAS inſuper conſiſtit omnem penitùs expellendo timorem: ſive quia auxilia multa, magnáque præſtò ſint: ſive quia adverſarii, aut nulli, aut certò nullius virtutis. His ſuadebat Sauli David, ſe certè Goliath occiſurum:* *Nam & leonem, & urſum interfeci ego ſervus tuus: erit igitur & Philiſthæus hic incircumciſus quaſi unus ex eis. Nunc vadam, & auferam opprobrium populi: quoniam quis eſt iſte Philiſthæus incircumciſus, qui auſus eſt maledicere exercitui* *1. Reg. 17.*

Dei viventis? Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu urſi, ipſe me liberabit de manu Philiſthæi hujus.

Comprimitur verò Audacia, Spes obruitur, & Securitas cuncta vacillat (præter ea, quæ contra deſiderium) etiam Deſperatione; quam ingerit multitudo periculorum; rei inſuperabilis difficultas; propriarum imbecillitas virium; ac fortunæ, rerúnque inconſtantia, cui minimè innitendũ. Fame laborantem urbem, ac ſubſidium omne deſperantem

Declam. 12. ſic Quintilianus * exponit: *Auras captamus; rore veſcimur; & jam ſperare tormentum eſt. Quoties ſole percuſſæ nubes effulſit; navem putamus: quoties fractus vento fluctus incanuit; vela interpretamur. O mobiles miſerorum ſpes! ad unaquæque ſolatia ab unoquoque quomodo nutant!*

ÆMULATIO ſuccenditur modis omnibus ſupradictis pro ſpe, audacia, & deſiderio: quibus oſtendetur, quàm ſpecioſum gloriæ, utilitatiſve præmiũ is, ad cujus æmulationem impellimus, fuerit conſecutus: & comparatio in omnibus inter utrúnque habebitur. Hinc Divus Paulus * ait:

1. *Corinth.* 14. *Sectamini charitatem; æmulamini ſpiritalia: magis autem, ut prophetetis. Qui enim loquitur lingua, non hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit. Spiritu autem loquitur myſteria: nam qui prophetat, hominibus loquitur ad ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam Dei ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis; magis autem prophetare. Nam major eſt, qui prophetat, quàm qui loquitur linguis.* Quibus ob prædicationis ſupra linguarum genera excellentiam ad illius potiùs, quàm hujus accendit Æmulationem.

Tepeſcit tamen Æmulatio, quà rerum, quà perſonarum, erga quas eſt, quà etiam laudis, & gloriæ, ad quam æmulator aſpirat, contemptu. Hic autem ex eo naſcitur, quòd, vel inutiles ſint; vel cruciatibus ſcateant; vel ſui, aut etiam mediorum improbitate fœdentur; aut certè vulgares adeò ſint, & ſine merito valeant obtineri, ut perinde nullam ſpeciem tanto appetibilis conatu bonitatis oſtentent. Indè ſe

Orat. divitias, fortunáſque non æmulari probat Cicero: * *Neque me divitiæ movent; quibus omnes Africanos, & Lælios multi venalitii, & mercatores ſuperarunt: neque veſtis, aut au-*

rum

rum cælatum; quo veteres Marcellos, Maximoſque multi Eunuchi e Syria, Ægyptoque vicerunt &c.

IRA ſuccenditur, tùm in punitionis deſiderium, audaciam, ſpem, & ſecuritatem inducendo: tùm etiam repræſentando cuipiam, ſe talem paſſum injuriam ab eo, qui inferioris erat conditionis; (creſcit enim offenſa ad diſparitatis menſuram inter eum, qui recipit, & qui facit) vel, qui multum ſibi debebat: vel certè cauſam non habuit contemnendi; vel erat ſibi amicus; vel antea conſueverat honorare; nunc verò, non ſolùm læſerit, ſed & ob hoc ſe jactet, & gaudeat, & inſoleſcat. Inſuper repræſentando, coràm iis receptam offenſam, à quibus offenſus, vel æſtimabatur, vel æſtimari optabat; vel quos æmulatur. Ex horum aliquot capitibus Deum ad juſtam in ſuperbos provocat Iram Regius Pſaltes: * *Exaltare qui judicas terram: redde retributionem ſuperbis. Uſquequò peccatores, Domine: uſquequò peccatores gloriabuntur: effabuntur, & loquentur iniquitatem: loquentur omnes, qui operantur injuſtitiam? Populum tuum, Domine, humiliaverunt: & hæreditatem tuam vexaverunt. Viduas, & advenas interfecerunt: & pupillos occiderunt. Et dixerunt non videbit Dominus: nec intelliget Deus Jacob.* *Pſalm. 93.*

Friget verò Lenitate, & Clementia; quam excitat inviolabilis objecta poteſtas ejus, qui iraſcebatur; aut depoſita contemptus ſuſpicio; aut humilis criminis confeſſio, remiſſioniſque deprecatio; aut ſatis ſupra crimen exhibita ſatisfactio; aut reſponſio quæque mollis; aut amoris in læſum blanda ſignificatio. Inſuper Iræ pernicies in ipſum, qui iraſcitur; vel ejuſdem vitii, ob quod iraſcitur, in ipſomet oſtenſum prędominium; vel quęvis excuſatio criminis. Et hoc ſive quòd lędens injuriam priùs receperit, quàm intulerit; ſive quòd minorem, quàm acceperat, vicem rependerit; ſive quòd verè non neglexerit, ſed invitus, aut ignorãs id tale egerit; atque id ipſum in ſemet, ſuóſque intimiores ſoleat patrare, quos minimè contemnit. Unicum ex tot capitibus illud exemplo fulciatur, quod communius eſt; quódque pronis ad Iram hominibus opponit Seneca: * *Ad conditionem rerum humanarum reſpiciendum eſt, ut omnium accidentium æqui judices ſimus: iniquus autem eſt, qui com-* *3. de Ira c. 26.*

 mune

mune vitium ſingulis objecit. Quid lenioribus verbis ulcus publicum abſcondo? Omnes mali ſumus. Quidquid itaque in alio reprehenditur, id unuſquiſque in ſinu ſuo inveniet. Ille mihi jam nocuit: ego illi nondum? ſed jam aliquem fortè læſiſti; ſed lædes.

TIMOR incutitur mali tùm magnitudine, tùm imminentia. Imminens autem erit malum, ſi ejus ſigna, & præambula jam praſtò ſint: ſi ille, à quo timetur, ſit ſolitus ſimilia facere, & homo perditus; nec majora inferre melioribus mala ſit veritus: ſi injuriam aliquam ab eo, cui Timorem facimus, receperit; viréſque jam ſit adeptus ulciſcendi. Sic Cicero: * *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint? Illa peſtis immanis, importuna, Catilinæ prorumpet, quà poterit. Et jam populo Romano minatur. In agros ſuburbanos repentè advolabit; verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas; omni autem in ſede, ac loco ferrum, flammanque metuemus.*

pro Mur.

Excutitur verò, tùm bonæ conſideratione conſcientiæ; tùm malorum quorumlibet extenuatione; tùm ſiniſtri eventus in dubium revocatione; tùm crebra præmeditatione malorum; (quandoquidem *jacula prævifa minùs feriunt*) tùm demum oſtendendo, quàm ſit pernicioſus animis Timor, qui, vel ante miſeriam ipſam, miſeros reddit. Præbeat hoc Seneca * exemplum: *Plura ſunt, quæ nos terrent, quàm, quæ premunt: & ſæpiùs opinione, quàm re, laboramus. Illud tibi præcipio; ne ſis miſer ante tempus; cùm illa, quæ velut imminentia expaviſti, fortaſſe nunquam ventura ſint, certè nondum venerint.*

Epiſt. 110.

LÆTITIA excitatur, tùm boni poſſeſſi repræſentata magnitudine; tùm poſſeſſionis ipſius ſecuritate firmata. Bonum autem auget, ſive conſideratio mali, quod eliminat; ſive ipſius boni ſecundum ſe auctio è Topicis ducta. Ex omnibus his tribus capitibus Cicero * proprii Lætitiam animi Reipublicæ communicat, cùm orditur: *Tandem aliquãdo Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis, atque huic Urbi ferrum, flammanque minitantem; ex Urbe, vel ejecimus, vel emiſimus; vel ipſum egredientem Urbe proſecuti ſumus. Abiit,*

In Catil. 2.

exceſſit, evaſit, erupit. Nulla jam pernicies à monſtro illo, atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur.

Reprimitur verò rei minuendo bonitatem juxta regulas; ſuperiùs, cùm de Amore, & Deſiderio, traditas: necnon & mundanarum rerum volubilitatem exhibendo; & nimiũ laborem ob comparationem fugacium adeò bonorum impenſum. Quæ ſic brevibus Auguſtinus * claudit: *Lętitia ſęculi vanitas eſt: cum magna expectatione expectatur, ut veniat; & non poteſt teneri, cùm venerit.* 7. in Jo.

RISUM ingenuis movere facetiis, jucundíſque urbanitatibus excitare, non artis incapax; ſi prę reliquis, Agricolę* l. 3. credamus: ex quo *conſtat hęc facultas natura primùm, quę in omni re multùm, in hac plurimùm poteſt; deinde, quòd proximum eſt, crebro uſu; ſunt tamen etiam tradita pręcepta.* Nec Chriſtianę contrarium ſerietati, ſi Nazianzenum imitari liceat; de quo hęc * Magnus Baſilius: *Quis in cœtibus adeò jucundus? quantùm quidem ipſe cognoſco, qui ipſius maximè periculum feci: quis in narrando feſtivior?* Nec denique indignum Oratore; cùm Eloquentiæ præceptoris* ſit illud: *Eſt planè Oratoris movere riſum.* Aſſignátque idem ſui pręcepti rationem; vel quòd ipſa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata eſt; vel quòd admirantur omnes acumen uno ſæpè in verbo poſitum; maximè verò, quòd triſtitiam, ac ſeveritatem mitigat, & relaxat; odioſáſque res ſæpè, quas argumentis dilui non facilè eſt, joco, riſúque diſſolvit. Sed habendus tamen eſt modus; quem tùm materiæ qualitas, tùm dicentis gradus, aut gratia præſcribit: &, quæ Orationis ſales vocantur, facetiis prudentiæ ſal adhibeatur. Hinc Cicero, teſte Quintiliano, * tantus in facetiis fuit, nedum extra forum, ſed & inter agendum; (ſive altercaretur, ſive teſtes interrogaret, ſive ſeria ageret) ut & pluribus cauſam dederit cenſuræ; & amicos induxerit, ut eum rogarent, modum imponeret facetiis; quas tamen eo vocis, geſtúſque lepore condiebat, ut nihil ſupra. Cùm econtrà Demoſthenes, alterum Eloquentiæ lumen, nunquam Orationibus ſuis ſplendorem ademerit, niſi cùm aliquid voluit facetum addere; ad quod clariſſimè videbatur ineptus. Quod ad dignitatem tamen Oratoriam; expoſtulat, ut facetiis non cumuletur, ſed aſper-

Or. 20. de Orat. 2. inſt. 6. c. 4.

de Orat. I. aſpergatur Oratio duntaxat. *Libandus eſt*, inquit Tullius * *ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos; quo, tanquam ſale, perſpergatur omnis Oratio*. Demum, ſe dignas eligat Orator facetias, oportet: ſunt enim, Ariſtotele * monente, ridicula, quæ libero, atque ingenuo homini conveniant; ſunt etiam, quæ non conveniant. Itaque videndum eſt, ut apta ſibi quiſque ſumat.

3. Rh. 20.

Omnes autem modi Riſum excitandi eò tendunt, ut quod ridiculum eſt, auditoribus exhibeatur. Ridiculum verò ex Cicerone, * Quintiliano, * & Ariſtotele * eſt *Turpitudo ſine dolore, minimeque noxia*: ridentur enim ſola, vel maximè, quæ notant turpitudinem aliquam non turpiter. Et in exemplum affert Stagyrita deformem, ac diſtortam ſine dolore faciem. Cujus veritatis acerbum fecit periculum Zeuxis: dū enim attentè cujuſdam anulæ imaginem coloribus à ſe expreſſam conſideraret, lippæ, rugoſæ, oſcillæ, cochleatæ, mucidæ, lacertoſæ; tanto riſus impetu correptus eſt; ut repentè animam inter cachinnos efflarit. Turpe autem eſt, quidquid eſt pejus eo, cui ineſt; proindéque ei diſconveniens. Aliud autem Morale eſt; ſi moribus ejus, famæ, & æſtimationi non correſpondens; aut morale malum quodpiam arguta notans reflexione. Undè, cùm iniquus caupo, quem Itali *Hoſte* vocamus, depicta ſupra januam B. Virginis imaginem, ab ingenioſo peregrino lemma, quod ſupponeret, requiſierit: pone, is inquit: *Tu nos ab Hoſte protege*. Et Diogenes, quendam ad furcas trahi cùm videret ob purpuræ notabile furtum, eo facetè Homeri uſus carmine crimen expreſſit, & pœnam:

2. de Orat. inſt. 6. c. 4. 2. Poetic.

Te mors purpurea apprendit, violentaque Parca.

Aliud verò eſt Phyſicum: ut dictum, quo ſolare horologium improbè elaboratum notavit æquivocè ingenioſus Rhetor, ſubſcribi ſuadens: *Neſcitis diem, neque horam*: vel quod objicit Caſtori græcus Poeta:

Caſtoris eſt naſus fodiendis commodus arvis:

Utrunque verò, modò in aliis repertum ludicrè detegit facetia; ut ſupradictus in Caſtorem jocus: modò ex ſe ſpeculatur Orator, ac invenit; ut in æquivocatione, qua in Verris iniquarum legum indictoris nomen ludit Cicero: *Mirandum non eſt, jus tam nequam eſſe Verrinum*. Inſuper ex Tul-

Tullio,* modò ſolo continetur in dicto; cujuſmodi ſunt, 2. *de Orat.*
quæcunque hactenùs exempla addùximus: modò in ſola actione aliqua, ſeu facto;ut illud Diogenis retrogradè gymnaſium ingredientis, cùm alios rectis videret incedere veſtigiis. Quod tamen genus periculoſiſſimum evenit Oratori; niſi forte aliquando ridicula aliorum enarret geſta; non verò ipſe perhibeat ut ſua. Imò & in enarrando ridicula tantùm licet furtim imitari, & curſim. Demum aliquando in dicto ſimul reperitur, & facto: cujus generis fuit ineptus illius riſus; qui capitali damnatus ſententia in cachinnos prorupit; cauſámque non magis aptam reddidit, ſe ridere teſtatus, quòd mulctam accepiſſet, quam à nemine petiiſſet:illúdque Siculi apud Ciceronem;* qui amicum 2. *de Orat.*
lachrymantem videns, quòd uxor ſua de ficu ſe ſuſpendiſſet, ridens inquit: *Amabo te: da mihi ex iſta arbore, quos ſeram ſurculos*: è quibus ſcilicet & ſua ſe uxor poſſet ſuſpendere.

Deceptiones quoque Phyſicas inter turpitudines ſunt faceti ſſimæ: quæ malum decepti ſunt intellectus; ſed minimè noxium. Conſiſtunt autem Deceptionum in eo ſales,quòd novam, & inexpectatam cognitionem pariant; quandoquidem, teſte Caſſiodoro,* *Bonum inſolitum plùs amatur.* Undè urbaniſſimum illud eſt Divi Pauli:* *Vis non timere poteſtatem? bonum fac*: expectaſſet enim quis, cum impunè peccandi modum expoſiturum. Creſcit etiam ex eo delectatio; quòd non priùs auditor, ſe deceptum agnoſcat, quàm & ſe ab erroris malo ſuamet erutum ſentiat cognitione. In quo explicanda ſunt ſenſu prima illa Eloquentiæ lumina, Quintilianus, Cicero, Demetrius, cùm docent, noſtrum eſſe gratum nobis errorem: eo ſcilicet pacto, quo(ut aliàs docuit * Auguſtinus) quantò majus fuit periculum in prælio, tantò majus eſt gaudium in triumpho;& naufragiũ qui effugere,exultãt nimis,quoniã timuerũt nimis;& edendi, bibendíq;voluptas nulla eſt,niſi præcedat eſuriẽdi,ac ſitiẽdi moleſtia:atque,ut in ſumma dicã cùm Seneca:* *Lenocinium eſt muneri antecedens metus*. Quadruplex porrò Deceptio eſt: vel enim in ſolo verbo vim habet ſuam: vel ſola in propoſitione: vel in reſponſi ab interrogatione diſſonantia: vel denique in argumento, cujus concluſio falsò, cum

l. 8. *Epiſt.* 20.
Rom. 13.
l. 8. *Confeſſ.* 3.
1. *de Beuef.* c. 11.

ali-

aliqua tamen veritatis apparentia, deducatur. Verbo; cujus initio finis non correſpondit, qualis expectabatur, decepit quendam ineptum Oratorem * Catullus: cui interroganti, miſerationémne induxiſſet à ſe habita concio? reſpôdit: *Et quidem magnam: neminem enim puto eſſe tam durum, cui non oratio tua viſa ſit miſeranda*: expectabat enim, miſericordiam erga clientem orationem excitaſſe; non ipſam fuiſſe miſerandam. Propoſitionis inopinato fine decepit Junius Baſſus Domitiam * querentem, quòd ejus incuſans ſordes diceret, eam veteres calceos ſolitam vendere: ait enim: *Non me hercules: hoc nunquam dixi: ſed, emere te ſolere*. Et Demeæ ſervus apud Terentium à Domino interrogatus, ubi filius eſſet; locum ſe fingens oſtenſurum inquit: *Noſtin porticum apud macellum hinc deorſum? præterito hac recta platea ſursùm: ubi eò perveneris clivus deorſùm versùm eſt: hàc te præcipitato*. Reſponſione decipitur incohærente, quiſquis malè interrogat, aut ſtultè proponit: cujus leporem auget ſimulatio ſerietatis. Undè * urbaniores eſſe ſolent omnibus aliis reſponſiones non ad rem traditæ. Sic Menecrati medico nimia cerebri infirmitate laboranti, qui ſe Jovem faciens his Ageſilao ſcripſerat: *Menecrates Iupiter, Ageſilao Regi ſalutem*: reſpondit Rex: *Ageſilaus Rex, Menecrati Jovi, Sanitatem*: Sic etiam Cicero * Flaviæ Dolobellæ dicenti, triginta ſe annos habere: *Verum eſt*, inquit: *nam hoc jam viginti annis audio*. Et Carpathium de theatro exeuntem cùm interrogaſſet * Titius Maximus, an, quæ fuerant acta, ſpectaſſet? reſpondit ille: *Non, ſed in orcheſtra pila luſi*: erat autem orcheſtra locus propè ſcenam ſpectantibus Senatoribus deſtinatus. Argumenti luditur deceptione, quæ apertè falſa, aut inepta dicuntur, conſequentiam ex iis ineptiorem deducendo non ſine facetia. Sic * Mannius Curius, cùm ſe ab accuſatore in ſipario (proſcenii videlicet tela) depictum vidiſſet, modò nudum in nervo, modò ab amicis ex alea redemptum; reſpondit lepidè: *Ergo nunquam vici*. Et Cicero * Vibium Curium multùm de annis ætatis ſuæ mentientem his redarguit: *Tum ergo, cùm unà declamabamus, non eras natus*. Atque apud Plautum, * cùm aſpera nimiùm translatione dominus dixiſſet: *Meus ſcrupoſam victus commeat viam*: venationem intelligens ſaxis

per

ap. Cic. 2. de Orat.

ap. Quint. inſt. 6. c. 4.

Quint. inſt. 6. c. 2.

ap. Quint. inſt. 6. c. 4.

ap. Quint. ibid.

ap. Quint. ibid.

ibid.

Captiv. act. 1. ſc. 2.

per confitas quæſitam ſemitas: illicò ſuis conſulens dentibus paraſitus pactus eſt: *Cum calceatis dentibus veniam tamen*. Ducuntur autem Deceptiones, non ex Æquivocationibus modò, & Paranomaſiis; ut monet Quintilianus: verùm & ex omnibus Topicis, ac figuris; ut fuſiùs infrà in tum de Arguto Stylo dicemus.

Vitia interim, quæ in facetiis occurrunt, vitanda ſunt Oratori: eaque præcipuè quatuor numerantur: Scurrilitas, Mimeſis, Sanna, Mordacitas. Scurrilitas (quam Græci Bomolochiam vocant) ſervile eſt munus, & Oratore indignum, ut ex ipſo fine apparet: ea enim ab ingenuo joco differentia ſecernitur; quòd * *Diſſimulator propriæ voluptatis gratia ridiculis utitur; Scurra verò, ut alterum oblectet*: *Ariſt. 3. Rh. 20.* ac proinde trahitur in excedentem facetiarum numerum, & præter dignitatem modum; ad id attendens ſolùm, ut riſum moveat. Mimeſim voco dicacitatem propriam hiſtrionum; quæ ridicula immoderatis geſtus, vociſque proſequitur inflexionibus. *Vitandum autem*, ex Cicerone*, *de Orat. 2.* *eſt Oratori utrunque; ne, aut Scurrilis jocus ſit, aut Mimicus*. Unde reprehendendus ille (de quo ſcribit * Quintilianus) *inſt. 6. c. 2.* ſui ſecli temporis inter Oratores præclariſſimus; qui ſolo actu, nihil locutus, adverſarium pueros in Epilogo ad miſerationem excitandam producentem irriſit, pueris talos in medium projiciens; quos illi diripere cœperunt. Et alius pariter; qui geſtu ſimul, & verbis deriſit adverſarium cruentum gladium proferentem: ut enim eum vidit, protinus ex ſubſelliis, ceu perterritus, fugit; & capite ex parte velato, cùm agentem ex turba proſpexiſſet, interrogavit, an jam ille cum gladio receſſiſſet? Sanna propriè quodam in peculiari geſtu conſiſtit ad irridendum uſitato: cujuſmodi ſunt indice dextero ciconiam roſtro pinſentem imitari; linguam inſtar ſitientis canis exertare; & ſimilia contemptus ſigna. Quæ, non modò ad ſubſannandum aſſumpta, verùm & repræſentata, quaſi ab aliis fuerint adhibita, quàm ingenium dedeceant Oratorem, ejuſque obſiſtant gravitati, non eſſe puto, quem lateat. Mordacitas tandem eſt dictum ad alterius contumeliam directum; à quo bono Oratori penitus abſtinendum: *Parcendum eſt enim maximè charitati hominum*, Cicerone * docente. *de Orat. 2.* Id voce tamen

L is

de Invid. is docuit, non exemplo; ſi credimus * Plutarcho: Cùm enim C. Popilius, Juriſperitus nomine, re ipſa tamen imperitus, interrogaretur teſtis, ac reſponderet, ſe nihil ſcire, impatiens Tullius inquit: *Quid putas, te de Jure interrogari?* adeò proclivis erat ad mordendum; ut ritè putes luiſſe morte mordacitatis ſuæ pœnas. Similiter Antiphon occiſus aliquibus creditur à Dionyſio Juniore in Sicilia; quòd rogatus, quodnam æs æſtimaret optimum? reſpondiſſet, illud ipſum, ex quo Harmodii, & Ariſtogitonis ſtatuæ eſſent confectæ; eorum ſcilicet, qui Tyrannum Hipparchum de rerum culmine depoſuerant. Quod & accidit Theocrito morſibus hoſtis odium in ſe concitanti: quem cùm hortarentur amici, ut ad oculos veniret Antigoni veniam obtenturus: *Nunquam igitur*, reſpondit, *ſalvus ero, quia nunquam ad ejus oculos veniam*: unicum nanque Antigonus habebat oculum altero orbatus. Sed tamen haud nego, ſæpè adverſariorum vitia ferrum, ignéque ad medelam indigere: præſertim verò ſuperbiæ tumores. Hinc ad Verris audaciam compeſcendam Tullius deridet: *Hic ſcilicet eſt metuendum, ne ad exitum defenſionis ſuæ vetus illa Antoniana dicendi ratio, atque auctoritas proferatur: ne excitetur Verres; ne denudetur à pectore; ne cicatrices populus Romanus aſpiciat ex mulierum morſu*. Lepida quoque interpretatione

ap. Quint. inſt. 6. c.4. retorquens * C. Cæſar jactantiam minuit Pomponii: cui oſtendenti vulnus ore exceptum in ſeditione Sulpitiana; quod ſe paſſum pro Cæſare pugnantem gloriabatur; fugæ eum culpans Imperator reſpondit: *Nunquam fugiens reſpexeris*. Imò Divus Baſilius apud Valentem Imperatorem

ap. Sur. orans pro Catholicis * Ariani cujuſdã Demoſthenis epularum Præfecti humiliavit arrogantiam: hoc enim inter patrocinandum Arianorum cauſam in barbariſmum lapſo, dixit: *Demoſthenem vidimus ſine literis*: nec ideò ab incepto deſiſtente, ſubjunxit: *Tuum eſt de pulmentariis cogitare, non dogmata divina coquere*. Atque Divus Hieronymus menſæ aſſidens ab impudente hæretico, qui contrà ſedebat, deriſus hac interrogatione: *Quid intereſt inter Dalmatam, & aſinum?* illicò, *Menſa tantùm*, reſpondit.

Fugat verò Riſum ſerietas; quæ præſertim odio jungitur, timori, aut mœrori. Riſum apta mordacitate fecerat au-

licis

ſtcis paraſitus; cùm defuncti cujuſdam auribus figens labia, quaſi magna dicturus, à Tiberio interrogatus, quid eum alloqueretur? ſe, inquit, rogare mortuum, ut nunciaret Auguſto, quæ ipſe legaverat, eum minimè ſolviſſe: at eundem in lachrymas vertit ſeva Tiberii correctio; qua propriis occiſum manibus melius, dixit, ipſummet ea nunciaturum. Hinc etiam pavor exiccavit omnem Spartanorum florem labiorum: cùm enim Moloſſorum Regis ſimia in ſacrarium penetraſſet; urnáque inverſa ſortes confudiſſet; quod ridiculum omnibus fuerat: pallens ore Sibylla myſterium expoſuit prædicens, mutatas eſſe Spartanorum ſortes; &, qui victores eatenus fuerant, in poſterum gladiis hoſtilibus, ac vinculis deſtinatos. Hinc denique apud Ovidium, indicante Vulcano adulterorum Numinum turpitudines, riſerint quanvis impudentiores adoleſcentes; quos impudentior Deos nominabat gentilitas; Pallas tamen verecundam operuit faciem; gravioréſque Dii ſtomachantes vultus præ horrore averſabantur.

MOERIOREM auget præter malorum exagerationem, juxta ea, quæ ſuprà, cùm de affectibus reliquis à malo avertentibus ageremus; etiam evaſionis à malis illis inducta deſperatio. Aliquid innuit Cicero, * ubi ait: *Si, quod Jupiter omen avertat, hunc veſtris ſententiis afflixeritis; quò ſe vertet miſer? domumne, ut eam imaginem clariſſimi viri parentis ſui, quam paucis antè diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat? an ad matrem; quæ miſera modò Conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur, & ſollicita eſt, ne eundem paulò poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat? Ibit igitur in exilium miſer. At quò? ad Orientiſne partes; in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? at habet magnum dolorem, ubi cum honore deceſſerit, eodem cum ignominia reverti.* pro Mur.

Aufert verò Mœrorem primò malorum diminutio, & ſpes evaſionis, de quibus ſuprà. Secundò laus innocentiæ; vitæque humanæ conditio, quæ, vel innoxia, pluribus ſubeſt malis: nam, ut Tullius * ait, *nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo etiam boni viri, forteſque poſſunt.* in Piſon. Tertiò æqualis animi præconia; & inconſtantis fortunæ,

 quà

quà in proſperis, quà in adverſis contemptus; quem in ſe atteſtatur Seneca,* dicens: *Nunquam ego fortunæ credidi; etiamſi videretur pacem agere. Omnia illa, quæ in me indulgẽtiſſimè conferebat, pecuniam, honores, gloriam, in eo loco poſui, undè poſſet ea ſine metu meo repetere. Intervallum inter me, & illa magnum habui. Itaque abſtulit illa; non avulſit.* Quartò deniq; (ut minoris momenti nō taceam locos) Mœrorem apprimè lenit rectæ voluntatis humanæ cum divina conſenſio; quam improperare fidelibus moralis videtur Philoſophus,* cùm habet: *Optimum eſt pati, quod emendare non poſſis; & Deum, quo auctore cuncta proveniunt, ſine murmuratione comitari. Malus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur.*

1, de Conſol. c. 5.

Epiſt. 107.

VERECUNDIA ſuffundit vultum primò, ſi malum aliquod ignominioſum; quod ſcilicet vitio corporis, aut animi poteſt aſcribi; exaggeretur. Quod fit ab Appio Claudio,* remittendos in hybernis oſtendente remiſſos milites; *Adeone effæminata corpora noſtrorum militum eſſe putamus? adeò molles animos, ut hyemem unam durare in caſtris, abeſſe ab domo non poſſint? ut tanquam navale bellum, tempeſtatibus captandis, & obſervando tempore anni gerant; non æſtus, non frigora pati poſſint? Erubeſcat profectò, ſiquis eis hoc objiciat.* Secundò publica ejus mali, ſive præſens, ſive facilè ſecutura notitia: ut ſi ſciatur à maledicis; vel ab inimicis; vel ab iis, qui aliorum libenter obſervant geſta: quia id facilè deprædicabunt. Quo ex capite pudorem Romano Senatui his facit Tullius:* *Quàm heſternus dies (nobis Conſularibus dico) turpis illuxit? iterum legatos; quid? ille faceret inducias? ante Conſulis, oculoſque legatorum tormentis Mutinam verberavit.* Tertiò illorum admiratio, quibus id malum patebit: undè valde veremur eos, qui, vel nullam, vel nimis bonam de nobis habent æſtimationem; vel qui ſunt integræ vitæ: ac ſatagimus, ut vel non credant; vel de quo mirentur, vix habeant; vel potiùs compatiantur. Et hoc caput eò magis urget, quò pluris eorum facimus judicium, qui admirantur. Undè verecundiam excitat ex admiratione Cicero* his verbis: *Quemadmodum hoc accepturas nationes exteras; quemadmodum hujus tui facti famam in Regna aliorum, atq; in ultimas terras perventuram,*

ap. Liv. l. 5.

Philip. 2.

in Ver. 6.

pu-

putaſti; cùm audierint, à Prætore populi Romani in provincia violatum Regem, ſpoliatum hoſpitem, ejectum ſocium populi Romani, atque amicum?

Minuitur verò Pudor potiſſimùm, ſi omnibus occultum remanſurum certò ſperamus id, de quo eſt verecundia: aut iis tantùm innoteſcit, qui nos ampliùs non ſunt viſuri. Sic Antiphon,* cùm juſſu Dionyſii ad ſupplicium duceretur; & videret, alios, qui unà ſecum erant morituri, cùm è carcere exirent, capita obvolvere; dixit: *Quid eſt, quòd capita obvolvatis? an veremini, ne quis horum cras vos videat?* Inſuper, ſi tuti ſumus, quòd non ſit noſtro malum illud aſcribendum vitio; vel in bonam ſumendum ſit partem; vel re ipſa malum non ſit. Undè, cùm obviam Zeno factus eſſet adoleſcenti cuipiam familiari ſuo ad muros remotis arbitris obambulanti; interrogavit, quare ſolus curas ageret? eoque reſpondente, fuga ſe ſubduxiſſe, ne amici gratia poſtulatus falſum teſtimonium diceret: *Stultè*, inquit, *agis adoleſcens. Illum enim improbè, & injuſtè petere non pudet: te verò pudeat honeſtè rem ipſi turpem denegare?* *Ariſt. 2. Rh. c. 9.*

MISERATIO conſurgit exaggeratione mali; præſertim è bono ſtatu, ex quo miſer excidit, petita. Undè Cicero:* *Modò maximo beneficio populi Romani ornatus fortunatus videbatur; quòd primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum Conſulatum attuliſſet: nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lachrymis, ac mærore perditus, veſter eſt ſupplex; Judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat.* Rurſus benevolentiæ in miſerum excitatione; quod ex gratitudine peritè Cicero* præſtat: *Tu, tu, Flacce Prætor, communis exitii nuntios cepiſti: Tu incluſam in literis Reipublicæ peſtem deprehendiſti: Tu periculorum indicia: Tu ſalutis auxilia ad me, & ad Senatum detuliſti. Quæ tibi tum gratiæ ſunt à me actæ? quæ ab Senatu? quæ à bonis omnibus? O nox illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic urbi! miſerum me! metuo, ne funeſta nobis.* Accedit oſtenſio innocentiæ ipſius miſeri: (erga innocentem enim propenſior quenque trahit affectio) vel etiam virtutis, qua idem pollet, obſervatio; ut ejus ſaltèm intuitu dignus tali non ſit infortunio. Sic Tullius:* *Conſtituitur in foro Laodiceæ ſpectaculum acerbum, & miſerum, & grave toti Aſiæ* *pro Mur.* *pro Flacco.* *in Verr. 3.*

pro-

provinciæ. Grandis natu parens adductus ad ſupplicium: ex altera parte filius: ille, quòd pudicitiam liberorum; hic, quòd vitam patris, famamque ſororis defenderat. Demum juvat auditores ad id inducere; ut, quid de ſe eſſet, conſiderent, ſi in ſemetipſos malum illud experirentur, in quod tamen prolabi facilè quenque poſſe, fortunæ docet inconſtantia. Dexterè, qui ſuprà, Latinæ Pater Eloquentiæ: * *Conſtituite vobis ante oculos hujus etiam miſeri ſenectutem, qui hoc unico filio nititur; in hujus ſpe requieſcit; hujus unius causâ pertimeſcit: quem vos ſupplicem veſtræ miſericordiæ, ſervum poteſtatis, abjectum, non tam ad pedes, quàm ad mores, ſenſuſque veſtros; vel recordatione parentum veſtrorum, vel liberorum jucunditate ſuſtentate; ut in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiæ veſtræ ſerviatis.*

in Piſon.

Perit verò diminutione mali: vel exaggeratione culpę; ob quam id mali, imò pejora mercatur, qui patitur: vel averſione ab amore, ac benevolentia juxtà ſuperiùs datas leges. Repræſentatione cæterorum, quibus adhuc pollebat bonis, Miſerationem erga Nævium avertit Cicero: * *Non comparat ſe tecum gratia P. Quinctius, Sexte Nævi; non opibus; non facultate contendit: omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit: fatetur, ſe bellè non dicere: &c.* Idénque alibi * culpam memorans ait: *His ego rebus paſcor; his delector; his perfruor: quòd de vobis hic ordo opinatur, non ſecùs, ac de deterrimis hoſtibus.*

pro Quinct.

in Piſon.

INDIGNATIO fervet primò, ſi conferamus, ſive cum bono obtento, ſive cum excellentia præſumpta indignitatem ejus, qui eo gaudet; vel mediorum ad ejus acquiſitionem adhibitorum pravitatem. Quorum utrunque Cicero. Prius, * ubi ait: *Si es odium publicum populi; Senatus, univerſorum hominum; quid eſt, quamobrem Præturam potiùs exoptes, quàm mortem? præſertim, cùm popularem te velis eſſe; neque ulla in re populo gratius facere poſſis.* Poſteriùs verò; * ubi: *Sed fuit profectò quædam illa Reipublicæ fortuna fatalis; ut ille cæcus, atque amens Tribunus plebis nanciſceretur: quid dicam Conſules? Hoccine ut ego appellem nomine everſores hujus Imperii; proditores veſtræ dignitatis; hoſtes bonorum omnium? qui ad delendum Senatum; affligendum Equeſtrem ordinem; extinguenda omnia jura, atque inſtituta ma-*

in Vatin.

pro Sext.

majorum; ſe illis faſcibus, cæteriſque inſignibus ſummi honoris, atque Imperii, ornatos eſſe arbitrabantur? Secundò, impu-tem aliorum malitiam ſi augeamus; ut injuſtitiam, impietatem, contumaciam, & ſimilia vitia. Undè Tullius: * *Vobis autem, Judices, quid hoc indignius, aut quid minùs ferendum videri poteſt? Verreſne habebit domi ſuæ candelabrum Jovis Optimi Maximi è gemmis, auroque perfectum? Cujus fulgore collucere, atque illuſtrari Jovis Opt. templum oportebat; id apud ipſum in ejuſmodi conviviis conſtituetur; quæ domeſticis ſtupris, flagitiiſque flagrabunt?* Tertiò, ſi oſtendamus quantùm ob id boni inſoleſcat ille, contra quem dicimus. Quare ipſemet Cicero * ſic habet: *Ipſe verò quemadmodum compoſito, & delibuto capillo paſſim per forum volitat cum magna caterva togatorum, videtis: ut omnes deſpiciat: ut hominem præ ſe neminem putet: ut ſe ſolum beatum, ſe ſolum potentem.* in Verr. 6. in Reſc.

Modus autem Indignationi ponitur, ſi bonum, quantùm fieri poteſt, minuatur, juxtà quæ contra invidiam: ſive ſi eum, in quem eſt Indignatio, talem eſſe oſtendamus, ut bonum id ultrò mereatur; aut aptis, ac laudabilibus mediis ſit adeptus; eóque in aliorum deſpectum, vel perniciem non abutatur. His junior Plinius * in ſe concitandam Indignationem eludit: *Poſteris an aliqua cura noſtri, neſcio: nos certè meremur, ut ſit aliqua; non dico ingenio; (id enim ſuperbum) ſed labore; ſed reverentia poſterum.* Juvat quoque monere, quàm facilè, nimio decipiente fervore, modò in obtrectationem, pravúnque odium; modò in furorem degeneret Indignatio. Sic apud Ovidium * contendens de Achillis armis Ajax cum Ulyſſe; ab hoc victus ægrè tulit adeò, adeóque eſt indignatus, ut mortem ſibi conſciverit: l. 8. c. 24. 13. Metam.

Hectora qui ſolus; qui ferrum, ignenque, Jovenque
Suſtinuit toties; unam non ſuſtinet iram:
Invictunque virum vicit dolor. Arripit enſem.
Et meus hic certè eſt. An & hunc poſcit Ulyſſes?
Hoc, ait, utendum in me mihi: quique cruore.
Sæpè Phrygum maduit, domini nunc cæde madebit:
Nec quiſquam Ajacem poſſit ſuperare, niſi Ajax.

RUDIMENTUM III.

Qui ex ſupradictis Affectibus in ſingulis Auditorum generibus prædominentur.

EXaminatis, quantùm licuit, præcipuis animorum Affectibus, de quibus aliquid induſtriæ Rhetoricæ ſubminiſtrat; gradum nunc cum Ariſtotele facimus ad obſervandum, qui in unoquoque hominum genere potiſſimùm vigeant. Quemadmodum enim medicus aptus non eſſet, qui ſolas medicaminum noſceret virtutes; morbos verò, quibus quiſque laborat infirmus, ignoraret: ita nec bonus Rhetor, quem lateret, in unoquolibet auditorum cœtu, quæ maximè dominetur Affectio; ut eidem indulgendo ad ſuum poſſet finem, ſuaſionem ſcilicet, pervenire. Hinc de ſe Eloquentiæ teſtatur Pater: * *Equidem cùm aggredior ancipitem cauſam, & gravem ad animos Judicum pertractandos; omni mente in ea cogitatione, curaque verſor, ut odorer, quàm ſagaciſſimè poſſim, quid ſentiant; quid exiſtiment; quid velint; quò deduci facillimè poſſe videantur.* Duo autem ad capita cunctas de re hac obſervationes reduco: quorum primum Ætates conſiderat: ſecundum verò Statu, Nobilitatem ſcilicet, Divitias, & his contraria meditatur. Alterum nanque caput ex variis petitum diverſarum nationum moribus, conſultò omitto; ne Satyram commentari cuique videar: cùm præſertim ſufficiens ab aliis * tradatur notitia. Neque verò in eo ſum errore, ut hæc ſufficere putè ſolertis conſiderationi Oratoris: cùm me nõ fugiat, plurimum negotii faceſſere circumſtantias haud paucas: atque educationis induſtriam leones ſerico frænatos filo Romæ ſpectandos exhibuiſſe: & quem natura lupum fecit, nonnunquam agnum ſuum reddidiſſe nutricem. Sed tamen de tot circumſtantiarum capitibus agere, vix poſſibile; undè principaliora, magiſque univerſalia attingere, fit opportunius.

2. de Orat.

Reg. Palat. eloqu. exerc. 6.

ADOLESCENTIA diverſis adeò fluctuat paſſionum motibus; ut ejus viam penitùs ignotam ſibi Salomon * fateatur; eánque ſtultitiæ comitem faciat * Hieronymus: ingen-

Prov. 30. in Eccle. 12.

gentem libidinum tempeſtatem, ac rationis ſummam imbecillitatem * Chryſoſtomus: variarum illecebris paſſionum ferventem * Ambroſius: quavis beſtia intractabiliorē ætatem * Plato: atque eruditiſſimus quidam * vir ebrietatem, & febrim quandam rationis; quæ ſpe, audacia, & jugi ambitione agitatur. Cùm enim ſpirituum agatur ubetiori copia; eo fervore in varios leviter flectitur animi motus. Ut tamen eorum aliquos haud taceamus. Solius Timoris neſcii in Cupiditates facilè diffluunt Adoleſcentes: ſed à rebus optatis cum faſtidio faciliùs avertuntur, objectis aliis adhæſuri. Ex Deſideriis verò maximè in eis viget Ira; quòd ſe contemni nullo patiantur jure; ebulliátque ſtatim in iis juvenilis ardor. Æmulatio, & huic penè affinis Invidia non minùs eos agitat, ob nimium in procurandam propriam excellentiam impulſum. Ambitio quoque; cùm ad eximia quælibet eleventur animo. Spes; quam alit experimenti defectus: ut enim ait Ariſtoteles, * *Nondum multis in rebus fruſtrati ſunt*: undè ut plurimùm decipiuntur. Audacia pariter; qua ex eodem inexperientiæ capite difficultates contemnunt omnes; magnóque pollent animo: quia, ut ait citatus auctor, *Nondum vitæ miſerias ſenſerunt*. Amori quoque laxas indulgent habenas: cujus ſpecies; aut execranda Concupiſcentia; aut ſatis nunquam laudabilis Honeſtatis Amor; ſed heu quàm rarus! Utilitatem nullo prorſus modo curant: non enim aliud norunt, niſi, quod præſens eſt (jucundum quidem, aut honeſtum) temporum, fortunæque viciſſitudinibus haud aſſueti. Lætitiæ addicti, jucundis cœtibus delectantur, & Jocis; iis præſertim, qui contumeliam cæteris afferunt: quippe qui ſibi, & ſcire ſe omnia, & cunctis excellere ſuaſum habent. Sed tamen Miſeratione quoque facilè commoventur, & Indignatione. Tandem (ut cum allato * loquar Philoſopho) *Quidquid peccant, in eo, quod eſt majus, vehementiùs peccant; & contra Chilonis præceptum omnia nimis faciunt: nimiùm enim amant; nimiùm oderunt; atque ita in aliis rebus omnibus.*

Epiſt. 3. ad Olym.
de Abel l. 1. c. 3.
l. 7. de legi.
ap. Philoſ. Burg.
2. Rh. 15.
ibid.

SENES econtrà refrigeſcente ſanguine, calore deferventé, tepentibus atque ſpiritibus, tardi, remiſsíque ſuis ſunt in Affectibus; ſed obſtinati. Se, ſuámque vitam, ac facultates

tates amant tenaciter, longo annorum uſu altioribus terræ infixis amorum radicibus. Avaritiæ proinde in primis dediti: ſive quòd didicerint experientia, quàm difficile ſit divitias adipiſci: ſive quòd eos extremo illo vitæ tempore, cunctas in res, ceu ſibi abſentes, fugientis fortunæ curſus
ibid. c. 16. impellat: *Cupiditas enim * abſentium eſt rerum; & omnes, cujus rei indigentes ſunt, ea maximè deſiderant.* Deſiderio hinc ardent eorum, quæ amant: nulla tamen ferè Spe ducti puſillanimes ſunt, ſuſpicioſi, ac timidi; nedum quia, Senectutis gelu frigidis eos paſſionibus vincit; verùm & quia, docente peritia, plerúnque res perditas eſſe, & in deteriorem cuncta cedere partem, ſciunt. Iram & ipſi ſentiunt; ſed tamen imbecillem. Tetro ut plurimùm Mœrore tabeſcentes queruli ſunt, & Jocorum, ac Riſus inimici. Miſeratione facili moventur: exiſtimant enim, omnia ſibi adeò, vicina incommoda; ut ea ſint jam ipſi quoque paſſuri. Denique, ut Ariſtoteles * ait:
ibid. *Neque vehementer amant, neque vehementer oderunt: ſed ex Biantis præcepto amant tanquam oſuri; & oderunt tanquam amaturi.*

VIRILIS ætas inter aliarum mores media eſt, utriuſque, exuperantia detracta. Honeſtum præ omnibus amat, & virtutem. Amicitiæ ſanctiora cuſtodit jura. Gratitudini inſervit; ac Fortitudinem cum Temperantia plauſibili quadam lege conjungit. Deſideriis imponens modum; neque nimis Audax, neque Timida nimis; fidem, nec omnibus temerè habet, nec gratis omnibus derogat; ſed vero, rectóque cuncta diſcernit. Iram viriliter compeſcit: Æmulationénque frænat, ne degeneret in Invidiam. Lætitiæ, Mœroríque æqualis, *gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* novit: ſed tamen, nec Riſui laxat ora; nec lachrymis cedit habenas. Alterius miſerias tenerè compatitur: probris ſtrenuè indignatur. Utque cum Ariſtotele * complectar uni-
ibid. c. 17. verſa: *Quaſcunque res utiles Adoleſcentia, & Senectus inter ſe diviſerunt; eas ſimul omnes habet ætas media: in quibus autem eæ ætates, vel excedunt, vel deficiunt; eas ad mediocritatem, & convenientiam hæc eadem ætas adducit.*

NOBILES honorem amant, & gloriam: ſiquidem commune omnibus eſt, ut bonum, quod poſſident, enixè ſtudeant augere: Vindictam contempti anhelant: &, quæ ſuum de-

decent ſtatum, meliora æmulantur. Læti qui ſunt; alios contemnentes, in Jocos, & deriſus facilè erumpunt: qui verò ad Mœrorem inclinant; Verecundiæ rubore ex omni, quod Nobilitatem denigrare poteſt, ſuffunduntur; quidquid ingenuis eſt diſſonum animis indignantur.

PLEBEJI utilium Amori, & delectabilium pariter intenti, honeſta vix curant: Odiiſque tenaciter adhærent rationis ferè incapaces: undè plebs multorum capitum bellua dicitur à Platone. Timorem, eoquòd tenui ſunt animo, ſentiunt: ſed illicò ſolent inconſiderati ſpernere. Invidiæ patiuntur morſus; quæ ſemper abjectæ fuit indolis paſſio. Inter algores tamen Metus, frigidúmque Invidiæ venenum, etiam ipſi ſuas Iræ conſervant flammas; & ardentiſſimas. Mœſti in adverſis ferinam eunt in rabiem; Læti in proſperis ſtultos degenerant in cachinnos. Atque, ut Xenophon loquitur, ingrati ſunt, crudeles, infidi, & imperiti.

PAUPERES, vel lucis oſores eſſe, compertum eſt: miſerrimam enim ducentes vitam; quid ament, non habent. Deſideriis tamen indeſinentibus agitati divitias præ omnibus optant. Deſperant verò ut plurimùm optati boni acquiſitionem. Invidia lacerantur, iis, quos cæteri poſſident, orbati. Ira defervent, iis, quibus detinentur malis, vix plura ferre valentes. Lætitia exulante, perpetuus Mœror umbris ſuis eorum corda denigrat: atque vitæ hujus plurimas experti, plurimas ſibi timentes miſerias; aliorum faciliùs miſerentur.

DIVITES utilitatem cunctis præferunt rebus: ubi enim eorum eſt theſaurum, ibi & cor. Deſideriis lucri excruciati, ſemper aliorum inſequuntur Invidia proventus: ſemper Timore amittendi divitias anguntur: nec raró faſtidioſi in pauperes iraſcuntur: ut videantur, tot inter affectuum laniatus miſeram ducentes vitam, pallidæ fronti inſcriptum illud Auguſtini * præſeferre: *Patietur durum, & pernicioſum dominum quiſquis ſervit mammonæ.* Gaudent oſtentare divitias: alióſque paſſim contemnunt; quaſi omnibus ſoli bonis affluant: ſiquidem rerum omnium pretium divitiæ ſunt: Undè fit, ut Divites omnia ſibi emere, & parare poſſe, videantur. Atque, ut in ſumma * dicam; *Dementis fortunati diviti a mores exprimunt.*

I. de Serm. Dom. in monte c. 14.

Ariſt. 2. Rh. c. 19.

CAPUT III.

DE SYLVA RERUM AD INVENTIONEM PARANDA.

NOn adeò præceptis adhuc traditis, & noſtræ, vel memoriæ, vel ſpeculationi fidendum; ut parato duntaxat calamo, albáque papyro Orationes præſenter cõficere præſumamus. Hic propriæ æſtimationis, aut mitiùs dixerim, deſidiæ, quorum occupavit animos, error; ii, vel ex omnibus, quæ occurrunt, herbis manipulos alligantes, *non quidquid debent, ſed quidquid poſſunt dicunt*, ut notat Seneca: vel prolixis meditationibus cunctos Rhetoricæ locos, omnéſque proprii ingenii aditus perſcrutati; ubi nihil invenerint, digitos obſtinato dente mordent, & calamum; oculiſque elatis opem videntur à ſuperis avaræ mentis expoſcere ſterilitati. *Ne igitur reſupini, reſpectanteſque tectum, & cogitationem murmure agitantes expectemus, quid obveniat*; Quintiliani * monitis obſecuti. Sed priúſquam dicamus, parata nobis ſit * Rerum Sylva, dulces, uberéſque argumentorum (imò, ſi lubet, etiam figurarum, ac phraſium) fructus ſuo tempore germinatura. Triplicem autem ejus componendæ modum è pluribus (quos, aut legi, aut mente concipiebam) afferre, quò clariùs, breviúſque, curabo; ut quiſque ſibi aptiorem eligat, & faciliorem.

inſt. 10. c. 3. *Cic. 3. de Orat.*

RUDIMENTUM I.
Duplex Sylva ex Theſauro, & Areſio.

PRIMAM Sylvæ ideam eruditiſſimus affert Emmanuel Theſaurus, * dum Categoricum aſtruit Indicem arguciam de re qualibet ſubminiſtrantem. Eſt autem hujuſmodi ab eo propoſitum artificium. Decem maximi tituli totidem exhibeant rerum omnium Categorias, ſeu claſſes; in quas univerſa philoſophi partiuntur: ſunt autem *Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, Situs, Tempus, Locus, Habitus*. Harum porrò quamlibet principa-

Cann. Ariſt. c. 3.

cipa-

cipaliores dividens ſpecies in alia minora capita. Sic (ut unum ſit pro cunctis exemplum) *Subſtantiam* diſtribuant tituli, *Deus, Angeli, Cœleſtia corpora*, &c. ſive in ſuis confuſè generibus, ſive diſtinctim in alias, aliáſque peculiares ſumantur ſpecies: quas ipſe ſingulas partitiones fuſè notat loco citato. His igitur ſic diſtributis capitibus, cuicunque earum infimæ ſpeciei, ac titulo, quæcunque apta reperies, ſubſcribe; & vaſtam habebis rerum Sylvam.

Ubi, quia ſimilitudines ad argutias eruendas maximè reſpiciebat auctor; addidit, peculiaribus ſingulis, quæ inſcribuntur, ſub capitibus, integrum ipſum Indicem repetendum. Quo utique fiet, quòd prior Index ſubjecta notet; poſterior verò, nempè repetitus, cuique ſubjecto appoſitum innuat prædicatum. Sic volens, exempli ſtudio, parvam rem aliquam ſimilitudinibus exprimere; ſub *Quantitatis* titulo *Parvum* reperies; habebiſque ſubjectum: cui ſubditur, ad prædicati inveſtigationem alter Index ex ſubſtantiis Angelum indicans indiviſibilem; Polos cœleſtes, ſeu puncta quædam fixa pariter indiviſibilia; Elementaris Ignis ſcintillam tenuiſſimam; Terræ centrum; Pygmæum hominem; & ſimilia. Paritérque per alias excurre Categorias.

SECUNDAM verò ideam tradit noſter doctiſſimus Areſius * quatuor in peculiares Sylvulas, ſeu Indices diviſam univerſa continentes, quæ ſacro (quem inſtruit ibi) Oratori poſſunt deſervire, huc à nobis breviter aſportatos.

* *Art. præd. l. 4. c. 28.*

Primus igitur Index (ſolúſque pluribus noſtri temporis Concionatoribus ſufficiens) diviſas habet materias, de quibus præſertim dici ſolet ab Oratore. Ad hunc itaque liber aptetur; in quo ſinguli diſpertiantur dictarum tituli materiarum, eo ordine, quem alphabetum initialis literæ in quoquo nomine ſubminiſtrat: ſub quibus indè breviter adnotanda quæcunque ad eos titulos aliquo pertinent pacto. Dabo hic, quæ calamo promptior occurrit, ſeriem ad Candidatorum levamen: juxtà quam uberiorem ſibi novorum additione titulorum pro libitu conſtruere quiſque poterit.

A	
Abſtinentia.	*Adulatio.*
Accidia.	*Æternitas.*
	Ambitio.

Amor

Amor Dei erga homines.
Amor hominum erga Deum.
Amor inimicorum.
Amor proximi.
Amor ſui.
Anima.
Avaritia.

B.

Beneficia diuina.
Blaſphemia.

C.

Caſtitas.

Chriſti
- *Conceptio.*
- *Dies in utero B.V.*
- *Nativitas*
- *Circunciſio.*
- *Epiphania.*
- *Vita occulta.*
- *Prædicatio,& miracula.*
- *Paſſio.*
- *Reſurrectio.*
- *Aſcenſio.*
- *Reliqua.*

Confeſſio.
Conſcientia.
Conſuetudo.
Contemplatio.
Contemptus Mundi.
Continentia.
Contritio.
Correctio fraterna.
Crux Chriſti.
Curioſitas.

D.

Deſiderium.
Deſperatio.
Detractio.
Deus.
Diabolus.
Diſcordia.
Divitiæ.

E.

Ebrietas.
Educatio.
Eleemoſina.
Euchariſtia.
Excommunicatio.

F.

Fides.
Fornicatio.
Furtum.

G.

Gratia divina.
Gratitudo.
Gula.

H.

Homicidium.
Humilitas.
Hypocriſis.

I.

Jejunium.
Imprecatio.
Indulgentia.

Infernus.
Invidia.
Ira.
Judicium finale.
Judicium temerarium.
Juramentum.
Juſtitia.

L.

Lachrymæ.
Lex divina.
Liberalitas.
Lingua.
Ludus.
Luxuria.

M.

Maledicentia.
Manſuetudo.
Mariæ V. *Conceptio.*
Nativitas.
Præſentatio.
Viſitatio.
Deſponſatio.
Annunciatio.
Expectatio.
Partus.
Purificatio.
Dolores.
Vita.
Tranſitus.
Virginitas.
Aſſumptio.
Protectio.
Martyrium.
Matrimonium.
Mendacium.

Miſericordia.
Modeſtia.
Mors.
Mulier.
Mundus.
Murmuratio.

O.

Obedientia.
Obſtinatio.
Occaſio.
Odium.
Oratio.
Otium.

P.

Paradiſus.
Parentes.
Paſſiones, ſeu Affectus.
Pater divinus.
Patientia.
Paupertas.
Pax.
Peccatum.
Perjurium.
Perſeverantia.
Pœnitentia.
Prædeſtinatio.
Prædicatio.
Providentia.
Purgatorium.

R.

Rapina.
Recidivus.
Religionis virtus.

Re-

Religionis ſtatus.	**T.**
Reſtitutio.	
Riſus.	*Templum.*
	Tentatio.
S.	*Tribulatio.*
	Trinitas.
Sacerdos.	
Sacramenta.	**V.**
Sacrilegium.	
Scandalum.	*Vanagloria.*
Senſus.	*Verbum Patris.*
Silentium.	*Viduitas.*
Simulatio.	*Vigilantia.*
Spes.	*Vindicta.*
Spiritus Sanctus.	*Virginitas.*
Superbia.	*Vitæ humana caducitas.*
Superſtitio.	

Secundus Index Evangelia feſtis quibuſque diebus, ac Dominicis infra annum legi ſolita partitur; quorum non exigua diſpoſitio in vulgatæ Scripturæ calce ſolet contineri: quod & plures ſolent præſtare Sacri Expoſitores: quin & Areſius ipſe in eodem, quod nuper citavimus, opere reliquos inter Indices ſuam ponit rerum per Evangelia diſtributionem. Igitur Evangeliis ſingulis variis ſub capitibus ordinatis ſubnotentur materiæ, quibus talia applicari valent Evangelia; & conſequenter, de quibus occaſione Evangelii illius poteſt à Concionatore dici: quæ ad priorem Indicem remittant Oratorem; in quo pro materiis ſingulis res dicendas inveniet. Sic ſub Evangelii illius titulo, ex quo Chriſtus Dominus, dum inter laudes, & plauſus Hieroſolymam ingrederetur * vendentes columbas è templo mox ejecturus, *videns Civitatem flevit ſuper illam*; notari debet primò Miſericordia divina erga populum adeò ſibi infenſum: ſecundò Mundanarum contemptus rerum; quæ lachrymis ut plurimùm immiſcentur: tertiò Templorum cultus; cujus profanatores amaros adeò luctus, vel inter lætitias, merentur: & ſic de reliquis applicationibus juxtà varios Scripturæ ſenſus, præſertim myſticos, obſervatis. Quæ ad eundos indicabunt primi Indicis titulos; *Miſericordia.*

Luc. 19.

Mun-

Mundus, Templum; ſub quibus ſuam quiſque reperiet materiam adnotatam.

Tertius partes ſingulas Concionis diſtribuit in titulos; nempe Exordium, Introductionem, & cæteras: ſub quibus ea cuncta notari debent, quæ pluribus applicabilia materiis, ſive Exordio, ſive alteri determinatè parti valent inſervire. Quem Ciceroni fuiſſe morem, ex eo deducit Areſius, quod is Attico fatetur his verbis: *Nunc negligentiam meam cognoſce. De gloria librum ad te miſi, & in eo Proœmium idem, quod in Accademico tertio. Id evenit ob eam rem, quòd habeo volumen Proœmiorum: ex quo eligere ſoleo, cùm aliquod ſyngramma inſtituo.*

Quartus denique, Elocutioni inſerviens, magis obvias partitur voces; & ſub earum qualibet adnotat primùm Synonyma; deinde Epitheta, ſive propria, ſive translata, omnia ſcilicet adjectiva nomina iis applicabilia; ac tandem Phraſes, quæcunque de re tali voce expreſſa dici valent. Sic (ut ejuſdem utar auctoris exēplo) ſub voce *Capilli* Synonyma erunt *Coma, Crines*, &c. Epitheta verò *Criſpi, Aurei, Cani, Argentei*, &c. Phraſes autem *Radere, Diſcriminare*, & pariter de ſimilibus.

RUDIMENTUM II.
Univerſalioris Sylvæ Idea.

DUplicem hactenùs, & utranque laudabilem, attulimus *Sylvæ* parandæ rationem. Quoniam verò, neque ſolis Concionatoribus, neque Philoſophis ſcribimus, ſed cujuſque generis Oratoribus; quem innuit, & ut difficilem renuit citato loco Areſius, facilem, quoad poterit, reddere Sylvę modum, inſedit animo. Quævis igitur legenti occurrent plauſibilia, promiſcuè, prout advenient, notabit; ſervata majori, quam permittet claritas brevitatem. Ea ſingula marginale alphabetum præcedet, diſtinguétque: quod ut ſufficiat omnibus, pro ſingulis paginis renovabitur; quæ & ipſa ſuis numeris partientur. Atque etiam, ne in prolixam numeri abeant ſeriem, plures ipſa dividetur in partes Sylva majuſculis abecedarii notatas elementis; ut, exempli cauſa, *A* primam deſignet partem, in qua Scri-

pturales Conceptus; *B* ſecundam, in qua Eccleſiaſticæ hiſtoriæ; & ſic de ſingulis; aſſignata denique ſua miſcellaneis parte. Hinc (ut ab allatis in præcedenti Rudimento non diſcedam exemplis) ſub *A* primæ partis nota, 1. paginæ numero, *a* litera marginali, repones Chriſti ſuper Hieroſolymam lachrymantis expoſitam narrationem, & myſteria.

Habebis quoque duplicem vocum Indicem. Prior horum cunctas recenſebit voces in Lexicis ejus, quod magis placuerit, idiomatis reperibiles. Poſterior verò eas habebit duntaxat, ad quas magis uſitatas cæteræ cunctæ reduci valent; ſive ratione derivationis, aut conjugationis; ſive quia inter ſe Synonymæ, vel affines. In priori poſt vocem quamlibet oſtendes; ad quam poſterioris Indicis partem ea vox reducatur; vel an ex iis ſit, quæ in poſteriori Indice continentur: cujus ſit in paucis exemplum.

Abdico v. *Ind.* 2.	*Abluo* v. *Lavo.*
Abeo v. *Diſcedo.*	*Abnego* v. *Nego.*
Abhorreo v. *Ind.* 2.	*Aboleo* v. *Deleo.*
Abjicio v. *Ind.* 2.	*Abominor* v. *Abhorreo*
Abjuro v. *Ind.* 2.	*Abortus* v. *Ind.* 2.
Ablacto v. *Ind.* 2.	*Abrogo* v. *Ind.* 2.

In poſteriori verò quatuor divides columnas; aut plures; paucioréſve, ut placuerit. Harum primam occupabunt Synonyma, phraſes, epitheta, atque voces reliquæ, & dictiones idem ſignificantes; ſed primo tamen loco, quas prior Index adnotavit. Undè, cùm ad verbum *Abhorreo* perveneris, ſubdes *Abominor*, deinde reliqua: & cùm ad *Amor*, ſuppones *Charitas*, *Dilectio*, & ejuſmodi. Secundam columnam obtinebit locorum Sacræ Scripturæ citatio, quæ ſunt in Sylva. Tertiam implere poterunt ſimilitudines; quarum ſumma ad tranſlata, Exempla, Symbola, & cætera ejus generis ornamenta Rhetoricæ eſt utilitas. Quartam denique reliquorum omnium Sylvæ locorum notæ ſignabunt. Et ne deſit exemplum: notaueris in Sylva, quæ partis hujus Capite primo, Rudimento ſecundo, ex Sacræ Scripturæ Conceptibus in parva attulimus crimina: ſitque ſub *A* 1. *b*. illud: *Scintillæ ſunt peccata, quia opus veſtrum tanquam ſcintilla, ex Iſaia; at verò, monente Eccleſiaſtico, à ſcintilla*

Digitized by Google

mina augetur ignis. Sit quoque ſub C 1. *a* lachrymabilis alicujus incendii profana hiſtoria, quod parvus fecerit igniculus. Sit etiam ſub D, inter humanas ſcilicet auctoritates, 3. *b* illud Curtii: *Parva ſæpè contempta ſcintilla magnum excitavit incendium*. Jam hæc Indici ſecundo ſic trades. Obſervabis notiones omnes; nomina ſcilicet, verba, adjuncta; & quaſvis alias in ſingulis harum reperies propoſitionibus: putà in noſtro caſu *Scintilla, Ignis, Parvum, Incendium, Magnum, Peccatum*. Deinde ex his eliges, quas ſecundus dat Index; ſcilicet *Ignis*, (ad quod verbum reducuntur *Incendium, Scintilla, Flamma*, & ſic de cæteris) *Magnum, Parvum, Peccatum*. His ſingulis ſuis ita ſubſignabis notis, ut hìc vides,

	S. Script.	*Similit.*	*Reliqua.*
Ignis, flamma, ſcintilla, incẽdium, &c.	*A* 1. *b*-	*A* 1. *b*-	C. 1. *a*-D. 3. *b*-

Repertus enim in *A*. 1. *b*. Scripturæ Conceptus, idem in ſimilitudine fundamentum habet; ac proinde utrobique notandus. Ubi vides, quàm amplam Indicum copia Sylvam reddat, abſque eo quòd multiplici ſubjaceas illi rerum ſub quovis capite tranſcriptioni; vices breviſſima ſupplente citatione.

Uſus verò jam paratæ Sylvæ hic eſto. Data propoſitione qualibet, aut aſſerto, quod ornatè explicare, aut evincere rationibus velis; attende, ut mox eſt dictum, ſingulis ejus aſſerti notionibus; quæ in ſupradictis Indicibus repertæ oſtendent, quid è Sylva poteris decerpere. Sic de propoſitione hac verba facturo; *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*: vox *Ego* quærendam ſuggeret in Indice dictionem *Deus*, vel *Chriſtus*; quæ plura indicabit, quibus probes in Chriſto Domino jus imperandi Creaturis; & quòd Deus ſit; & quòd nos omnes paterna charitate proprio regeneraverit ſanguine; & ex aliis quoque capitibus. Vox inſuper *dico*, plura indicabit imperia, non modò Dei, ſed & hominum; quibus obtemperatum facilè fuerit, quantumvis arduis: necnon & correſpondentes plures heroicos obedientiæ actus. Sicque de cæteris omnibus vocibus: donec rerum tanta fruĕris copia; quanta ſatis, ſupérque erit,

ut aptiora ſeligas; neque penuria laborans, pervia quæque in tuam trudere cogaris Orationem.

PARS SECUNDA
DE DISPOSITIONE.

NEc lapidum, calcíſque acervus in domos conſurgit, & templa; nec promiſcua armatorum turba exercitum aſtruit; nec membrorum inordinata congeries exhibet ſtatuam; aut imaginem refert colorum indiſtincta miſtura. Hæc inter horridum chaos, & harmonicam univerſæ naturæ concinnitatem diverſitas, Diſpoſitio; qua certa lege cuncta compoſuit Incomprehenſibilis Sapientia. Hanc pariter Oratio quævis exigit; ut univerſum vitiorum, quæ viget, corruptela in Chaos abiens componat; ut dominanti erigat aulam rationi; ut (qualem ſcitus ille vocaverat) Dei templum conſtituat mundum; ut rebellem ſenſum è tyrannico expellat throno; ut virtutis iconem, & imaginem omnibus pulchram, venuſtam, amabilem, repræſentet. Eſt autem, ex Cicerone, * Diſpoſitio *Rerum inventarum in ordinem diſtributio*; & quidem apta ad ſuadendum. Res enim inventas ſuo donare debet ordine Rhetor; ut, quam poſſunt, majorem ſuadendi vim obtineant: nec non &, quæ extra ordinem ſunt, vel contraria videntur, ſeorſim ponere. Ad quod ordinalibus uti numeris ſolent Oratores in margine rerum è Sylva tranſcriptarum adnotatis. Quo autem ordine ſint ſingula diſponenda, præſens oſtendet artificium; quod omne ſub unico redigam capite. Quapropter,

* *Inv.* 1.

CA-

CAPUT UNICUM.

DE MULTIPLICI REURM ORDINE.

PRæter eam, de qua nunc agimus, ſolent Diſpoſitionem earum Orationis partium, quas majores dicunt, Rhetores explicare hic communiter; de Exordio ſcilicet agentes, Introductione, &c. Cùm verò nos iis ſingulis, non Ordinem modò, ſed & Elocutionem ſuam, cæteráque, de quibus nulla hactenùs tradita notitia, aſſignare conceperimus animo; in ſequenti libro de iis acturi, nunc tantùm de minoribus, ut ajunt, partibus (quæ ſolæ inventæ propriè dicuntur) agemus. Et quidem unicam in generalem regulam omnes, quæ de re hac tradi ſolent, meo collimant judicio; quam de quæſtionibus docuit Quintilianus * his verbis: *Vis quæſtionum ſemper creſcere debet, & ad potentiſſima ab infirmiſſimis pervenire*. Quam cuilibet Orationis applicuit Diſpoſitioni proverbium: *Oratio debet creſcere*. Ut tamen diſtinctiùs loquamur: quatuor in iis, quæcunque ſint, partibus obſervare licet: primò ſcilicet ſuadendi vim; quæ reſidet in Concluſione apta ad animos auditorum inflectendos: ſecundò probandi energiam; quæ in neceſſitate, ſeu certitudine, vel in probabilitate argumentorum conſiſtit: tertiò Doctrinarum claritatem; quibus audientium imbuitur mens, quò faciliùs rationum robori cedat animum: quartò denique Ordinem rebus ipſis inſitum, quę dicuntur. In quorum ſingulis advertendum, ne cœptus ſemel Ordo interrumpatur, veluti procedendo ſaltibus. Undè non benè iter Meſſana deſcriberet, qui priùs Romam, indè Neapolim memoraret.

* *Inſt. 7. c. 2.*

RU-

RUDIMENTUM I.
De Concluſionum Ordine.

ITaque totius Oratoris finis cùm ſit auditorum ſuaſio; Concluſiones ſunt primo loco conſiderandæ: quarum id exigit Ordo, ut ea pro termino ſervetur Orationis, quæ potior eſt ad ſuadendum auditorem. Juxtà quam legem ſervanda eſt etiam in propoſitionis partitione, ſi adſit, eadem Diſpoſitio, quæ in Orationis erit habenda corpore: *turpiſſimum* * enim *non eodem Ordine exequi, quod propoſueris.* Hinc.

Quint. inſt. 4. c. 5.

Primò ſeriem præſcribit auditorum affectus. Undè, licèt allaturus damna luxuriæ ad ejus odium inducendum, afferre priùs ea deberem, quibus corpori nocet, quàm, quibus animæ: ſi tamen homines alloquar, qui pluris corruptibile corpus, quàm immortalem animam faciunt; invertenda erit mihi Diſpoſitio; ut ex iis, quæ affert animæ, malis, ad ea, quæ corpori, ſimili quodam modo deſcendam; ſcilicet: *At quoniam vobis, ò luxurioſi, animæ præponderat corpus, & pro carnis illecebris animæ jacturam minimè curatis: futurum ſcitote, ut ipſa hæc vobis caro putreſcat; dum libido non ita nocet animæ, ut non etiam ſit mortifera carnis lues.* Quo tranſitu rationem jam reddam, cur debitum ſecùs ordinem invertam.

Secundò à facilioribus ad difficiliora ſuaſu procedendũ. Ut ſi priùs oſtendam, omni conſonum rationi, pro eo vitam tradere, qui animam ſuam pro nobis poſuit, ſi hoc exigeret; deinde, cùm hoc non exigat, neque inevitabili lege nos jubeat jugiter jejunare, aut inter vepres, & flagella ſanguinem fundere, ſed, quod faciliimum eſt, ſummum amare bonum; quàm pervicax, & iniquum, id non exequi, evincam.

Tertiò univerſim quæcunque aliam ſupponit jam probatam Concluſionem, à cujus vi pendeat, vel ad quam amplificandam, aut confirmandam ſit apta; hæc ultimo ponenda loco. Quare probaturus, omnibus moriendum; nec non mortem terribilium omnium eſſe terribiliſſimum; atque periculoſæ plenum opus aleæ; à priori incipiam Concluſione;

ſione; quæ neceſſariò præſupponenda eſt, veluti ſubjectum, de quo terror oſtendatur; & diſcrimen; deinde terror locum obtinebit; quem ſummi periculum momenti ultimò propoſitum confirmabit.

RUDIMENTUM II.
De Argumentorum Ordine.

Argumentorum eandem concluſionem roborantium duplex conſiderandum genus. Quædam enim neceſſariò concludunt; quædam verò non ita; ſed probabilitatem aliquam inducunt, & veriſimilitudinem. Rationum proinde ſedulò dignoſcendum robur; quò aſleò diſponantur, ut fidem certam auditoribus aſtruant. Eſt enim hoc inter media ad ſuaſionem inducentia præcipuum; ac conſequenter poſt concluſionum vim in primis obſervandum.

Una verò cunctorum eſt de Argumentorum Ordine Rhetoribus doctrina; juxtà quam (ut auctor ad Herennium* loquitur) Argumentorum Diſpoſitiones ejuſmodi convenit habere. Firmiſſimas in primis, & poſtremis cauſæ partibus collocari: mediocres, &, neque inutiles ad dicendum, (inutiles enim à bona exulare debent Oratione) neque neceſſarias ad probandum, quæ, ſi ſeparatim, ac ſingulæ dicuntur, infirmæ ſunt, cum cæteris conjunctæ firmæ, & probabiles fiunt; has interponi, & in medio collocari oportet. Eaque doctrinæ ratio, quam omnes amplectuntur; quòd ſcilicet hæc locorum Diſpoſitio, tanquam inſtructio militum, facillimè in dicendo, ſicut illa in pugnando, parare poterit victoriam. Quin & ex Ciceronis* mente, Orator, *cùm, animos prima aggreſſione occupaverit; infirmabit, excludetque contraria: de firmiſſimis alia prima ponet, alia poſteriora; inculcabitque leviora.* *lib. 3.* *Orat.*

His tamen haud obſtantibus, ſunt, quibus magis arrideat, hiſce præſertim temporibus, etiam Argumentorum robore Orationem creſcere, & ab infirmioribus ad magis ſemper ſolida pervenire. Cujuſmodi illud eſt ejuſdem Tullii:* *Non agam ſummo jure tecum: non dicam id, quod debeam forſitan obtinere cùm judicum ſit certa lege conſtitutum:* *in Verr. 7.*

non

non quid in re militari fortiter feceris : ſed quemadmodum manus ab alienis pecuniis abſtinueris , abste doceri oportere. Non inquam ſic agam ; ſed ita quæram, quemadmodum , te velle, intelligo , quæ tua opera , & quanta fuerit in bello . Firmat enim primò rem; deinde libens de ſuo jure remittit aliquid; undè poſtmodum audaciùs, atque robuſtiùs inſultet adverſario.

Utrunque verò nos morem , & præceptum conciliare optantes, inter Argumentorum inopiam , eorúnque diſtinguimus ubertatem . Si enim , vix unum , aut alterum neceſſariò concludens,ſolidúnque habemus Argumentum;& hoc tale, ut, neque totam implere valeat Orationem , niſi amplificetur ; neque poſſit amplificari , niſi enervetur , ac prolixa ventilatione areat , & frigeſcat; undè opus ſit plures rationes infirmioris inſerere activitatis , & roboris : certè tunc in medio eæ rationes collocandæ ; quæ à validioribus, activoribúſque Argumentis foveantur . Secùs enim auditorum animus ; qui ſtatim quæſtione propoſita , aut re narrata , quibus cauſa rationibus evincatur, expectat ; futiles primò objecta aſpectui dedignabitur : & mentis oculos melioribus claudet , quæ ſubſequentur . Quòd ſi neceſſariarum ſuppetit copia rationum : tunc certè , quò melior evadat Oratio , infirmiſſimis nullo fidendum jure; ſed ad ſummum ſparſim , & ex occaſione potiùs innui poſſunt , quàm urgeri . Conſequenter ab imbecillioribus inter firmas ordiendum ; quæ ſatis valeant mentem inflectere primo ictu , ſuáque virtute ingenium allicere ; ut validioribus jugiter ſuccedentibus creſcat Oratio, & fidem undequaque reddat auditoribus inconcuſſam.

Inſt.5. c.12. Demum id cum Fabio * notandum : cùm traditum ferè ſit, omnibúſque clarum , Argumentum debere auditoribus eſſe confeſſum; quæ in hujus , non confirmationem inquam, ſed primam probationem , adducuntur , priùs eſſe probanda: verbigratia probaturo, mulierem aliquam virum occidiſſe , quòd erat adultera , priùs de adulterio convincendum eſt ; ut cùm id cœperit eſſe pro certo , fiat incerti Argumentum . Vel ſecùs poſt probationem principalis Argumenti fiat ipſius reaſſumptio ſic: *Virum igitur occidiſti* : vel ſimiliter.

RU-

RUDIMENTUM III.

De Ordine Doctrinarum.

NOn in concluſionibus modò, verùm & in ſingulis argumentis, imò in periodis quibuſque, poteſt Doctrinæ ſervari methodus. Doctrinæ verò nomine claritatem præſertim intelligo in rebus proponendis, atque explicandis; quę docentium eſt precipuum attributum. Hic autem Ordo ſupradictis duobus præcellit in Orationibus ad Doctrinale ſpectantibus, inferiùs recenſendum, dicendi genus: in quibus univerſus Oratoris labor eſt docere ad ſuadendum. In iis verò, quæ argumentativè procedunt, tertium hunc obtinet locum: ut inter concluſiones illas, aut rationes, quæ, ſtantibus ſuperioribus regulis, æquales ſunt, quæ præcedere debeat, quæ ſubſequi, determinet, & oſtendat.

Primò igitur præmittenda, quæcunque ad alterius intelligentiam, veluti quid preſuppoſitum, conducunt; ſic D. Gregorius Papa,* poſtquam interpretari cœperat parabolam de Virginibus, veluti retrogreſſus advertit, prius de myſtico cælorum regno, quàm de virginibus inveſtigandum, dicens: *Sed priùs quærendum nobis eſt, quid ſit regnum cælorum; aut cur decem virginibus comparetur? Sed ſciendum nobis eſt, quòd ſæpè in ſacro eloquio regnum cælorum præſentis temporis Eccleſia dicitur,*&c. *in Ev. hom 12.*

Secundò faciliora ſunt arduis præmittenda; ſi prior tamen regula non obſtet: mens enim auditorum prioribus imbuta doctrinis poſteriorum capacior evadit. Excipiuntur tamen ea, quæ nimia ſui altitudine, ſi concionis initium occuparent (quod evenire præſertim in Doctrinalibus poteſt) fatigatam adeò relinquerent mentem, ut ferè poſterioribus attendere non valeret: tunc enim invertendus eſt Ordo.

Tertiò, ſi, cæteris paribus, quędam univerſalia ſunt, quędam verò peculiaria, ad eandem tamen materiam utraque pertinentia; ea pręmittenda, quæ à noſtro fine remotiora. Si enim peculiare thema pluribus ſuadere velim generalibus concluſionibus, aut pluribus ejuſmodi argumentis peculiarem evincere concluſionem; ab univerſalio-

ribus ordiendum, id docendi Ordine requirente: ſin minùs, econtrà. Primum habet Chryſoſtomus:* qui D. Baſilio reſpondens quærenti, quòd ſe fraude ad Epiſcopatum ſuſcipiendum induxerit; priùs oſtendit, non omnem fraudem eſſe reprehenſibilem; deinde, licere amicis profiguis dolis amicos fallere; tandem, ſe jure optimo ob ejus utilitatem ipſum decipere potuiſſe.

de Sacerd. l. 1.

RUDIMENTUM IV.

De Ordine Rebus inſito.

Ubicunque prædictæ locum non habent regulæ, vel eas nimis obſervare difficile; Rebus ipſis, quæ dicuntur inſito attendendum eſt Ordini. Evenit autem id non rarò plures inter periodi, aſſertique partes cujuſpiam.

Primò autem curandum, ut, quæ magis de eo participant, quod inſerere auditorum animis optamus; ad ea, quæ minùs ſunt talia, ſubſequantur. Sic ex utilibus majora, quæ animæ, quàm, quæ corpori proſunt; proinde poſtremo illa ponenda loco: econtrà verò de noxiis. Tale eſt illud Ciceronis * ebrietatem Antonii exprimentis: *Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſta gladiatoria totius corporis firmitate* &c. creſcit enim jugiter fortitudo; quæ tamen à vino fuerat ſuperata.

Philip. 2.

Secundò, ne aliquid ſuperfluum evadat, in eo laborandum, ut, quod priùs dicitur, non id in ſe contineat, quod poſteriùs exponitur: jam enim ſuperfluum eſſet, quod adderetur: ut ſi quempiam perjurum cùm appellaverim, ſubderem, eſſe mendacem. Econtrà verò in negando, quod alterum continet, eſt poſtponendum; ut ſi dicam, nec perjurum quem eſſe, nec mendacem. Quæ tamen intelligenda, cùm non aliqua volumus uti conceſſione ad fortiùs urgendum, quod noſtræ favet cauſæ; dicentes, ex. g. perfectũ hunc hominem eſſe, omnibúſque virtutibus ornatum, ac mendacii cujuslibet oſorem; ſed licèt is non eſſe concedatur; certè nunquam ad eam perveniſſe malitiam, ut Religione, quam ſemper cernuus eſt veneratus, poſthabita, perjuriis mendacium aliquod tentaverit confirmare.

Tertiò, cùm omnibus ex adhuc traditis regulis neutra ſug-

ſuggeret Ordinem, hunc Rerum ipſa natura ſubminiſtrabit: qua dictante, quis non agnoſcit, priorem adoleſcentia pueritiam eſſe, & tertium deberi virilitati locum, poſtremum verò competere ſenectuti? Similiter notum omnibus eſſe debet, vitam cujuſque commendanti, eodem per varias ejus ætates Ordine, ac regulariter per Rerum tempora procedendum. Hinc Cicero Verris ea protulit prima actione crimina, quæ is ante Præturam Siculam patravit; quatuor verò ſequentibus ea, quę in Pretura ipſa; & inter has prior furta continet privatorum; ſequitur, quę frumentariam rationem; poſt hanc ea, quę ſacrilegia; poſtremò, quę majeſtatis crimina comprehendit. Imò pro Scauro dicens confuſam his reprehendit adverſarii criminationem; *Et quoniam congeſta fuit accuſatio magis acervo quodam criminum, non diſtinctione aliqua generum, & varietate:* &c.

Qui tamen preſertim Rerum Ordines non adeò ſuperſtitiosè ſervandi, ut non aliquando mediocri pervertantur ex cauſa. Imò pervertit Cicero * ut dulciori ſono periodum ornet, priùs ſaxorum, quæ inanimata, poſtea beſtiarum commotionem enuncians: *Saxa, atque ſolitudines voci reſpondent: beſtiæ ſæpè immanes cantu flectutur, atque conſiſtunt*. Et hęc quidem de Diſpoſitione licuit obſervare. *pro Arch*

PARS TERTIA
DE ELOCUTIONE.

REgio decorata meritò procedit paludamento, eximius Orationum ornatus, Elocutio: cujus in encomiis defatigata celebriorum ingenia Rhetorum, non adhuc tamen ſatis explicarunt inſignia; ut, quę omnibus in exornandis egregiarum dotibus rerum immenſum aperit, Eloquentia, campum; ipſa ſibi inſufficiens, & impar videatur. Amœnum eam Plato Viridarium appellavit: in quo ri-

ridentia cuncta luxuriant florum genera. Iridem dixit Iſocrates vivacioribus effulgentem coloribus, Cœlo ſimilem fecit Demoſthenes univerſis ſtellarum gemmulis enitenti. Inter præcipuas Rhetoricę partes maximam non obſcurè fatetur Cicero, * dum ait: *Cùm, quid, & quo loco dicat, invenerit; illud eſt longè maximum, videre quonammodo.* Omnium preſtantiſſimam; & quę Rhetoricis mereatur acquiri ſudoribus, aſſerit * Quintilianus: *Hoc itaque maximè docetur: hoc nullus, niſi arte, aſſequi poteſt: huic ſtudium adhibendum: hoc exercitatio petit: hoc imitatio: hic omnis ætas conſumitur: hoc maximè Orator Oratore præſtantior: hoc genera ipſa dicendi aliis potiora.* Undè miratur, ſummiſque extollit Cicero Demoſthenem; quòd nullus ab eo locus, ac argumentum ſine conformatione ſententiæ, ſeu figuris, diceretur. Cujus tamen tanta laus eſt; ejuſdem (ſi Quintiliano * credamus) opus adeò laborioſum, & Oratorum omnium votis difficile; ut Marcus Antonius teſtetur, à ſe diſertos viſos eſſe multos, Eloquentem autem neminem. Ut verò aliquod attingamus ſignum hìc laborandum.

Orat. · *inſt. 8. in proœm.* · *inſt. l. 8. in proœm.*

Figurarum porrò, quibus Elocutio fulcitur, ut pretium explicent, leporem, & venuſtatem; alii Gemmas vocant; alii Colores, Lumina, Flores, Concinnitates; alii dicendi Veneres; aut Orationis Geſtus, Inſignia, ac Dignitates. Naturam verò definitione Fabius * exponit: ex quo *Figura eſt Conformatio quædam Orationis remota à communi, & primùm ſeſe offerente Oratione.* Quomodo Apoſtolus, * dicere cùm potuiſſet: Omne quod habes accepiſti: Interrogationis figurâ eſt uſus, dicens: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Et quanvis non deſint, qui, teſte eodem Quintiliano, Figuræ nomen univerſa iter ſumant pro qualibet dicendi forma, etiam vulgo communi; ut meritò dixerit Apollodorus, incomprehenſibilia hujus Artis precepta: hic tamen id magis preſsè ſumimus pro iis ſolummodò, quę à communi loquendi abſtrahunt conſuetudine.

inſt. 9. c. 1. · *1. Corinth. 4*

Elocutio verò deſcribi poteſt *Rerum inventarum juxtà diſpoſitionis ordinem artificioſa, ſeu præter communem loquendi modum, explicatio ad ſuadendum apta.* Quò tendit auctoris ad Herennium, ſimul & Ciceronis unica illa definitio; qua eſt Elocutio *Idoneorum verborum, & ſententiarum*

rum

rum ad inventionem accommodatio: quatenùs, ſi inventioni conſentaneè loquimur, ejus etiam fini coaptamur. Dicitur autem à nobis Elocutio inventarum eſſe rerum juxtà diſpoſitionis ordinem; ut intelligatur, tertiam hanc Oratorii muneris partem duas alias præſupponere, quibus decorem auget, & dignitatem. Dicitur inſuper preter communem loquendi modum explicatio; cùm in hoc Rhetorica differat Oratio à vulgari hominum confabulatione, & philoſophicis diſputationibus: quarum illæ tritas formulas, vel nulla elaboratas arte, qualeſcunque rudis natura dictaverit, expromunt; hę verò totę in convincendo ſiſtunt veluti invitum intellectum, atque aridiſſimis utuntur, rigidiſque formalis, verbiſque incomptis: at verò Rhetorica Elocutio dulciter alligare intellectus, & voluntates trahere conſuevit; ut vel de ea liceat dictum illud intelligi: *Trahit ſua quenque voluptas*. Ea nanque eſt hominibus nauſea ſuper iis, quę uſus reddidit familiaria, quanvis utillima; ut, niſi veritati varietatem ſocies, & ſapores, cuncta faſtidiant; quibus, ut ait Ariſtoteles, * ſola viciſſitudo eſt jucunda. 1.*Rh*.11.
Vel certè pretium addit Orationi raritas; quę in figuris, peregriniſquedictis reperitur; cùm econtrà non pauca viluerint uſu. Sic, cùm miniſtraret Deo Samuel, * *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis*; ſcilicet quia rarus, & infrequens; ut communiter interpretantur. Undè applicare etiam his licet illud Tertulliani; * *Semper abundantia contumelioſa in ſeipſam eſt*. Dicitur tandem ad ſuadendum apta Elocutio, ut oſtendatur, quòd nihil non ordinatum ad ultimum hunc Rhetoricę finem debeat Oratio continere. 1 *Rg*.3. *de hab.mul. c*.7.

Dupliciter autem Elocutione fretus ſuadere poteſt Orator; remotè ſcilicet, & proximè. Remotè ſuadebit, ſi attentos reddet auditores à tædio levando; ac Orationis dulcedine, & venuſtate demulcendo. Proximè verò, ſi voluntatem immediatè conabitur inflectere, affectibus eam variis ad ſuum trahendo finem: vel mediatè cogere mentem ad veritatis, quę probatur, cauſam attentè perpendendam; quò faciliùs indè voluntas cedat manus. Undè duplicem hìc diſtinguimus Elocutionis ſpeciem; remotam illā Ornatricem vocantes; proximam verò hanc Motricem: quibus Amplificationis ſubteximus explicationem, quæ univerſas

Elo-

Elocutionis ampleƈitur quodammodo partes, ut penè integrum opus appareat Oratoris. Nec me latet, à Quintiliano *reprehendi, qui plures dicẽdi multiplicant figuras, has quaſi ex omni loquendi modo ducentes; cùm, iraſci, & deprecari, & ejuſmodi plures modos putet ipſe, figuras utique continere, ſed non eos eſſe figuras. Verùm hoc interim ſcio, quas ipſe refutat, ferè omnes à Tullio, * & aliis non infimæ notæ auctoribus numerari. Nobis verò mediam ſecutis viam, Orationis ornamenta, ac lumina tenenda; nominibus his, vel illis uti, ſupervacaneum. Nihil enim refert, quomodo appelletur utrumlibet eorum, ſi, quid Orationi proſit, appareat: nec mutatur vocabulis vis rerum: & ſicut homines, ſi aliud acceperunt, quàm, quod habuerant, nomen, iidem ſunt tamen; ita hæc de quibus loquimur idem efficient: non enim nominibus proſunt, ſed effectibus. Sive igitur figuras; ſive alia quavis appellatione nuncupare velimus; *Optimum in his ſequi maximè recepta, & rem ipſam, quocunque tandem appellabitur modo, intelligi.* Quod ipſemet Quintilianus fatetur, ab inveſtiganda (quod arduum erat) Tropos inter, & Metaphoram differentia ſeſe expediturus.

Inſt. 9. c. 1.

de Orat. 3. & ad Brut.

CAPUT I.

DE ELOCUTIONE MOTRICE.

Duplici quoque oritur ex capite, quòd binas haſce potentias, intellectum inquam, & voluntatem, per Elocutionis formulas proximè moveat Orator. Primò enim ſimpliciter proponit, & oſtendit ſe taliter motum, qualiter auditores moveri vellet: undè fit, ut ratione cujuſdam ſimilis inclinationis, & ipſi moveantur. Cui perinde muneri inſervientes Figuras Sympathicas liceat appellare. Secundò poſitivè aliquid, quà intellectui, quà voluntati imprimit. Intellectui quidem rationibus ita per argumentationum formulas propoſitis, & explicatis, aut congeſtis; ut contendere videatur. Voluntati verò ita dicens; ut moveri in audientium corde poſſit affectus aliquis, licèt is in

Ora-

Oratoris ipſius animo dominari non ſupponatur. Quas idcirco formulas appello Contentioſas.

Ea tamen hic optarem advertenda: quæ voluntatem movent formulę, eas & cognoſcitivam præmoviſſe facultatem; quandoquidem, ut ore ajunt univerſo philoſophi, *Nil volitum, quin præcognitum*: ad intellectum tamen ex munere veluti proprio, ac principali, eas nos tantùm referre; quarum, in cognitione movenda, integer conſiſtit effectus; licèt ulteriùs minimè progrediantur. Deinde, non quia de ſimplicibus ſolùm hic loquimur figuris, varias earum inter ſeſe commixturas, combinationèſque diverſas inficiari: ſed id facere, quia non præſtat in earum compoſitione, non minùs facili, quàm innumera, diutiùs immorari.

RUDIMENTUM I.

De Figuris Sympathicè moventibus Intellectum.

AVida diſcendi ſemper, docendíque mens, earum, quæ ſibi occurrunt, veritatum minimè contenta, plures alias veluti ex odore venatur, & umbra; curioſitatíſque lucernam adhibens, quæ non novit inquirit, inventa publicæ luci expoſitura. Haud tamen in hoc ejus ſiſtit labor; quæ perſpicaciſſimæ inſtar aquilæ naturalis Soli luminis admotos reflexis actibus pullos ſuos (primas inquam cognitiones) obſervat, contemplatur, examinat. Hinc ad tria capita præſentes reducuntur Figuræ, inveſtigantis ſcilicet mentis, ejuſdem percipientis, iterúnque ſpeculantis genera; ſub quibus & aliæ diſpertiuntur.

IGNORATIO eſt formula, qua, penitùs ignorare quidpiam, artificiosè fatemur. Cujuſmodi illud eſt, quod famoſiſſimi cujuſdam pictoris ſepulcrum animavit: *Mutus eſt pictor: pictura loquitur: neutrum audio.*

REJECTIO quædam eſt veluti indignantis hominis Ignoratio voluntaria; qua aliquid audire renuit Orator, quaſi leve, aut ſuis indignum auribus, aut, quod maximè faſtidit. Et hoc in primis ſimulandum, quoties adverſariorum occurrit ratio, cui nulla ſuppetit ſatisfactio. Quintiliano* enim teſte, *Hæc ſimulatio hucuſque procedit; ut, quæ dicendo refutare non poſſumus, faſtidiendo calcemus*. Tale *inſt.5.c.13.*

illud

illud erat, quod Epitaphium quoddam componebat: *Neſcio: non ad me pertinet*. Magis tamen ad normam rejicit
c.16.v.2. Job *trium amicorum rationes: *Audivi frequenter talia: conſolatores oneroſi vos eſtis: nunquid habebunt finem verba ventoſa?*

DUBITATIO figura eſt ad copioſum ſtylum aptiſſima; qua ſe gerit Orator, ac ſi è duobus, vel pluribus, ita, quid eligendum ſit ignoret, ut in æqua maneat lance, de eo, quod dicendum ſibi, agendúmve ſit, hęſitans. Hujuſmodi illud eſt ex Divo Auguſtino, inter Filii plagas, Matriſque Virginis ubera contemplatione ſuſpenſo: *Hinc paſcor à vulnere: hinc lactor ab ubere: quò me vertam neſcio*. Cujus Figurę uſus habetur quidem venuſtè per hoc, quòd Orator clarè, ſe aſſerat dubitare. Cujuſmodi etiam ea eſt, qua de Callimacó (qui licèt occiſus, adhuc ſtabat) fuit dictum: *Dubito, an moriendo vicerit, an vincendo ſit mortuus*. Venuſtiùs tamen, & efficaciùs ea adhibetur, ſi relictis hujuſmodi vocibus, ſe ipſo effectu quiſque oſtendat hęſitantem: & quidem non rarò deliberatione ſtatim addita dubium omne reſolvendo. Quod præſertim locum habet, cùm (Deſperatione, atque Commiſeratione ſecluſa) vehementiores ſuſcitare Orator conatur affectus. Exemplum autem exhi-
in Ev. hom. 21. bet Divus Gregorius * de Paſchali lætitia hæc habens: *Noſtra dicamus, an ſua?* (nempè Angeli in albis ſedentis) *ſed, ut fateamur veriùs, & ſua dicamus, & noſtra*. Ubi advertendum, debere ejus deliberationis rationem ſubdi, niſi aliunde conſtet; quę veluti oſtendat, nos eatenus hęſitantes non irrationabili levitate, poſtmodum deliberaſſe. En, quę precitatus Doctor proſequitur: *Illa quippe Redemptoris noſtri reſurrectio, & noſtra feſtivitas fuit, quia nos ad immortalitatem reduxit; & eorum feſtivitas extitit, quia nos revocando ad cæleſtia eorum numerum impleuit*. Similiter & cùm plura dicuntur ſub disjunctione, figuratæ Dubitatio-
inſt.9.c.3. nis ſpecies eſt ex Quintiliano; * qui & exemplum hoc affert: *Sive mè malitiam, ſive ſtultitiam dicere oportet*.

RATIOCINATIO; quę ad attentionem, & curioſitatem excitandam apprimè inſervit; ex auctore ad Herenni-
lib.4. um * eſt; *per quam nos ipſi à nobis rationem poſcimus, quare quidque dicamus; & crebrò nosmet à nobis petimus uniuſcu-*

juſque

juſque propoſitionis explanationem. In eo perinde à Dubitatione diſcordans; quòd faciendorum, ac dicendorum ſit Dubitatio; Ratiocinatio verò dictorum, quare ſint dicta. Ab Interrogatione verò diſcrepans; quia Ratiocinatione latiùs ea patet; & vehementior, tùm in interrogando eſt, tùm etiam in aſſignando reſponſum; ut mox infrà. Exemplum interim Ratiocinationis ex eodem loco hoc ſit: *Benè majores noſtri hoc comparaverunt, ut neminem Regem, quem armis cepiſſent, vita privarent. Quid ita? Quia, quam nobis facultatem fortuna dediſſet, iniquum erat in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulò antè in ampliſſimo ſtatu collocaret. Quid, quòd exercitum contra duxit? Deſino meminiſſe. Quid ita? Quia viri fortis eſt, qui de victoria contendunt, eos hoſtes putare; qui victi ſunt, eos homines judicare: ut poſſit bellum fortitudo minuere; pacem humanitas augere.*

INTERROGATIO; quæ Inquiſitio quoque nominatur, & ab aliis Subjectio; vehementiſſima figura eſt omnibus inſerviens figuris; earúmque potiſſimè vim augens. Cujus energia, ac munus in eo ſita videntur; quòd de re, quam ita ſe habere, probè novit Orator, ſeipſum, vel alios interrogat; utrum id tale ſit, vel oppoſitum; ſe gerens, ac ſi neſciat id; de quo interrogat. Quo audientium mentes pariter ſecum trahit ad ipſam idem inveſtigandum, quod perſcrutatur: qui deinde nullam, vel non aliam invenientes reſponſionem, niſi, quam expreſsè, vel tacitè, reddit Orator, huic credentes ultrò dant manus. Hinc Ariſtoteles * lios Interrogationis uſus enumerat: ut primò, cùm alteram confeſſus fuerit partem adverſarius, ex ejus confeſſione abſurdum aliquod deducatur; quod, vel reum demonſtret; vel, malè fuiſſe reſponſum Interrogationi, oſtendat. Et exemplum adhibet ex Pericle; qui Lamponem de ſalutaris Deæ initiis interrogavit; cúnque reſpondiſſet ille, talia non initiatum audire, nefas; ſciſcitatus eſt rurſus, an ea ipſe noſſet? quod affirmantem rogavit denique: *Et quomodo*, inquiens, *cùm minimè ſis initiatus*? eum victum talibus oſtendens; quibus, quid reſponderet, non apparebat. Secundò de re aliqua interrogetur adverſarius; ut ex ejus reſponſione, rei ſecùs perſpicuæ, quam tamen ipſe negabat, ve-

* 3.Rh.20.

ritas eruatur. Quale illud eſt Socratis: qui Melitum, Deos eſſe, negantem; cùm fateretur tamen, adeſſe dæmones, eóſque, vel Deorum eſſe filios, vel divinum aliquod in ſe habere; interrogavit dicens: *Fieri ne poteſt, ut aliquis putet, Deorum filios eſſe; Deos eſſe non putet?* Tertiò, ut cogatur adverſarius, vel contraria ſibimet reſpondere, vel ambigua: quorum primum victum exhibet; ſecundum de ejus cauſa ſuſpicionem ingenerat auditoribus. Verùm hæc ad Judiciale genus attinent; licèt & ad reliquas inſervire poſſint argumentativas Orationes, ſi reſponſionem adverſariorum nomine ſuggerat Orator. Sunt tamen & alii ad Intellectum movendum Interrogationis uſus. Et quidem rem ut indubiam proponit Petro ſervus principis Sacerdotum, interrogans: *Nonne ego te vidi in horto cum illo?* Crimen auget apud Quintilianum * illud: *Matrem tuam occidiſti: quid dicam ampliùs? matrem tuam occidiſti.* In ſuarum miſerationum memoriam Deum revocat David, * petens: *Ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, Domine?* Admirationem exprimebant * Hebræi, ſe, quid eſſet manna, neſcire teſtati; dum rogabant: *Manhu? quid eſt hoc?* Et Virgilius:*

inſt. 8. c. 4.

Pſ. 88. 34.

Exod. 16.

Æneid 3.

Quid non mortalia pectora cogis, auri ſacra fames?

Imò, cùm, ex cognitione varios oriri rationabilis voluntatis affectus, neceſſe ſit; etiam ad hos conducit Interrogatio. Sic Interrogatione deliberatam ad ſe Deo ſubjiciendum, & immutabilem, Regius oſtendit Pſaltes: * *Nonne Deo ſubjecta erit anima mea?* In hominem lunatico filio ſanitatem precantem indignatur Chriſtus Dominus: * *O generatio incredula, & perverſa; quandiu apud vos ero?* Irridet mortem Apoſtolus: * *Ubi eſt mors, victoria tua? ubi eſt mors, ſtimulus tuus?* Reprehendit cujuſdam balnei, in quod fuerat ingreſſus, ſordes Diogenes, * à cuſtodibus requirens: *Qui hic lavantur, ubi lavantur?* Morsúque juvenem malè audientem (cujus janua hæc exhibebat: *Ne quid ingrediatur mali*) ſic impetiit idem Cynicus: *Ædium Dominus quà ingreditur?* Increpat acriùs, ſtimulátque Virgilius, ubi ait:

Pſ. 61.

Mat. 17.

1. Corinth. 15.

ap. Laert.

Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur?

Unico verbo: vix motus, quà intellectus, quà voluntatis eſt ullus, cui juxtà genus ſuum venuſtatem, gravitatem, aut vehementiam non addat Interrogatio.

RESPONSIONEM etiam figuratè fieri docet Quintilia-

nus, * cùm de aliquo interrogati, ad aliud videmur reſpondere. Cui Reſponſionum generi & illas addo, quas æquivocas, aut ſub aliqua damus conditione; ut minùs nobis obſtent, & petenti faciliùs occurratur. Sic propriæ culpæ confeſſioni defenſionem præmitteret, qui, juxtà exemplum à præcitato Fabio propoſitum, interroganti; an hominem occiderit, reſponderet: *Et latronem*. Et alterius augeret crimen, qui, an vapulaverit, rogatus: *Et innocens*: reſponderet. Sic etiam declinatura petitionem hoſtium Andromacha; cùm in Hectoris ſepulchro filiũ à Græcis morti deſtinatum abſcondiſſet; interrogata ab Ulyſſe, ubi natus eſſet? inquit: *Ubi Hector? ubi cuncti Phryges?* quò ille credidit mortuum. Sunt etiam & ludicræ Reſponſiones: ut, qua petenti; num ranæ cibus eſſent melancholiam augens? lepidè reſpondit Medicus: *Nequaquam; quia ſemper canunt.* *inſt.9.c.2.*

COMMUNICATIO ad Interrogationem ferè reducitur; cujus eſt veluti quædam ſpecies. Hac, ob maximam pro ſua cauſa certitudinem, fingit, ſe auditores, vel adverſarios ipſos Orator conſulere, expoſcens, quidnam dici verius, aut melius fieri potuiſſet eo, quod dictum, factúmve eſt? quidve de re quapiam eis videatur? Quo fit, ut ipſi ſuo, dum reſpondent, ore judicent; aut aliam non invenientes reſponſionem, Oratoris menti acquieſcant. Hinc Davidi peccatum objecturus Nathan propheta uſus eſt parabola; atque ab ipſo Rege ſententiam expectavit, quam in ipſummet, expoſita parabola, retorqueret. Et apud Quintilianum * Cato hæc habet: *Cedò: ſi vos in eo loco eſſetis, quid aliud feciſſetis?* *inſt.9.c.2.*

SUBJECTIO; ſi Quintiliano * credimus; à ſupradictis diverſum eſt Schema. Ea nanque alium cùm rogaverimus, non expectamus reſponſum; ſed ſtatim ſubjicimus prævenientes. Sic Cicero: *Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas*. Quæ figura differt etiam à Præoccupatione infrà explicanda; quòd, hæc Interrogatione ſemper præhabita defenſioni occurrit; illa verò oppoſitionem prævenit adverſariorum. *inſt.9.c.1.*

COGNITIO eſt, qua rem auditoribus cognoſcendam exponimus, oſtendentes, nos eandem cognoſcere jam, ac planè ſcire. Sic Divus Petrus * è carcere eductus inquiebat *Act.* 12.

ad ſe reverſus: *Nunc ſcio verè, quia miſit Deus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis*. Et Divus Paulus
2.Corinth. 12. gnorationem ironicam ſubdens ait: * *Scio hominem, ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio &c.*

ADMIRATIO eſt Orationis ornatus ſimul, & robur: ut
ad Brut. rectè de ea Cicero * dixerit: *Eloquentiam, quæ Admirationem non habet, nullam puto*. Duo repræſentat; rei ſcilicet novitatem, & excellentiam. Undè Ariſtoteles ait in Ethicis, raro magnanimes admirari; eoquòd pauca magni ju-
in Jo.tr. 24. dicent ponderis. Et monente Auguſtino, * de iis nos admiramur, quæ nova ſunt nobis; de iis verò ſtuporis nihil habemus, quæ, in generatione rerum, & conſervatione à Sapientiſſima Dei Providentia quotidie præſtita, ſunt familiaria, & veluti aſſiduitate viluerunt. Proinde maximè cavendum Oratori, ne levia quæquæ, & obvia, ceu mirabilia proponat. Quod ineptè quidam faciebat miratus, quòd caligas roſiſſent mures: cui deridens Cado, futurum, inquit, mirabile, ſi caligæ roſiſſent mures; non, quod is ut miraculum oſtentabat. Cæterùm, Admiratio; vel Interrogationi ad augendam vehementiam immixta; vel ab ea ſe-
Philipp. 2. juncta poteſt haberi. Primo modo miratur Cicero: * *At quàm inſolenter ſtatim helluo invaſit in ejus viri fortunas; cujus virtute terribilior erat populus Romanus cæteris gentibus; juſtitia charior?* Secundo verò modo Apoſtolus * admiratur: *O altitudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei!* &c.

lib. 4. PRÆTERITIO; quam auctor ad Herennium * Occupationem vocat; eſt formula ad amplificandum aptiſſima: qua, plura de re aliqua ſe non dicere, cùm poſſit, Orator oſtendit; quaſi eo contentus, quod pro ſe magis facere putat; atque id tanti faciens, ut cætera cuncta libentiſſimè prætereat; quæ tamen tunc maximè dicit. Sic Divus Paulus: * *Ego Paulus ſcripſi mea manu; ego reddam: ut non dicam tibi, quòd & teipſum mihi debes*. Ubi advertendum, ne, quod dicere fatemur, ſit levius iis, quæ fingimus præterire. Huc etiam ſpectat formula quædam prætereundi, Omiſſio ab aliquibus appellata; qua, vel nullo prorsùs pacto recenſemus, quæ præterire nos dicimus; vel ſumma duntaxat eorum capita percurrimus. Primi ſit exem-
Apolog. ad V. Ruf. l. 2. plum ex D. Hieronymo: * *Ut cætera ſileam, ex hoc uno capite*

pite comprobo, ferream te frontem poſſidere fallaciæ. Secundi verò ex Tullio: * *Poſſem multa dicere de liberalitate, de domeſticis officiis, de Tribunatu militari, de provinciali in eo Magiſtratu abſtinentia: ſed mihi ante oculos adverſatur Reipublicæ dignitas; quæ me ad ſeſe rapit; hæc minora relinquere hortatur.* *pro Sextio.*

RETICENTIA; græcè Apoſiopeſis, ab auctore verò ad Herennium Præciſio nuncupata; vehemens figura eſt, & Præteritioni affinis; qua, de re quapiam nonnullis dictis, reliquum tacemus aliquid (quod tamen poſſit facilè ſubintelligi) ad complendam periodum neceſſarium. Ejuſmodi eſt illud pſalmi: * *Sed tu Domine uſquequò?* ſcilicet differens *auxilium*; ut ex ſuprà recenſitis miſeriis colligit * noſter Areſius. Simile eſt illud Chriſti Domini: * *Cùm videritis abominationem deſolationis, quæ prædicta eſt à Daniele propheta: qui legit intelligat*: ubi ſignanter Reticentia notatur. Ejus ſignificatio multiplex, juxtà plures, quæ nos ad ſilendum valent impellere cauſæ: quarum ut nonnullas attingam. Turpitudinem eorum, quæ tacet, deſignat auctor ad Herennium; ubi id præbet exemplum. *Tu iſta nunc audes dicere? qui nuper alienæ domui ... Non auſim dicere; ne, cùm te digna dixero, me indignum quidpiam dixiſſe videar*. Quod apprimè neceſſarium eſt in obſcœnis vitiis, vel à Sacro Oratore, vel coram honeſtis auditoribus reprehendendis. Indignationem, & ſtomachum denotat, quod * ait Cicero: *Sed immitiſſimus Servius, qui filium miſit ad affligendum Cn. Pompejum, vel certè capiendum, cum Pontio Tiriniano. Et ſi hic quidem timoris cauſa: Ille verò... Sed ſtomachari deſinamus*. Doloris magnitudinem oſtendit Chriſtus, * cùm civitatem videns flevit ſuper illam, dicens: *Quia ſi cognoviſſes & tu*: quaſi ſubintelligens, quæ eventuræ erant, miſerias, & divinæ ultiones Juſtitiæ: ſequitur enim: *Et quidem in hac die tua* &c. Huc etiã attinet Reticentiæ ſpecies, quæ Implicatio dicitur * ab Hermogene. Cujus exemplum illud eſt in Æſchinis; ubi, cùm debuiſſet dicere: *Cùm igitur ſciam, ipſum eſſe reum ſcortationis*: à poſtremo volens abſtinere verbo, ſe implicatum his ſimulat: *Cùm igitur ſciam, ipſum eſſe reum.... reum eorum, quæ modò à Scriba publico recitante audiſtis.*

Pſalm. 6.
Art. pred. l. 3. c. 4.
Marc. 13.
ad Attic. l. 9. Epiſt. alt.
Luc. 19.
in Æſchin.

LICENTIA huic opponitur; libertas ſcilicet dicendi rem magni momenti, quanvis auditoribus infenſam: quam dicendi non rarò veniam poſtulamus. Undè, & noſtram erga auditores oſtendimus reverentiam: & maximum rei dicendæ pondus augemus: & ejuſdem ſæpè innuimus turpitudinem; quæ digna ſit, ut audientium, aut animos offendat, aut vultus verecundo rubore perfundat; dicenda tamen. Exemplum aptiſſimum ex Cicerone * ſic utrunque complectens: *Vos Patres Conſcripti: (grave dictu eſt; ſed dicendum tamen:) vos, inquam, ſervum Sulpitium vita privaſtis.*

Philip. 10.

SUSTENTATIO; quæ & Suſpenſio dicitur à nonnullis; eſt, quâ per aliquod Orationis ſpatium auditorum animus curioſitate ſuſpenditur; ut indè, re non parvi ponderis expoſita, vel admiratio concilietur, vel eorum, quæ dicuntur, momentum augeatur. Suſpenditur verò dupliciter auditorum animus: modò nanque ſimpliciter inveſtigatio protrahitur dilatione reſponſi: modò plura, quæ dici, excogitarive poſſent, innuuntur, & refutantur; addita non rarò cauſa rejectionis. Utrunque mirè præſtat Tullius;* cujus hæc ſumma: *Cauſa dicta damnati ſunt. Quid deindè? quid cenſetis? furtum fortaſſe, aut prædam expectatis aliquam? Nolite uſquequaque eadem quærere. In metu belli furandi qui locus eſſe poteſt? etiam ſiqua fuit in hac re occaſio, prætermiſſa eſt. Tunc potuit nummorum aliquid auferre, cùm accuſati ſunt: at verò jam damnatis ſervis; quæ prædandi poteſt eſſe ratio?* Hactenus rationibus referta negatione ſuſpendit animos: proſequitur nunc dilatione reſponſi ſuſtinere: *Produci ad judicium neceſſe eſt. Itaque producuntur, & ad palum alligantur. Etiamnum mihi expectare videmini, Judices, quid deindè factum ſit; quòd iſte nihil unquam fecit ſine aliquo quæſtu, atque prædâ. Quid in ejuſmodi re fieri potuit? quod commodum eſt? Expectate facinus, quàm vultis, improbum: vincam tamen expectationem omnium. Homines ſceleris, conjurationiſque damnati, ad ſupplicium traditi, ad palum alligati, repente multis millibus hominum ſpectantibus* (adhuc protracta Suſtentatio clauditur tandem) *ſoluti ſunt, & Leonidæ illi domino redditi.* Cavendum tamen in primis, ne frequentiores in hujuſmodi figura ſimus: neque rem levem

in Verr. l. 5. *Or.* 10.

terminum Suſpenſioni ſtatuamus; niſi jocari aliquando libeat, liceátque; ut * Martialis facit: *l.1. epigr.7.*

Quòd convivaris ſine me tam ſæpè, Luperce,
Inveni; noceam qua ratione tibi.
Iraſcar, licèt uſque voces, mittaſque, rogeſque.
Quid facies? inquis. Quid faciam? veniam.

IRONIA; quæ latinè Simulatio; eſt, qua aliquid ita promit Orator, ut, quod ei eſt contrarium, velit intelligendum. Tale eſt illud Tullii: *Quid agis, bone Cuſtos, defenſorque Provinciæ?* Hanc (bona Areſii, * & Bedæ * venia) non video, in quo diſcriminem ab Antiphraſi; quam dicunt ex intentione loquentis contrariam adhibere vocem ad oppoſitum ſignificandum: ut cùm Job * increpabat uxor: *Benedic Deo, & morere:* pro dicendo: *maledic.* Etiam enim Ironia vocem adhibet ſignificato contrariam, quod intendit: nec poteſt unquam vox aliqua deſignare præter inſtitutum primorum idiomatis inventorum; niſi ejus vis à loquentis invertatur intentione. Invertitur autem ſignificationis robur, modò geſtibus, & voce Simulationem indicantibus: (undè potiùs voce proferri, quàm ſcripto, valent Ironiæ) qualis erat impia Hebræorum Chriſto irridentium Simulatio; quem flexo genu ſalutabant: *Ave Rex Judæorum.* Modò circunſtantiis clarè oſtendentibus loquentis voluntatem: quale ex aliquorum interpretatione fuit paſſuri Redemptoris * dictum: *Quod facis, fac citiùs.* Modò etiam quibuſdam additis, quæ loquentis intentionem clarè revelent: cujuſmodi illud eſt: * *O præclarum cuſtodem ovium, ut ajunt, lupum!* Uſus verò multiplex Ironiæ. Aliquādo nanque deridet: quod Helias Baal Sacerdotibus faciebat: * *Clamate voce majori; Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diverſorio eſt.* Nonnunquam tacitè reprehendit: ut quod Davidi in conſpectu Arcæ ſaltanti * Michol objecit: *Quàm glorioſus fuit hodie Rex Iſrael diſcooperiens ſe ante ancillas ſervorum ſuorum; & nudatus eſt, quaſi nudetur unus de ſcurris.* Quandoque, ut alia taceam, jocatur: quod Martialis Saletano dolorem eximium ob uxoris mortem ſimulanti vetulæ, ſed divitis, habet:

Art. præd.l. *l.3.c.41.* *Beda l.de Tropis.* *c.2.v.9.* *Jo.13.28.* *in Anton.3.* *3. Reg.18.* *2. Reg.6.*

Illa, illa dives mortua eſt Secondilla.
Nollem, accidiſſet hoc tibi, Saletane.

CONCESSIO; aliis Confeſſio nuncupata; eſt, qua adverſariis falſum concedimus aliquod parùm ad noſtram conducens cauſam, ac ſi verum ab iis diceretur, & alicujus eſſet momenti. Ejúſque duplex ex Cicerone * ſpecies; Purgatio, & Deprecatio. Prioris eſt confidentiam oſtentare pro noſtra cauſa; quòd, adhuc talibus conceſſis, tuta ſubſiſtat: ut, cùm Tullius * habet: *Non dubitavi, inquis, cùm vadimonium deſertum eſſet, bona proſcribere. Improbè. Verùm, quoniam tu id tibi arrogas, & concedi poſtulas; concedamus.* Poſterioris verò eſt veniam petere: cujus artificiũ ad eorum, quæ iram leniunt, attinet inventionem. Huic affinis eſt apud Quintilianum * Permiſſio: qua aliquod faciendum, dicendúmque permittimus; quippe in adverſariorum commodum haud conducens; vel, quod fieri etiam à volente nequeat: ut, cùm Vatinio dicebat Calvus: *Perfrica frontem; & dic, te digniorem, qui Prætor fieres, quàm Catonem.*

Inv. 2. — *pro Quinct.* — *inſt. l. 9. c. 2.*

AFFIRMATIO, & NEGATIO aſſeverantiam dictis addunt: quibus appoſitè notamus, & veluti nos aliquid inficiari, aut concedere, proteſtamur. Undè ſepulchralis quidam hæc exponebat lapis: *Sic eſt, viator: quidquid eſt, nihil eſt.* Et clariùs Cicero, dum conceſſione vult adverſarium expugnare: *Eſt labor; inquit, non nego: pericula magna; fateor: multæ inſidiæ ſunt bonis; veriſſimè dictum.* Negat verò alibi idem Tullius, dum ait: *Nego, eſſe quidquam à teſtibus dictum; quod, &c.*

JURAMENTUM vim auget veritati: & quemadmodum ab Oratore profertur ſummè certo de re, ſuper quam jurat; ita maximam ingenerat certitudinem mentibus auditorum. Hujus uſus non niſi in rebus maximi momenti prudentem habet locum: & meliùs ut plurimùm ad jurandum promptùm ſe oſtendit Orator, ſi foret opus; quàm reipſa jurat. *Nam & in totum jurare*, inquit * Quintilianus, *niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parùm convenit: & eſt à Seneca dictum eleganter, non patronorum hoc eſſe, ſed teſtium: nec meretur fidem, qui ſententiolæ gratia jurat.* Fit autem Rhetoricum juramentum, ſive per aliquod magnum, & ſingulare; ſive per aliquod juranti apprimè charum, vel proprium. Utroque modo jurat Fabius ipſe * de mortui filii virtutibus inquiens;

inſt. 9. c. 2. — *Proœm. l. 6. inſtit.*

quiens: *Juro per mala mea, per infelicem conſcientiam, per illos Manes numina doloris mei; has me in illo vidiſſe virtutes ingenii;* &c.

OBTESTATIO, licèt ſit Juramento valdè affinis, eundémque habeat ferè uſum; in eo tamen conſiſtit, quòd ea inſtet, rogétque Orator quidquam (ſive rationis compos, ut homines; ſive expers, ut muros, lapides, & ſimilia) ad aſſertum proprio firmandum teſtimonio; cùm Juramentum ſolùm innuat, hæc poſſe veritatem teſtificari. Obteſtationem ad rationabilia dirigit Pſalmiſta:* *Dicant, qui redempti ſunt à Domino:* &c. Ad irrationabilia verò Tullius:* *Vos, Albani tumuli, atque luci: vos, inquam, imploro, & obteſtor: voſque, obrutæ aræ; quas ille ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſit.* *Pſ. 106. v. 2.* *pro Mil.*

OSTENSIO eſt, qua veluti digito quidpiam demonſtramus. Sic Sapientia * dictura, juſtos computatos inter filios Dei; ait: *Ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei.* Et D. Joannes: * *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater; ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Solet autem hujuſmodi figura locum habere præcipuum in Narrationibus: inſervítque præſertim Deſcriptioni: ſed tamen ab ea differt; cùm in particulari conſiſtat vi demonſtrantis illius vocis; Deſcriptio verò pluribus in verbis, & his ut plurimùm expertibus Oſtenſionis; ut mox apparebit. *Sap. 5. v. 5* *Epiſt. 1. 3.*

DESCRIPTIO generalis figura eſt diſtinctè, & clarè rem quampiam Topicis exponens; adeò, ut potiùs tunc primò ab Oratore veluti præſens agnoſci, quàm auditoribus exhiberi præcognita videatur. Exemplum præſtat Curtius, * ubi torridam his exponit plagam: *Terra; Cœloque aquarum penuria eſt: ſteriles arenæ jacent; quas ubi vapor ſolis accendit, fervido ſolo exurente veſtigia, intolerabilis æſtus exiſtit.* Species habet varias ex rerum, quas exprimit, diverſitate deſumptas: quarum non paucis attributa nomina obliteravit deſuetudo: nonnullas quoque, cùm de Hiſtoria agemus, in ultimo hujus operis libro recenſebimus; nihil enim peculiaris continent artificii, quod ſpectet ad Elocutionem. EFFICTIO nunc ſeſe tantùm offert huc loci ab auctore ad Herennium * revocata: qua verbis figuram rei cujuſpiam viventis, imaginémque veluti depingimus, quæ de- *lib. 4.* *lib. 4.*

Digitized by Google

dit aſpectui, ſtaturæque natura, perhibentes. Exemplum præſens ibidem ipſe ſuggerit: *Hunc dico, Judices, rubrum, brevem, incurvum, canum, ſubcriſpum, cæſium; cui ſanè magna eſt in mentò cicatrix; ſi quo modo poteſt vobis in memoriam redire.* Deſcriptionis porrò, (ſive, quæ Effictio eſt; ſive alterius cujuſque generis) tanta in docendo utilitas, & in dicendo venuſtas; ut ea paſſim, non modò primi Oratores, Sanctique Patres ex gravioribus utantur; ſed & in ſacris paginis ſummus omnium Rhetor Deus: quo dictante, nunc * myſticæ exhibetur Sponſæ pulchritudo; nunc * cœleſtis Jeruſalem, cæteráque non pauca deſcribuntur.

Cantic. 4.
Apocal. 21.

Excipere te hîc non pigeat, Candidate Lector, profuſiorem aliquantò normam ex aureis noſtri Silos epiſtolis * depromptam: ubi Meſſanæ laudibus indulgens eam primùm deſcribit; effingit deinde Xiphiæ piſcis imaginem; ut ejus denique exhibeat piſcationem: cuncta his verbis. *Me tenet Meſſana non ſanè invitum. Ea quippe hæc Civitas; ut, cùm nullum detineat invitum, detinere vel invitos poſſit. Prona ad pietatem gentis indoles: à nobilitate, à titulis ſplendor illi non mediocris. Cœlum apprimè ſalubre (æſtate præſertim, quæ pars anni moleſtior) ventorum afflatus perinde temperant, ut nullum ab æſtivo ſidere incommodum, ac morſum timeas. Tuentur hinc montium ſupercilia, ac rupes; hinc mare: munimenta videlicet, quæ natura excitavit: & ſi propugnandæ inclytæ Urbi, junctis unà viribus, conjuraverit cum natura ars ipſa, extructa in montibus non una arce; quæ quicquid huc unquam Helleſpontiacæ claſſis, audaciæque adnavigaſſet, fulminibus ſuis peterent, ac perderent. Illa etiam abundè nota poetarum carminibus monſtra Charybdis, Scyllaque propè latrant ad excubias. Quod verò Meſſanam ad Orbis invidiam ſummoperè nobilitat, is eſt celeberrimus in ea portus; atque imminens portui theatrum, ædificiorum forma, ſplendore, elegantia longè magnificentiſſimum. Exporrectum terræ brachiũ pelagus ita claudit; ut Scylleum fretum, procellas, ventum excludat: moranturque ſine metu, ſine motu navigia in ſinu ipſo tranquillitatis. Vides hic eadem ſuis cum puppibus navigia in theatrum ipſum excurrere; ac ſpectare propiùs quicquid in eo geſtationum, ac commeantium populorum: planè, ut confundi, miſcerique cum curribus roſtratæ ipſæ naves videantur.*

Analect. Cêtur. 1. *Epiſt.* 96.

Digitized by Google

mittur. Ab ipſo verò portu peramœni Calabri colles tam prope abſunt; ut, interfuſo licèt pelago, manu tangas. Procurrunt hi quidem colles in mare, ac penè velificant; ut theatrali pulcherrimæ Urbis facie, ac magnificentia & ipſi fruantur. Eſſet porrò, cur Meſſanenſi in freto, quod utranque alluit Siciliam, ab acceſſu, receſſuque celebre, tantiſper adhuc immoremur. Nam piſcoſum id quidem: atque hac potiſſimum anni tempeſtate piſcem hoſpitatur, cui nomen Xiphias, ab enſe videlicet, quem præfert. Magnitudine thynnum æquat: forma item haud diſſimilis; niſi quòd illum natura militarem in modum oblongo, duroque adeò mucrone, quem diximus, obarmavit; ut cymbas interdum transverberaverit. Jucundiſſimum ſui ſpectaculum præbet, cùm capitur: accurruntque paſſim ex omni gradu viri, ac fœminæ, ut tantũ voluptatis peregrinæ capiant. Armatum mirè piſcem armis etiam adoriuntur: ac fuſcina res agitur; cui non una cuſpis perinde conformata, ut, impreſſo vulnere, hæreat lateri lethalis arundo. Ergo partito munere plures huc illuc diſcurrunt cymbæ. Qui ſpeculatorem agit, ubi Xiphiam advertit, neſcio quid græcè, ut ajunt, obmurmurat, ut alliciat, evocetque. Atque interim admonitus eò convolat piſcator, factoque comminùs gradu collimat: tùm, quanta maxima vi poteſt, triſulcum telum jacit. Accepto ille vulnere, mirum, quo ſeſe impetu indè proripiat: planè, ut, tum quidem expiſcari, atque extrahere, fruſtrà eſſet. Funem, qui ligat fuſcinam, indulgere, ac ſequi curſu quàm rapidiſſimo fugientem, neceſſe eſt, quoad ab ictu vis languеat. Ac tum recuſantem, minitantemque, non ſine grato quodam intuentium horrore, extrahunt: agnoſcuntque generoſiorem piſcis indolem; qui diſtrictum enſem moriens adhuc vibrat; veluti ulciſci mortem ſuam, vel extinctus, velit. Sed longiùs abripuit me Scylleum fretum: vela contraho; &c.

HYPOTYPOSIS à græca voce dicitur vivax quæcunque Deſcriptio, ac rerum illuſtris explanatio, & earum, quaſi gerantur, ſub aſpectum ſubjectio: quæ verbis res ita delineat, format, exprimit; ut, non tam audiri, quàm inſpici videantur. Et eam præſertim accipit vim ab Acrivologia; diſtincta ſcilicet rerum narratione. Non tamen adeò diſtincta, ut ad minuta quæquæ deſcendat, evadátque tenuis dictionis forma, qualis à Demetrio reputatur: ſed, quæ

 obje-

objecta nimis ſenſibilia (quippe profundiores imagines relinquentia) réſque novas proponat. Uſitatę enim res * facilè è memoria elabuntur: inſignes, & novæ manent diutiùs. Et *Sol*, inquit * Seneca, *niſi cùm deficit, ſpectatorem non habet: adeò naturale eſt, magis nova, quàm magna mirari*. Creſcit verò ſenſibilitas objectorum, ſi iis velut anima tribuatur, & vivax actio: undè Cicero non, vocem *emittere*, dixit aliquando, ſed *excitare*. Deinde ab Energia quoque vim recipit Hypotypoſis: quam etiam faciunt, tùm objecta maximè ſenſibilia: (inter quæ potiora ſunt, quæ viſū movent) tùm uſus verborum ad particularem rei ſignificationem propiùs accedentium; ut *reſpicere* pro eo, quod eſt, iterum aſpicere: tum voces actionem aliquam, &, quæ major eſſe poſſit, importantes. Undè, *ex eis verbis conſtare*, inquit Ariſtoteles, *Subjectionem ſub oculos; quę ſignificant aliquam actionem*. Exemplum autem is adhibet illud: *Hinc concitati cum impetu Greci ruunt*: Energiam recognoſcens in voce *Concitati*: necnon in pluribus Homerum citat, quæ inanimata ſunt, animata fingentem; quod proprium eſt Proſopopœjæ mox explicandæ. Species enim Hypotypoſis tres ſolent enumerari: Etopœja, Sermocinatio, & Proſopopœja. ETOPOEJA; quam Notationem vocat * auctor ad Herennium; eſt ex eodem figuræ ſpecies, qua alicujus natura certis deſcribitur ſignis; quæ, ſicuti notæ quædam naturę ſunt attributa: ſeu, ut alii loquuntur, eſt morum, vel geſtus, prout mores indicat, Deſcriptio. Hujuſmodi eſt equi delineatio in libro Job.* Hujuſmodi quoque illud *Ciceronis: *Jam deſignato alio vultu, alio vocis ſono, alio inceſſu eſſe meditabatur; veſtito obſoletiore, corpore inculto, & horrido, capillatior, quàm antè, barbaque majore; ut oculis, & aſpectu denuntiare vim Tribunitiam, & minitari Reipublicę videretur.* PROSOPOPOEJA; quam & Cōformationem * vocant; eſt Effictio perſonæ: quatenùs, aut res muta fit eloquens; aut forma datur informi, eíque vel Oratio tribuitur ad dignitatem accommodata, vel actio quædam; aut denique confingitur, quæ non adeſt perſona, quaſi præſens. Primi exemplum ex Job: * *Abyſſus dicit: non eſt in me: & mare loquitur: non est mecum*. Secundi exemplum ex Habacuc: * *Viderunt te, & doluerunt montes: gurges aquarum*

Herenn. 4.
Qu. nat. c. 1.
lib. 4.
c. 39. v. 23.
Cic. 2. Agr.
Herenn. 4.
c. 28. v. 14.
c. 3. v. 10.

quarum tranſiit: dedit abyſſus vocem ſuam : altitudo manus ſuas levavit. Tertii verò ex Tullio * mortuum veluti ab inferis excitante locuturum: *Exiſtat ergo ille vir parumper cogitatione veſtra, quoniam re non poteſt; ut conſpiciatis eum mentibus, quem oculis non poteſtis.* SERMOCINATIO demum eſt Sermo, viventi quidem attributus, ſed qui talia non dixerit vnquam, licèt potuerit. Sic D. Ambroſius * tenellam Virginem Agnetem martyrio jam proximam ſuũ ergà cœleſtem Sponſum amorem exprimentem introducit: *Sponſi injuria eſt expectare placituram. Qui me ſibi prior elegit, accipiet. Quid, percuſſor, moraris? Pereat corpus, quod amari poteſt oculis, quibus nolo.* Cavendum id tamen; ne præſenti cuipiam invito tribuamus actus, aut verba, quæ nō prompſerit. Quod vitium è ſcholis putat translatum Quintilianus: * in quibus omnia fingimus impunè, cùm pro facto ſit, quidquid volumus. Lepidúſque, quem affert eventum de Caſſio: qui dicenti adoleſcentulo inter declamandum: *Quid me torvo vultu intueris, ſevere?* reſpondit oppidò: *Non me hercules faciebam: ſed ſic ſcripſiſti.* Undè ſimilibus in caſibus ſolummodo permittitur internos animi affectus interpretari: illóſque non ita proponere, ac ſint; ſed quaſi eſſe credantur.

pro Balbo.

1. de Virgin.

inſt. 6. c. 1.

PLEONASMVS; latinè Suprabundantia; formula eſt ex * Areſio, qua res quælibet pluribus, quàm neceſſe ſit, vocibus artificiosè perhibetur. Idque dupliciter evenit: primò rem unicè pluribus exprimendo verbis: ſecundò rem eandem diverſimodè repetendo. Hoc Synonymia habetur, vel Commoratione: illud Periphraſi. Hujus autem bina ſpecies Circuitio, & Circumlocutio, quæ alio nomine Circunſcriptio, nuncupatur. CIRCUITIO autem dicitur, ſi vocem aliquam exhibet inter cæteras, quæ una ſufficientiſſimè rem ipſam valeret denotare: ut illud * Divi Leonis Papæ: *Ad arcem Romani deſtinatur Imperii*: poterat enim abſque tanto ornatu dicere: *Romam deſtinatur*. Et de hac inquit * auctor ad Herennium: *Circuitio eſt rem ſimplicem aſſumptam circunſcribens elocutione hoc pacto: Scipionis prudentia Carthaginis opes fregit. Nam hic, niſi orandi ratio quædam eſſet habita, Scipio, potuit, & Carthago ſimpliciter dici.* Quò ſpectat etiam illud Terentii: *Hiſce oculis*

Art. pred. l. 3. c. 38.

Serm. 1. de Ss. Apoſt. Petro, & Paulo.

lib. 4.

ego

egomet vidi: & ſimiles huic locutiones. CIRCUMLOCUTIO verò vocatur, ſi vox adeſt nulla, quæ tale quid exprimat ſolitariè expoſita: quam abundè figuram Topica ſubminiſtrat. Sic ex qualitate Ecſtaticum Doctorem pro Dionyſio Carthuſiano cum aliquibus dices; vel ex communi, Gentium Apoſtolum pro D. Paulo. Et de hac * Quintilianus ait: *Periphraſim vocant circuitum loquendi: qui nonnunquam neceſſitatem habet, quoties dictu deformia operit; interim ornatum petit ſolum*. Id enim Circumlocutionis munus; vel ornatam reddere Orationem, vel modeſtam, vel auditoribus innocuam; id tacendo, quod, aut his infeſtū, aut in ſe turpe, aut minùs ornatum, aut aliàs repetitum videtur. Sic jactantiæ evaſurus turpitudinem ſeipſum his nominat * D. Joannes: *Converſus Petrus vidit illum diſcipulum, quem diligebat Jeſus*. Sic quoque Hebræorum Sacerdotes amabiliſſimum Jeſu nomen, quia ſibi exoſum, tacentes: * *Quid facimus? obmurmurabant; quia hic homo multa ſigna facit*. Et Tyberius nativi idiomatis puritatem ſuperſtitiosè æmulatus, cùm decreti cujuſdam lectioni præſens, *emblema* nominari excepiſſet, juſſit Circumlocutionem potiùs, quàm græcam vocem, latina quanvis jam Civitate donatam, adhiberi. SYNONYMIA porrò unicæ voci plures ſubtexit idem prorsùs ſignificantes: quę, cùm difficillimè reperiantur, arduum ejus figuræ reddunt Oratoribus uſum; ſi enim plùs ſignificet earum altera, Auxeſis aderit, figura inferiùs explicanda. Ubi tamen reperiuntur, rem magis habent declarare, majorémque fidem addere, ac vim. Hujuſmodi fortè illud eſt * Ciceronis: *Decepit, feſellit, induxit*. COMMORATIO demùm; quæ tùm ad impiendam Orationem, tùm ad majorem conducit certitudinem ingerendam; eſt ejuſdem ſententiæ ſub diverſis vocibus iterata expoſitio. Tale eſt * illud Davidis: *Non moriar, ſed vivam*. Et hęc, aliquando in altera tantùm Orationis fit parte; ſi ſtatim prolata ſententia in eadem verſanda manemus: quam ſolam explicat Cicero nomine Commorationis; auctor * ad Herennium Expolitionem vocat; alii verò dicunt Exornationem. Aliquando verò in tota fit Oratione: quã ſupradictus * ad Herennium auctor Commorationem appellans his exponit: *Commoratio*

Inst. 5. c. 6.

Jo. 21. 20.

Jo. 11. v. 47.

Philip. 5.

Pſ. 117.

lib. 4.

ibid.

tio eſt, cùm in loco firmiſſimo, quo tota cauſa continetur, manetur diutiùs, & eodem ſæpiùs reditur. Hac uti maximè convenit; & id eſt Oratoris bonum maximè proprium. Prioris exemplum hoc exhibet de Cæſaris clementia * Tullius: *Hujus gloriæ, Caje Cæſar, quam es paulò antè adeptus, ſocium habuiſti neminem. Totum hoc, quantuncunque est, (quod certè maximum est) totum est, inquam, tuum. Nihil tibi ex iſta laude Centurio, nihil Præfectus, nihil Cohors, nihil turma decerpit.* Poſterioris verò fit exemplo quævis Oratio, cujus aſſumptum pluribus idem concludentibus, eodémque redeuntibus confirmatur.

pro Marcello.

BREVITAS genus figuræ eſt Pleonaſmo oppoſitæ: quæ, teſte * Cicerone, *niſi neceſſarium, nullum aſſumitur verbum;* ſed tota, quò paucioribus, expeditur Oratio. Ejus uſus aptiſſimus eſt ad ea, quæ nota ſunt, in memoriā revocanda; aut ad Orationis ornatum; aut ad annuendum temporis anguſtiæ; aut etiam ad magnificentiam oſtendendam. Aliquid enim Brevitas indicat majeſtatis, Principum inſtar, qui verba ſubditis, ceu gemmas, vendunt potiùs, quàm largiantur. Fit autem verbis non modò paucioribus, ſed brevioribus: undè his monet Oratores * Ariſtoteles: *Qui autem dicendi voluerit Brevitate uti, oportet, totum negotium uno vocabulo complectatur, & hoc maximè, quod in ipſa re breviſſimum inſit. Opus est etiam paucis uti copulis, plurima verò conjungere: nominibus ita uti, ut una dictio duabus ſerviat rebus.* Species ad Brevitatem reduci quatuor valent; Compendium, Laconiſmus, Sententia, Synecdoche. COMPENDIUM eſt figura unico ceu verbo concludens quodcunque dictum antea fuerat, ac ſi prædictorum omnium unum id in ſeipſo contineat ſignificationem. Sic Edippus ſuos vituperans natos: *Illis parentis ullus, aut æqui est amor avidis cruoris, Imperii, armorum, doli: diris, ſceleratis: breviter ut dicam; meis.* LACONISMUS; à Lacedæmonibus, à quibus duxit originem, ſic appellatus; eſt figura paucis id reſtringēs, quod nondū pluribus dictū fuerat. Sic Galba penulam roganti: *Non poſſum*, inquit, *accommodare: domi maneo*: domus quippe ejus perpluebat. Romanus eques objicienti Auguſto, quòd integrum voraſſet patrimonium: *Meum putavi*; reſpondit. Apollinis ſtatuæ mar-

Inv. 1. — *ad Alex. 21* — *Quint. inst. 6. c. 4.*

mori ad naturam à Praxitele inciſæ ſubſcripſit quidam: *Praxiteles Niobem ulciſcitur*: quaſi Apollinem in petram vertiſſet, qui Niobem in ſaxum transmutarat. Cujuſdam medici imagini ſuppoſuit alter: *Non occides*: & imagini Juriſtæ ſubdidit: *Non furtum facies*. Similiter & ipſi Laconiſmi inventores Philippo plura minitanti reſponderunt hęc tantùm verba: *Lacedæmonii Philippo*: *Dionyſius Corinthi*: quaſi pollicerentur, ſe id ipſi facturos, quod ſui fecere Dionyſio. Ac tandem amici pictoris jocoſo morſu impetens opus Michael Angelus Bonaruota, ſingulis apponebat figuris: *hic eſt Canis*: aut: *hæc eſt arbor*: & hujuſmodi: quod ille cùm advertit, Satyrum poſt ſepem aſpectu perridiculum inibi pinxit; cui ſubſignavit: *at hic eſt Michael Angelus Bonaruota*. Fiunt autem non propoſitiones modò, ſed & argumenta Laconica: Quale illud * Tertulliani ad vitium cultæ mulieri improperantis: *Hevam te eſſe neſcis?* quaſi ream convincat criminum, ad quæ talis aſpectus inducit. SENTENTIA quid addat Laconiſmo, uniformiter explicant auctor ad Herennium, * & Ariſtoteles: * quibus eſt univerſale enunciatum mores dirigens. Poteſt autem ad omne tempus extendi; ut modò anteactos commendet, reprehendátve mores; modò legem futuris ponat. Veruntamen aliquid ulteriùs addit alibi * Stagyrita: ubi Sententiam vocat adversùs omnes opinionis propriæ declarationem: cui, ſi incredibile aliquid videatur continere, cauſæ addantur, ſed breviter; ut & brevitate dicacitas Oratoris, & rationibus auditorum incredulitas effugiatur. Definiri proinde poteſt Sententia *Propriæ mentis enunciatum; quod breviter, & indubiè aliquid ad mores attinens oſtendit*. Hujuſmodi autem eſt illud Apoſtoli * dicentis, quòd *beatiùs eſt magis dare, quàm accipere*: &, quod ratione confirmat Pythagoras: *Elige optimam vitam; nam conſuetudo reddet jucundiſſimam*. Et huc attinere videntur brevia quædam dicta per modum Sententiæ ab ipſo Oratore prolata; quòd præter brevitatem integrum habentem ſenſum, urbanitatem quandam, & concinnitatem preſeferant. Horum tria Quintilianus* enumerat capita. Primum ob ſolam verbi geminationem: ut, cùm occiſa matre ad Senatum miſit Nero, ſe periclitatum videri volens: *Salvum me eſſe, adhuc* nec

de cultu fœmin. l. 1. c. 1.

lib. 4.

2. Rh. 28.

ad Alex. 11

Act. 20. 35.

inſt. l. 8. c. 5.

nec credo, nec gaudeo. Secundum ob oppoſitionem: ut in illo Ciceronis: * *Habeo, quem fugiam; quem ſequar, non habeo.* Tertium verò ob Comparationem: ut cùm Trachallus contra Spathalen ait: *O leges diligentiſſimæ pudoris cuſtodes! decimas uxoribus dari; quartas meretricibus.* SYNECDOCHE, & figuræ, & Tropi nomen eſt. Quæ igitur eſt figura, huc pertinet, & idem denotat, quod Intellectio: in eo conſiſtens, quòd verbum aliquod inter dicendum omittat; quod tamen communi uſu facillimè ſubintelligatur. Sic * Cicero: *Sermo nullus ſcilicet, niſi de te: ſubtraxit enim, habetur.* Hæc à Reticentia multùm differt: quæ enim Reticentia præcidit, voces aliæ non ſuggerunt; quod tamē evenit in Synecdoche. | ad Attic.8. | ad Brut.

EMPHASIS, teſte Quintiliano, * vicina Brevitati, ſed amplior virtus eſt, altiorem præbens intellectum, quàm, quem verba per ſeipſa declarant. Ejuſmodi illud * eſt: *Domine, tu mihi lavas pedes?* cujus vis ſummam Deum inter, & homines exprimens imparitatem à D. Auguſtino * his obſervatur: *Tu mihi? quid eſt: Tu? quid eſt: mihi? Cogitanda ſunt potiùs, quàm dicenda: ne fortè, quod ex his verbis aliquatenùs concipit anima, non explicet lingua.* Similiter habent Emphaſim tùm dicterium illud: * *Virum eſſe oportet:* tùm, quòd Spartanis de fuga conſilium ineuntibus à facie millies trecentorum hoſtium reſpondit Statorius Victor: *Trecenti ſumus; ſed Spartani.* Imò & Emphaſim continere dicuntur Timantis picturæ; in quibus * *plus intelligitur, quàm pingitur.* Ea portò inter figuram hanc adeſt, & Brevitatem differentia; quòd Brevitate quidem, vel tota Sententia plus importat, quàm exprimat: vel unicum verbum in ſua manens ſignificatione, quidquid eſt dicendum, abſolvit: (quæ duo in Laconiſmo, & Sententia contingunt) vel, ſi verbum adhibetur plus ibi, quàm alibi ſignificans; (ut evenit in Compendio) eam tamen vim ab iis, quæ prædicta ſunt, accipit: at verò Emphaſis verbo ineſt; quod unicum ex ſolis rei circumſtantiis majorem illam in ſignificando, recipit efficaciam. | Jo. 13. | Tr. 56. in Jo. | ap. Quint. inſt. 8. c. 3. | Plin. l. 35. c. 25.

FREQUENTATIO; ſeu plurium Congeries rerum, breviſque, ac frequens Enumeratio; Commorationi opponitur: in ea namque per modum plurium idem ſemper dici-

mori ad naturam à Praxitele inciſæ ſubſcripſit quidam; *Praxiteles Niobem ulciſcitur*: quaſi Apollinem in petram vertiſſet, qui Niobem in ſaxum transmutarat. Cujuſdam medici imagini ſuppoſuit alter: *Non occides*: & imagini Juriſtæ ſubdidit: *Non furtum facies*. Similiter & ipſi Laconiſmi inventores Philippo plura minitanti reſponderunt hæc tantùm verba: *Lacedæmonii Philippo*: *Dionyſius Corinthi*: quaſi pollicerentur, ſe id ipſi facturos, quod ſui fecere Dionyſio. Ac tandem amici pictoris jocoſo morſu impetens opus Michael Angelus Bonaruota, ſingulis apponebat figuris: *hic eſt Canis*: aut: *hæc eſt arbor*: & hujuſmodi: quod ille cùm advertit, Satyrum poſt ſepem a ſpectu perridiculum inibi pinxit; cui ſubſignavit: *at hic eſt Michael Angelus Bonaruota*. Fiunt autem non propoſitiones modò, ſed & argumenta Laconica: Quale illud * Tertulliani ad vitium cultæ mulieri improperantis: *Hevam te eſſe neſcis?* quaſi ream convincat criminum, ad quæ talis aſpectus inducit. SENTENTIA quid addat Laconiſmo, uniformiter explicant auctor ad Herennium, * & Ariſtoteles: * quibus eſt univerſale enunciatum mores dirigens. Poteſt autem ad omne tempus extendi; ut modò anteactos commendet, reprehendátve mores; modò legem futuris ponat. Veruntamen aliquid ulteriùs addit alibi * Stagyrita: ubi Sententiam vocat adversùs omnes opinionis propriæ declarationem: cui, ſi incredibile aliquid videatur continere, cauſæ addantur, ſed breviter; ut & brevitatate dicacitas Oratoris, & rationibus auditorum incredulitas effugiatur. Definiri proinde poteſt Sententia *Propriæ mentis enunciatum; quod breviter, & indubiè aliquid ad mores attinens oſtendit*. Hujuſmodi autem eſt illud Apoſtoli * dicentis, quòd *beatius eſt magis dare, quàm accipere*: &, quod ratione confirmat Pythagoras: *Elige optimam vitam; nam conſuetudo reddet jucundiſſimam*. Et huc attinere videntur brevia quædam dicta per modum Sententiæ ab ipſo Oratore prolata; quòd præter brevitatem integrum habentem ſenſum, urbanitatem quandam, & concinnitatem preſeferant. Horum tria Quintilianus* enumerat capita. Primum ob ſolam verbi geminationem: ut, cùm occiſa matre ad Senatum miſit Nero, ſe periclitatum videri volens: *Salvum me eſſe, adhuc*; *nec*

*de cultu fœmin.l.*1.*c.*1.

*lib.*4.

3.*Rh.*28.

*ad Alex.*11

*Act.*20.35.

*inſt.l.*8.*c.*5.

nec credo, nec gaudeo. Secundum ob oppoſitionem: ut in illo Ciceronis: * *Habeo, quem fugiam; quem ſequar, non habeo*. Tertium verò ob Comparationem: ut cùm Trachallus contra Spathalen ait: *O leges diligentiſſimæ pudoris cuſtodes! decimas uxoribus dari; quartas meretricibus*. SYNECDOCHE, & figuræ, & Tropi nomen eſt. Quæ igitur eſt figura, huc pertinet, & idem denotat, quod Intellectio: in eo conſiſtens, quòd verbum aliquod inter dicendum omittat, quod tamen communi uſu facillimè ſubintelligatur. Sic *Cicero: *Sermo nullus ſcilicet, niſi de te*: ſubtraxit enim, *habetur*. Hæc à Reticentia multùm differt: quæ enim Reticentia præcidit, voces aliæ non ſuggerunt; quod tamē evenit in Synecdoche. — ad Attic. 8. — ad Brut.

EMPHASIS, teſte Quintiliano, * vicina Brevitati, ſed amplior virtus eſt, altiorem præbens intellectum, quàm, quem verba per ſeipſa declarant. Ejuſmodi illud * eſt: *Domine, tu mihi lavas pedes?* cujus vis ſummam Deum inter, & homines exprimens imparitatem à D. Auguſtino * his obſervatur: *Tu mihi? quid eſt: Tu? quid eſt: mihi? Cogitanda ſunt potiùs, quàm dicenda: ne fortè, quod ex his verbis aliquatenùs concipit anima, non explicet lingua*. Similiter habent Emphaſim tùm dicterium illud: * *Virum eſſe oportet*: tùm, quòd Spartanis de fuga conſilium ineuntibus à facie millies trecentorum hoſtium reſpondit Statorius Victor: *Trecenti ſumus; ſed Spartani*. Imò & Emphaſim continere dicuntur Timantis picturæ; in quibus * *plus intelligitur, quàm pingitur*. Ea porrò inter figuram hanc adeſt, & Brevitatem differentia; quòd Brevitate quidem, vel tota Sententia plus importat, quàm exprimat: vel unicum verbum in ſua manens ſignificatione, quidquid eſt dicendum, abſolvit: (quę duo in Laconiſmo, & Sententia contingunt) vel, ſi verbum adhibetur plus ibi, quàm alibi ſignificans; (ut evenit in Compendio) eam tamen vim ab iis, quæ prædicta ſunt, accipit: at verò Emphaſis verbo ineſt; quod unicum ex ſolis rei circunſtantiis majorem illam in ſignificando, recipit efficaciam. — Jo. 13. — Tr. 56. in Jo. — ap. Quint. inſt. 8. c. 3. — Plin. l. 35. c. 25.

FREQUENTATIO, ſeu plurium Congeries rerum, breviſque, ac frequens Enumeratio; Commorationi opponitur: in ea nanque per modum plurium idem ſemper dici-

tur; in Frequentatione verò ex oppoſito contingit. Ejus uſus ad augendum aptiſſimus. Exempla quoque paſſim in Orationibus obvia. Sit pre manibus unum ex Iſaia* filiæ
c.1.v.22. Sion mala recenſente: *Argentum tuum verſum eſt in Scoriã: vinum tuum miſtum eſt aqua: Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera; ſequuntur retributiones: pupillo non judicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos.*

AUXESIS; græcè, quaſi ab augendo, ſic dicta; eſt vocum uſus majus aliquod ſignificantium, quàm res habeat, de qua loquimur; limites tamen credibilitatis haud excedens. Vel unico fit verbo, vel pluribus. Quæ unico, vocari la-
in Verr.3. tinè poteſt Auctio: ut apud * Ciceronem: *Non furem, ſed ereptorem: non adulterum, ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum, ſed hoſtem ſacrorum, Religionunque* &c. Quæ verò fit pluribus, Incrementum nominatur: éſtque formula, qua de re eadem plures congerimus voces vim gradatim addentes noſtrę dictioni, ſive aliquod ſemper affirmando majus, ſive plus aliquid ſucceſſivè negando. Et primi
in Catil. 2. quidem exemplum illud ſit * ex Cicerone: *Abiit, exceſſit, e-*
de Ira l. 3. *vaſit*. Vel ex Seneca * de Caligola concludente: *Ceciderat flagellis Senatores. Ipſe effecit, ut dici poſſit: ſolet fieri. Torſerat per omnia, quæ in rerum natura triſtiſſima ſunt: fidiculis, tabularibus, eculeo, igne, vultu ſuo.* Exemplum verò ſecun-
c.7.v.31. di Jeremias * exhibet: *Quæ nec præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum.* Sunt & alii Incrementorum
inſt.8. c.4. modi, quos recenſet * Quintilianus. Cujuſmodi eſt circunſtantiarum congeries aliquid ulteriùs ſemper addentium:
in Anton. cujus exemplum idem affert ex Tullio: * *In cætu verò populi Romani, negotium publicum gerens, Magiſter equitum* &c. Similiter & conglobata argumẽta à minori ad majus diſcurrentia. Reuera tamen hæc, & ſimilia ab Inventione petuntur ad Rhetoricam Amplificationem appoſitione rerum habendam: de qua eo loco Fabius agit, & nos infrà.

TAPINOSIS; aliis Diminutio nuncupata; locum & ipſa tenet inter figuras: quanvis Diminutionis habeat etiam nomen, quod cum ea ſolet non rarò confundi, artificii genus oppoſitum Amplificationi. Eſt igitur Tapinoſis Auxeſi contraria figura; qua verbis minus habentibus, quæ majora dici poſſent, exprimimus. Idque, modò ad jactantiam

fu-

fugiendam: ut: * *Nam hoc pro meo jure, Judices, dico, me la-bore, & induſtria curaſſe, ut diſciplinam militarem non in po-ſtremis haberem*: poterat enim dici: *ut in primis tenerem*. Modò ad reprehenſionum leniendam aſperitatem: ut, * quod Apoſtolus, dicere cùm potuiſſet: *In hoc reprehendo*: mitiùs inquit: *In hoc non laudo*. Modò verò ad res alio quocunque ex fine minuendas. Fit autem & ipſa dupliciter. Vel enim unica vox omnem inducit tenuitatem; & Extenuatio poteſt appellari: quales ſunt cunctæ dudum allatæ formæ. Vel pluribus gradatim vocibus minuit; & vocatur ab Areſio * Decrementum: ut cùm dicitur homo *Pulvis, & Umbra, Nihil*.

ad Heren. 4.
1. Corinth. 11.
Art. pred. 2. c. 34.

HYPERBOLE; alio nomine Superlatio; eſt Augmentum rei, vel Diminutio ad incredibile. Undè ab auctore ad Herennium * definitur: *Oratio ſuperans veritatem, alicujus augendi, minuendive cauſa*. In hoc enim, Seneca * teſte, omnis Hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. Quod non poterat fieri, dicit; ut credatur, quantùm plurimùm poſſit: ac veluti ea oſtendit Orator, æquas ſe non invenire voces; ut ad ſuperferentes confugere neceſſe ſit. Idque, vel fit cum comparatione; vel abſolutè. Comparatione quidem auget * Jeremias: *Candidiores nazarei ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſapphiro pulchriores*. Minuit verò Martialis; * qui ad excellentiam Domitiani aula deſcripta, Dominum magis elaturus concludit:

lib. 4.
de Benef. l. 1.
Thren. 4. v. 7.
lib. 8.

Hæc, Auguſte, tamen, quæ vertice ſidera pulſat,
Par Domus eſt cælo; ſed minor eſt Domino.

Abſque comparatione minuit Cicero apud * Quintilianum: *Pauci tamen, qui proximi aſtiterant, neſcio quid illum de lege Agraria voluiſſe dicere ſuſpicabantur*. Et D. Ambroſius * de Sancta Agnete locutus: *Fuitne in illo corpuſculo vulneri locus? & quæ non habuit, quò ferrum reciperet, habuit, quò ferrum vinceret*. Auget autem Cæſaris clementiam * Tullius: *Ipſam victoriam viciſſe videris, cùm ea ipſa, quæ illa erat adepta, victis remiſiſti*. Et Moyſes * inquit: *Dominus regnabit in æternum, & ultrà*. Ac tandem Martialis * ad naturam depictos exprimit piſces dicens: *Adde aquam; natabunt*. Obſervat præterea Quintilianus * modum Hyperbolem ipſam

inſt. 8. c. 4.
de Virg. ſerm. 1.
pro Marc.
Exod. 15.
lib. 3.
inſt. 8. c. 6.

ipſam ſuperferendi novę Hyperbolis additione, ac retracta-
Philip. 2. tione prioris: exemplúnque reddit ex * Tullio: *Quæ Charyb-
dis tam vorax? Charybdim dico; quæ, ſi fuit, fuit animal vi-
vum? Oceanus mediusfidiùs vix videtur tot res, tam diſſitas,
tam diſtantibus in locis poſitas, tam citò abſorbere potuiſſe.*
Id tamen hìc omninò cavendum; ne, quæ ultra fidem ſe-
per eſt Hyperboles, ſit & aliquando ultra menſuram, & mo-
dum: facilè nanque degenerat in riſum. Undè à Deme-
Partic. 71. trio * dicitur: *Hyperbole omnium frigidiſſima*: qualis cu-
juſdam fuit dicentis, *Charybdim ipſius maris naufragium vi-
Suaſor. 1. deri*; quam hìs Seneca * notat: *Ipſis Charybdi, & Scilla
majus portentum!* Inſuper dignitati eſt conſulendum: quæ
ut ſervetur, & res, de qua ſermo fit, & loquentis eſt perſo-
inſt. 8. c. 6. na ſpectanda. Quoad rem enim, teſte Quintiliano, * tum
eſt Hyperbole virtus, cùm res ipſa, de qua loquendum eſt,
naturalem modum exceſſit: conceditur enim ampliùs di-
cere, quia dici quantùm eſt non poteſt. Quoad Oratoris ve-
rò perſonam cautiùs incedendum, niſi rationabilis excuſet
3. Rh. 13. affectus vehementia: ex Ariſtotele enim * habent Superla-
tiones juvenile quiddam: vehementem enim animi mo-
tum indicant; undè irati præcipuè Superlationibus utuntur:
quare ſenem uti Superlationibus minimè decet.

Herenn. 4. ANTITHESIS; ideſt Contrapoſitio, uel, ut ab aliis, *
Ariſt. 3. Rh. 12. Contentio; eſt figura, * qua, *vel in utroque membro contra-
rium eſt alteri contrario conſtitutum; vel idem membrum
è contrariis conſta*. Vel enim duabus, aut etiam pluribus
in dictionibus idem integrantibus membrum Oppoſitio
conſiſtit; vel pluribus clauſa verbis, duo periodi ejuſdem
Jo. 7. v. 16. membra contraponit. Prioris generis illud eſt * Chriſti Do-
mini: *Mea Doctrina non est mea*. Poſterioris verò Paren-
Luc. 1. v. 52. tis Virginis * illud: *Eſurientes implevit bonis: & divites di-
miſit inanes.* Tota nanque in eo conſiſtit Antitheſis Elocu-
tio, quòd oppoſita (ſive ea ſit Comparatio, ſive alterius
generis contrarietas) ita brevibus expreſſa proximè obji-
cit, ut clarè eorum pateat Oppoſitio. Sic ex Relatis Ovi-
dius de invidia: *Carpitque, & carpitur unà:*
Suppliciumque ſuum eſt.
lib. 8. Ex Inæqualibus Martialis: *
Par Domus eſt cælo; ſed minor eſt Domino.

Ex

Ex Contrariis Auſonius de ſcribendi arte: *In alba paginâ nigræ Cadmi filiæ currunt*. Ex Privantibus Iſocrates: *Aut vivos amplifica; aut mortuos derelinque*. Imò & quędam aliquando præbet materiam Situs, & Conſtructionis Contentio: ut apud Socratem: *Non ut vivat edit; ſed ut edat vivit*. Vel hoc aliud: *Dum cogitas agenda, non agis cogitanda.*

Modus verò hanc adhibendi formulam quadruplex præſertim. Primò ſcilicet oppoſita ſimpliciter oppoſitis conferendo, tribuendóque ſingula ſuis diſtinctis ſubjectis ad horum diverſitatem, aut oppoſitionem oſtendendam. Hujuſmodi eſt illud Salluſtii: *Concordia res parvæ creſcunt: diſcordia magnæ dilabuntur*. Illud quoque * Melliflui Doctoris: *Non eſt Chriſtus circumforaneus: eſt enim pax; in foro lites: Chriſtus Juſtitia eſt; in foro iniquitas: Chriſtus operator eſt; in foro inane otium: Chriſtus Charitas eſt; in foro obtrectatio: Chriſtus fides eſt; in foro fraus, atque perfidia*. de Virg. 3.
Secundò de ſubjecto eodem altero negato, alterum ei tribuendo. Cujus eſt generis Philoſophi Moralis * illud: *Non accepimus brevem vitam; ſed fecimus: nec inopes ejus ſumus; ſed prodigi*. de brev. vitæ c. 1. Tertiò unum affirmando de altero: aut utrunque ſimul in eodem revelando ſubjecto ad reddendam mirabilem propoſitionem, vel oſtendendos confuſos animi motus, aliòve ex fine: quod tamen ſemper æquivocationẽ in altero tegit oppoſito. Sic * D. Hieronymus: *Scythiæ frigora calent ardore fidei*. Ep. ad Lætam. Et ſcitus quidam: *Dignum eſt mori, dum non es dignus mori*. Atque in Trajanum (qui, Chriſtianos inquiri ad mulctam, cùm vetuiſſet; oblatos tamen puniri juſſerat) invehens Tertullianus: *O ſententiam neceſſitate confuſam! Negat inquirendos ut innocententes; & mandat puniri ut nocentes; parcit, & ſævit: diſſimulat, & animadvertit! Quid temetipſum cenſura circumvenis? ſi damnas; cur & non inquiris? ſi non inquiris; cur non & abſolvis?* Quartò oppoſita, nedum quoad rerum ſignificationem, verùm & quoad materialem vocum inflexionem, oppoſitis objiciendo; quò magis eluceat oppoſitio, & non parùm eniteat venuſtatis. Quod & Ariſtoteles * docuit non obſcurè, ubi ait: *Eſt igitur Contentio, quæ contrarium nomen, ſimul & vim oppoſitis rebus habet, aut horum alterum. Quæ* ad Alex. 25.

ergo,

ergo, & vi, & nomine Contentio fuerit ea erit longè pulcherrima. Atque hoc etiam multipliciter juxtà varios cuilibet
pro Quinct. reperibiles contraponendi modos. Sic * Cicero: *Jugulare civem, ne iure quidem quiſque bonus vult: mavult enim commemorare, ſe, cùm poſſet perdere, pepercisſe; quàm, cùm parcere potuerit, perdidiſſe.*

3.Rh.12. Monitum huc accedere Stagyritæ * videtur: cui *ſunt etiam quædam falſæ, ſimulatæque Contentiones*. Quæ (ni meũ me fallit judicium) aut Nugoſæ ſunt, & omninò vacuæ; aut Ænigmaticæ, & aliquid vocis varia ſignificatione tegentes. Nugoſas voco, quæ ſolas aures fallunt apparentia oppoſiti; vel potiùs excipiendi contrapoſitum aliquod expectatione deludunt. Cujus generis eſt illud Epimarchi: *Interdum cum illis eram: interdum verò apud illos*: repetita nanque vox, *Interdum*, videbatur innuere, procùl aliquando fuiſſe. Hujuſmodi dolo aſſenſum ab altero obtinuit argutus negotiator huic contractui: *Volo, omnia tua mea ſint; & mea ſint omnia tua*. Ænigmaticas verò dico, quæ aliquid etiam intellectui videntur oppoſitum continere; quod tamen non claudunt: eoquòd vox, quæ ſubjecto eidem tribuitur illicò, & denegatur, diverſa in utraque dicti parte ſub ſignificatione accipitur. Quæ figura ſeria eſt, & dicentis doctrina, majeſtatéque referta. Tale autem illud
Epiſt. 41. ad Heliod. eſt * D. Hieronymi: *Non omnes Epiſcopi ſunt Epiſcopi*: Epiſcopus enim non modò dignitatis eſt nomen; ſed & muneris Paſtoralis.

PARTITIO; quam & Diſtributionem, & Diviſionem, aut Differentiam alii vocant; ſupradictæ eſt affinis. Partes enim, in quas rem dividit, conſtituit veluti ex oppoſito: ut cùm mulier Spartana clypeum nato tradens ad bellũ ituro ea mente, ut vinceret, aut occiſus feretrum haberet
3.Rh.12. illum, dixit: *Aut cum hoc; aut in hoc*. Undè Ariſtoteli * Elocutio, quæ membratim profertur, partim diſtincta, ac libera; partim eſt oppoſita: ubi nonniſi ſub oppoſitæ genere Partientem videtur conſtituiſſe. Partitione non indiget Partitio; cùm ſpeciei cujuslibet, quæ ab auctoribus ei aſſigitur, eadem ſit tota vis plura ſejungendi, ſingulis res diſ-
lib. 4. paratas tribuendo. Quare ex auctore ad Herennium * Diſtributio eſt, cùm in plures res, aut perſonas certas, nego-

tia

tia quædam diſpertiuntur. Aptúnque eſt utranque Partitionem congerens exemplum ex D. Cypriano * ſic ſæculi corruptelam paucis diſtribuente: *Non in operibus miſericordia; non in moribus diſciplina : corrupta barba in viris; in fœminis forma fucata*. Diſtribuuntur autem aliquando quædam Oppoſitiones: ut in illo, quod Didonis effigiem ſubſignabat: *Serm. de lapſis.*

Infelix Dido nulli benè nupta marito:
Hoc pereunte fugis: hoc fugiente peris.

Aliquandò verò apparentes quædam ſimilitudines: ut in illo, quod Neronis ſtatuam animabat:

Quis neget, Æneæ magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem: ſuſtulit ille Patrem.

Non raró quoque, ut Quintilianus * notat, plura dicimus, vel negamus, ſingulis partibus rationem ſubdentes ſuam: ut cùm dicit Antonius: *Sed neque accuſatorem eum metuo, qui ſum innocens: neque competitorem vereor, qui ſum Antonius: neque Conſulem ſpero, qui eſt Cicero*. His addunt alii, poſſe Diſtributionis ope enumerari plura; quibus indè minimè repetitis ſua ſingulis attributa eodem diſpertiantur ordine. Sic in Virgilii Epitaphio: *inſt.9.c.3.*

Paſtor, Arator, Eques, pavi, colui, ſuperavi,
Capras, rus, hoſtes, fronde, ligone, manu.

Poeticum id tamen eſt: & Oratori ſolummodo Lapidariis in dictionibus (de quibus infrà) permiſſum.

PRÆSAGITIO eſt, qua præſentes res, aut præteritas vaticinari geſtientes, ceu venturas exponimus auditoribus; qui proinde, veluti prædictione quadam, eadem ſibi videntur divinare. Exemplum apud Oratores rarum: aliquod tamen ex D. Jo. Chryſoſtomo, * Joannem ex utero ſic loquentem dum introducit: *Tuba canam; eo ipſo paterna lingua benedicam, & eam traham, ut loquatur. Tuba canam; & uterum maternum vivificabo*. *ap.Metaphr.*

PRÆOCCUPATIO; * aliis Præſumptio; græcè verò Prolepſis; eſt dicendi forma, qua adverſantium objecta prævidentes, priúſquam ab iis proponantur, diluimus. Et hoc præſertim dupliciter. Aliquando enim adverſariorum vice nos ea proponimus: ut cùm ait Cicero: * *Quæret quiſpiam: quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes literis prodita* *Quint.inſt. 9.c.2.* *pro Arch.*

ditæ ſunt, iſtane doctrina, quam tu effers laudibus, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines &c. Aliquando verò objectionem diſſimulantes dextera huic occludimus defenſione viã: ut cùm * idẽ Tullius objurgaturos ſuã in dicẽdo libertatẽ, & acrimoniã, prævenit: *Atque ego ſic ſtatuo, Judices, à me in hac cauſa, atque hoc extremo dicendi loco, pietatis potiùs, quàm defenſionis; querelæ, quàm eloquentiæ; doloris, quàm ingenii partes eſſe ſuſceptas. Itaque, ſi aut acriùs egero, aut liberiùs, quàm qui ante me dixerunt; peto à vobis, ut tantum orationi meæ concedatis, quantum, & dolori, & juſtæ iracundiæ concedendum, putetis.*

pro Sextio.

DIALOGISMUS id præſtat; ut, cùm ſolus loquatur Orator; aliquem tamen introducat quodam veluti Conformationis genere verba promentem. Sed non omne in eo ſermone ſilenti tribuendo Dialogiſmi conſiſtit artificium: proprium enim eſt ejus munus duorum, pluriúmve congreſſum exhibere. Hoc duplici præſtat ſpecie; Sermocinatione ſcilicet, & Collocutione. SERMOCINATIO, quanvis latiùs patere videatur auctori ad Herennium, * ut quamlibet importet ſermonis attributionem perſonæ non loquenti; revera tamen ab eo pro repræſentatione ſumitur plurium alloquentium ſeorſim ab Oratore. Ait enim: *Sermocinatio eſt, cùm alicui perſonæ ſermo attribuitur, & is exponitur cum ratione dignitatis.* Statímque prolixiorem ſubdit quorundã affabulationem: ex qua hæc pauca proponam in exemplum: *Irrupit in ædes ſubitò . . Deinde magna voce: ubi eſt, inquit, iſte beatus ædium dominus? quin mihi præſtò fit? quid tacetis? Hìc alii omnes ſtupidi timore obmutuerunt. Uxor illius infeliciſsimi cum maximo fletu ad iſtius pedes abjecit ſeſe. Parce, inquit; & per ea, quæ tibi dulciſſima ſunt in vita, miſerere noſtri, & noli extinguere extinctos &c.* COLLOCUTIO eas amplecti videtur formulas omnes, quibus Orator fictè cũ alio quopiam confabulatur; ſive interrogatus veluti reſpondeat; ſive prior ipſe alloquatur reſponſurum. Prioris eſt generis illud * Ciceronis: *Etenim, ſi mecum patria, quæ mihi vita meà multò eſt carior, ſi cuncta Italia; ſi omnis Reſpublica loquatur: M. Tulli, quid agis? &c. His ego ſanctiſſimis Reipublicæ vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt men-*

lib. 4.

in Catil. 1.

mentibus pauca reſpondebo: Ego, ſi hoc optimum factu judicarem &c. Poſterioris verò eſt, quo Divus arguit Ambroſius: * *Hoc igitur aſtruamus. Quomodo poteſt, qui panis eſt, Corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt; & cujus ſermonibus? Domini Jeſu. Ergo Sermo Chriſti hoc conficit Sacramentum.* Plures huic adnecti ſolent figuræ putà Interrogatio, Communicatio, Præoccupatio, & aliæ: quæ, præter Dialogum (qui ſolus ad hunc ſpectat locum) aliquod aliud, ut moris eſt, Elocutionis admittunt artificium. Huc etiam Ratiocinationem reducunt alii. Ea tamen Dialogiſmus non eſt: non enim duos colloquentes fingit; ſed eundemmet reddit Oratorem ſe interrogantem ipſum, ſibíque proprio nomine reſpondentem. Undè potiùs fuit inter Dubitationum formulas ſuperiùs recenſenda.

l. 4. de Sacram. c. 4.

REFLEXIO genus eſt figuræ; qua ſupra id, quod dictum ſemel fuerat, aciem mentis figimus aliquid ulterius circa id prolaturi. Et in eo à Synonymia differt, & Commoratione; quòd hæ repetunt id ipſum, diverſis licèt vocibus quoad ſonum; Reflexio verò proprio ex inſtituto diverſa quædam ſuperaddit. Plures autem ejus ſunt ſpecies: & quæ proprium haud habent nomen, communi Reflexionis appellatione donantur. Ejuſmodi eſt ſapientiſſimum illud Pici Mirandulani dictum deſcribens Politiano vanitatem eorum; qui Deum feſſis inquirentes ſpeculationibus, eundem petentem eorum cor deſerunt; imò abjiciunt: *Vide, mi Angele, quæ nos inſania teneat. Plùs poſſumus amare Deum, quàm quærere. Amando plùs proficimus: quærendo plùs laboramus. Malumus tamen ſemper inquirendo nunquam invenire, quàm amando poſſidere, quod, niſi amaremus, fruſtrà inveniremus.*

CORRECTIO ſpecies Reflexionis eſt; qua, veluti prius dictum expuncturus Orator, quod magis ad rem conducit ſuam, ſuſtituit, arctiùs ſe geſtiens locuturum: vel (ut auctor ad Herennium * explicat) eſt, quod tollit id, quod dictum eſt; & pro eo, quod magis idoneum videtur, reponit. Exemplum multiplex, juxta varias, quæ huic fieri poſſunt, aliarum immixtiones figurarum. Sic ſimplici Correctione Jeremias: * *Confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt*:

lib. 4.

cap. 6.

quin

quin potiùs confuſione non ſunt confuſi; & erubeſcere neſcierunt: Admixta Præteritione * Tullius: *Crudelis Caſtor; ne dicam ſceleratum, & impium; qui nepos avum in diſcrimen capitis adduxerit*. Interrogans item Cicero: * *Hic tamen vivit. Vivit? imò & in Senatum venit*. Idénque lepidè mordens lapſum, quem fingit, linguæ ſic * corrigit: *Quod quidem facerem vehementiùs; niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hic erro*. Cui ſunt affines ſimulatæ oblivioni, Correctiones: ut: *Penè excidit mihi: Fugerat me*: & hujuſmodi: quibus condita pleraque gratiora redduntur; cùm, teſte Quintiliano, * quæ ſubduntur, inventa ſubitò, nec domo allata, ſed inter dicendum è re ipſa nata videantur.

pro Dejot. — in Catil. 1. — ap. Quinct. inst. 4. c. 5.

EPIPHONEMA ex adverſo * eſt *Rei narratæ, vel probatæ ſumma acclamatio*. Et munera quidem Epiphonematis propria tria Granata apud Areſium * exponit, Corollarium vocans, quod Admirationem, vel rei, de qua agitur, Amplificationem, vel inſignem aliquam ſententiam continet. Habet autem Admirationem illud Sulpitii Severi * Dialogum inter Divum Martinum, diſcipulóſque his claudentis: *O virum ineffabilem, nec labore victum; nec morte vincendū: qui, nec mori timuit; nec vivere recuſavit!* Continet Amplificationem illud Virgilii: * qui velut in epilogo Trojanorū cùm cecinisset labores ſubdidit:

Quinct. inst. 8. c. 5. — Art. pred. l. 3. c. 37. — Sulp. in Vit. S. Martini. — Æneid. 1.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Claudit verò Sententiam illud Chriſti Domini * Parabolam de Phariſęo, & Publicano his terminantis; *Omnis enim, qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur*. His tamen addam animi motum; quo Valerius, poſtquam degenerem Aphricani Scipionis filium oſtenderat, exclamavit: *Dii boni: quas tenebras ex quo fulmine naſci paſſi eſtis!* Et Claudiani fallaciam in Honorii laudem ſic ludentis:

Luc. 18. 14.

Diligimus pariter: pariterque timemus.
Ipſe metus te noſter amat.

Ac demum morale Plinii * dictum de quibusdam lignis variis diſſeminatis undique nodis; quæ humana vanitas ad menſas extruendas maximi emebat: *Quod tanti emitur, arboris vitium eſt*.

Hist. nat. l. 13. c. 15.

ANACEPHALÆOSIS; latinè Recapitulatio; quanvis unum

unum ex Perorationis muneribus tradi ſoleat; in reliquis tamen partibus actionis, ſi multiplex cauſa ſit, & pluribus argumentis defenſa, utillimum habet locum teſte * Quintiliano. Hac, quæ diffuſiùs dicta ſunt, paucis reſtricta, ſummiſque capitibus repetendo, & claritati favemus, & robori noſtræ Orationis; viámque facilè ſternimus ad ulteriora. Hujuſmodi videtur illud D. Hieronymi * inveſtigantis, de quo Zaccharia Barachiæ filio dixerit Dominus, occiſum inter templum, & altare fuiſſe: ubi enim plura retulerit, inveneritque nonnulla, ſubjungit: *Cùm ergo & Zacchariam teneamus, & occiſionis conſentiat locus: quærimus, quare Barachiæ dicatur filius, & non Jojadæ? Barachia lingua noſtra benedictus Domini dicitur* &c. *inſt. 6. c. 1.* *L. 4. comm. in c. 23. Mat.*

INTERPRETATIO eſt dicti, factíve alicujus ad noſtrã mentem, utilitaténque protractio. Dictum interpretatur Tullius * in Verrem: *Superbum eſt enim, Judices, & non ferendum, dicere Prætorem in Provincia homini honeſto, locupleti, ſplendido: vende mihi vaſa cælata: hoc eſt enim dicere: non es dignus tu, qui habeas, quæ tam benè facta ſint: meæ dignitatis iſta ſunt*. Et Terentianus ille adoleſcens audiens à Patre: *Abi citò*: reſpondit: *Viſus es mihi dicere: abi citò, ſuſpende te*. Facti verò tùm ſerias, tùm mordaces, facetáſque reperio Interpretationes. De Jovis incenſo templo, & auguſtiùs reſtaurato ſic loquitur Cicero: *Illa flamma divinitùs extitit; non quæ deleret Jovis templum; ſed, quæ pulchrius depoſceret*. Aruntem Regis filium manu ſua Brutus occidit; ſupérque ipſum mutuo vulnere expiravit: quod narrans L. Annæus Florus * ſubdit: *Planè quaſi adulterum ad inferos uſque ſequeretur*. Acriùs agit Theophilatus in mulierem corpore, animáque deformem: *Naturæ miratus ſum providentiam; quę animæ tam improbæ corporis non credidit venuſtatem*. Venuſtè circa apem in electro caſu mortuam ludit Martialis: *Verr. 6.* *lib. 1. c. 10.*

Et latet, & lucet Phaëtontide condita gutta:
Ut videatur Apis nectare clauſa ſua.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum.
Credibile eſt; ipſam ſic voluiſſe mori.

Lepidè retorquens C. Cæſar * jactantiam minuit Pomponii: cui oſtentanti vulnus ore exceptum in ſeditione Sulpi- *ap. Quinct. inſt. 6. c. 4.*

ſtiana; quod ſe paſſum pro Cæſare pugnantem gloriabatur; fugæ eum Imperator culpans reſpondit: *Nunquam fugiens reſpexeris*. Ac tandem, ne plura congeram exempla, facetum eſt illud cujuſdam pauperem Poetarum ſortem exprimentis, idcircò aſſerendo veteres virginum inſtar finxiſſe Muſas; quòd dotem nunquam habuerint, qua nuberent.

PARENTHESIS, & DIGRESSIO in idem recidunt: niſi quòd Parentheſis brevis Digreſſio; hæc verò prolixior quædam Parentheſis videtur. Utrique tamen definitio congru-
inſt.4.c. 3. it, quam ſuæ Egreſſioni tribuit * Quintilianus: *Alienæ rei, ſed ad utilitatem cauſæ pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio*. Vel (ſi univerſaliùs loqui placet) erit utraque dicti cujuſpiam extra Periodi, Orationiſve continuationem, ad ſuaſionem tamen utilis, Interpoſitio: cujuſmodi eſt il-
pro Mil. lud * Ciceronis: *Ego, cùm te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) Patriæ reddidiſſem* &c. Ambarum quadruplex eſſe ſolet finis: Claritas, Probatio, Mores, & Jucunditas. Claritas, neque nimis raras indicit, neque frequentes nimis admittit Digreſſiones, & Parentheſes; ſed ſuas à neceſſitate leges exquirit. Ad eam ſpectat, quæ obſcuriora videntur,
in Jo.c. 26. breviter explicare: ut * ex D. Auguſtino: *Homo es, & ſpiritum habes, & corpus habes. (Spiritum dico, quæ anima vocatur;* &c.) Vel ignota, quorum nomen occurrit, paucis
in Verr. 4. deſcribere: quod Cicero facit * Siciliæ deſcriptionem intermiſcens. Vel demum aliquid addere ad evidentiam conducens eorum, quæ dicuntur: ut:

Hos inter placidi (poteras numerare lapillos)
Serpebant latices.

Probatio non rarò Parentheſi ea claudit, aut Digreſſione, quæ ad confirmandum paucis, quod Orator dicit, inſerviunt: vel quæ ad præveniendum brevi reſponſione adverſariorum inſtantias conducunt; aut intellectum alio quovis inflectunt modo. Sic elatam Dedali fugam narraturus Ovidius, eo quòd, fabuloſum hoc objici poterat, famâ ſic defendit:

Dedalus (ut fama eſt) fugiens Minoia regna
Præpetibus pennis auſus ſe credere cælo.

l.4. in Jo. c. 17. Et D. Cyrillus * Alexandriæ Præſul ſic arguit: *Quando Chriſto*

ſto teipſum offeres? Nam, ſi peccando indignus es, & peccare non deſinis, (quis enim delicta intelligit ſecŭdùm Pſalmiſtam?) expers omninò eris vivificæ hujus ſanctificationis. Mores ex reſpiciunt Parentheſes, & Digreſſiones; quæ affectus excitant formulis, rebúſve interiectis, quas ad animi motus aptas Elocutio perhibet, ac Inventio. *Sic*, exemplum afferens, æquitati addictum exhibet animum Ariſtoteles: * *Ego quidem nunquam admonere deſtiti, (quæ juſta eſſe ſentiebă) ne filios desererent.* Et modeſtè Cicero: * *Siquid eſt in me ingenii, Judices; (quod ſentio, quàm ſit exiguum) aut ſi qua exercitatio dicendi,&c.* Atque alibi * Exclamatione interpoſita mœſtitiam inferens commovet commiſerationem: *Haſta poſita pro æde Jovis Statoris, bona, (miſerum me! conſumptis enim lachrymis animo hæret dolor) bona inquam C. Pompeji Magni voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis.* Jucunditas denique raras admittit Parentheſes; rariſſimas verò Digreſſiones: utraſque tamen haud reſpuit omninò. Ut enim Quintiliano placuit: *Pleraque gratiora ſunt, ſi inventa ſubitò, & non domo allata, ſed inter dicendum ex re ipſa nata videantur.* Undè caput hoc poſtremum reliquas omnes amplectitur Interpoſitiones. 2.*Rh.* 17. *pro Arch.* *Philip.*2.

Uſus porrò earum his legibus procul vitio limitatur. Primò non iis utcunque diſſeminetur; vel potiùs dixerim, diſcerpatur Oratio: *Quod quidem* (ut loquar cum * Quintiliano) *natum ab oſtentatione declamatoria in forum venit, poſtquam agere cauſas, non ad utilitatem litigatorum, ſed ad patronorum jactationem repertum eſt.* Secundò, quò poterit, breviùs abſolvantur. *Auditor enim* (ut is * de Judice obſervat) *ordine audito feſtinat ad probationem*: & fatigati tot diſcurſionibus animi, inaníque mora defeſſi Orationis ſeriem haud ampliùs inſequuntur. Cùm verò aliquid ante quæſtionem præparamus, aut finitæ probationi, velut commendationem adjicimus; tum aliquantò nobis longiùs permittitur exire. Tertiò, cùm erit digrediendum, excurſionis moneantur auditores, venia nonnunquam ab iis petita. Tale eſt illud * Ciceronis: *Etenim, ut ſimul P. Africani humanitatem cognoſcatis. Oppidum Himeram &c.* Moneantur quoque regreſſus ad ordinem Orationis: ut habet D. Nazianzenus; * qui de corporalibus agens pauperum infirmi- *inſt.*4.*c.*3. *ibid.* *In Verr.*2 *de cur.paup.*

firmitatibus, cùm ad oſtendendum excurriſſet, corpus animæ inimicum ſimul, & comitem, his ſe reducit: *Sed de his, qui volet, diſſerat; noſque etiam aliquando commodiùs diſſeremus: nunc autem* &c. Quartò demum Digreſſioni non niſi poſt periodi finem locus præſtetur. Quod & Ariſtote-
3.Rh.7. les * his notavit: *Fit etiam obſcura locutio, niſi initio poſueris id, quod multis interpoſitis poſtea dicendum eſt*. Quoties verò occurret, interſecandam longa Digreſſione periodum; ne obſcura reddatur Oratio, poterunt generalia tantùm capita Parentheſi clauſa interponi; quæ poſt periodi
Art.pred.l. finem Digreſſione commodiùs explicabuntur. Ex Areſio *
3.c.24. deſumo ea Virgilii * carmina:
Æneid.12.

Interea Reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru: cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen. Bigis it Turnus in albis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Hinc Pater Æneas Romanę ſtirpis origo
Sidereo flagrans clypeo, & cæleſtibus armis.
Et juxtà Aſcanius magnę ſpes altera Romę)
Procedunt caſtris &c.

Quæ ſic, etiam vitata Parentheſi, ab eodem corriguntur:

Interea Reges variis inſignibus aucti
Procedunt caſtris. Ingenti mole Latinus: &c.

GRADATIO; quæ græcè Climax; fit membra periodi priora poſterioribus glutinando repetitione particulæ alicujus in utroque membro. Ejus illud eſt generis ex auctore
lib.4. ad Herennium: * *Imperium Grecię fuit apud Athenienſes: Athenienſium potiti ſunt Spartiatæ: Spartiatas ſuperavere Thebani: Thebanos Macedones vicerunt*. Vel meliùs illud ejuſdem; quod de eodem ſemper agit ſubjecto: *Africano induſtria virtutem; virtus gloriam; gloria æmulos comparavit*. Aliquando tamen penès ſolum fit rei ſignificatum, voce in aliam ſimilem mutata. Quod ex parte in illo eſt * O-
c.2.v.21. ſeæ: *Ego exaudiam cœlos; & illi exaudient terram; & terra exaudiet Jezraelem*. Id verò non omittendum, quod de
inſt.9.c.3. Gradationis uſu monet * Quintilianus: ex quo *Gradatio apertiorem habet artem, & magis affectatam; ideoque rarior eſſe debet*. Undè, & rara quoque eſſe ſolet ea Argumentationis

tionis ſpecies inferiùs explicanda, quæ Sorites dicitur, huic affinis; & in eo ſolùm diſcrepans, quòd poſt Gradationem aliquid Confirmationis more concludat.

ITERATIO genus eſt aliis utplurimùm immixtum formulis; etiam, quæ ad animi ciendos motus conducunt. Huc tamen eſt meo judicio revocanda: tùm, quòd non raró à quibuslibet aliis ſejuncta figuris ſoli cognitioni ad venuſtatem deſerviat: tùm maximè, quòd ejus vis præcipua pertineat ad intellectum. Eſt enim Iteratio (ut univerſim loquar) ejuſdem vocis replicatio: quæ cùm iterum idem ob mentis oculos ponat, ſermoni vim auget; & conſequenter etiam robur geminat commovendi. Ejus plures ſpecies: quarum principalioribus diſtinctiùs enumeratis, reliquas tantùm innuam; ne huic omninò deſint tractationi. REPETITIO igitur eſt, qua vox eadem, aut inciſum, in plurium clauſularũ, aut periodorum initium continenter aſſumitur. Sic Cicero: * *Quid hec amentia? quid habet feſtinatio? quid hec immaturitas tanta ſignificat?* Et D. Bernardus: * *Oportet liberum eſſe; quem nulla ſibi vindicet violenta occupatio: oportet ingenuum; quem nulla deorſum trahat indigna affectio: oportet rectum; quem nulla ſeorſum avertat ſiniſtra intentio:* &c. CONVERSIO eſt, qua iiſdem i licò vocibus ad clauſulæ, periodive finem revertimur. Sit exemplum: * *Hebrei ſunt: & ego. Iſraelite ſunt: & ego. Semen Abrahe ſunt: & ego. Miniſtri Chriſti ſunt: (ut minùs ſapiens dico) plùs ego.* Quò ſpectat Intercalaris: (quam Epiſtrophen, ſeu Reverſionem vocat * Arcſius) qua integram ſententiam ſingulas poſt periodos, quaſi earum coronidem, iteramus. Cujuſmodi eſt illud Martialis *

pro Quinct.
de Conſid. l. 4. c. 6.
2. Corinth. 11.
Art. pred. l. 3. c. 36.
l. 2. Epigr. 17.

Capto tuam, (pudet heu! ſed capto) Maxime, cœnam:
Tu captas alias: jam ſumus ergo pares.
Sum comes ipſe tuus, tumidique anteambulo Regis:
Tu comes alterius: jam ſumus ergo pares.

Et venuſtè quoque Regius Citharœdus * verſum illum ſæpiùs iterans: *Confiteantur Domino miſericordię ejus, & mirabilia ejus filiis hominum*: integrum diſtinguit pſalmum. CONPLEXIO utranque continet Iterationis ſpeciem ſupradictam: ejus enim artificio earundem clauſularum, aut breviorum partium initiis initia, & fines terminis, iiſdem vo-

Pſ. 106.

vocibus correſpõdent. Sit exẽplũ : * *Quę Senatus damnarit:*
quem populus Romanus damnarit : eum vos ſententiis veſtris
Cic,pro Mil. *abſolvetis?* Vel: * *Quis eos poſtulavit? Appius. Quis produ-*
xit? Appius. Unde? ab Appio. EPANALEPSIS vocem
Cic. Philip. 2. eandem initio poſitam iterat in fine. Sic * Cicero : *Suſtulit*
diem fortunę populi Romani. Num etiam tuum de auſpiciis
judicium interitus Cęſaris ſuſtulit? Et ex lemmate Phrenoſ-
chematis Federici Cornarii Roſam animanet:

Una dies aperit: conficit una dies.

CONDUPLICATIO eſt; * qua eandem unam , aut plures
eaſdem voces continuò duplici prolatione iteramus . Id-
Cic.in Verr. 7. que vel immediatè fit ſic:* *Crux, Crux, inquam, infelici , &*
ærumnoſo &c. Vel pauciſſimis interjectis ſic: * *Tumultus , C.*
Herenn.l.4. *Gracchi ; Tumultus domeſticos , & inteſtinos comparat.* Vel
efficaciùs interpoſita conjunctione ſic: * *Vivis ; & vivis, nõ*
Cic. Philip. 2. *ad deponendam , ſed ad confirmandam audaciam.* Vel inver-
ſo plurium , quæ iterantur, ordine: exempli cauſa: * *Nunc*
Herenn.l.4. *etiam audes in horum conſpectum venire , Proditor Patrię ?*
Proditor, inquam, Patrię, venire audes in horum conſpectum?
TRADUCTIO eſt ejuſdem vocis , inflexione tantùm mu-
tata , aut aliqua diverſa affixa particula , variatæ crebra
poſitio . Et inflexionis quidem exemplum ſit: * *Certus lo-*
Cic.in Verr. *cus , certa lex , certum tribunal , quo loco reſervetur .*
Multiplicis verò affixionis exemplum : * *Qui nihil habet in*
Herenn. l.4. *vita jucundius vita .* Quò reducitur ab auctore ad Heren-
nium * ejuſdem vocis , diverſa tamen ſignificantis , gemi-
ibid. natio . Cujus affert exemplum illud : *Amari nihil eſt, ſi cu-*
retur , ne quid inſit amari. POLYSYNTHETON plures , &
Pſ.40.v.3. has non neceſſarias, aggerat copulas. Sic Pſalmiſta * *Domi-*
nus conſervet eum , & vivificet eum, & beatum faciat eum in
terra.

Duo tamen hìc vitia (bona cujuſque venia) detegenda ;
quæ totidem Iterationis inficiunt uſus recentibus Oratori-
bus apprimè familiares . Vel enim primò Iterationis prio-
res ſpecies variè combinatas pluries , quàm fas Oratorię ſit
gravitati , protrahunt ; ut non raro quindecim , pluréſve
periodos , membris Iteratione refertis ferè omnibus , veluti
farcimen agglomerent . Vel ſecundò immixtam Gradatio-
nibus Partitionem ſemel , iterúnque , uſque ad prędictum

ferè

ferè numerum reaſſumunt; vocum iteratarum modò ſervato ordine, & modò inverſo: ut ſi illud D. Joannis Chryſoſtomi * diutiùs verſaretur; quo ait: *Conſidera pactum; conditionem attende; militiam agnoſce: pactum, quod ſpopondiſti; conditionem, qua acceſſiſti; militiam, cui nomen dediſti.* Quam poſtremam dicendi formam Italicè *Saliſcendi* vocat Areſius: * Latinè Reaſſumptionem non ineptè vocabimus. Qui verò ſupradictas adhibent, Sacri (quod turpius eſt) Oratores, utranque Italicè *Tirata di memoria* vocare conſueverunt. Adeò nempè vanitas noſtris hiſce temporibus proceſſit; ut pręcellenti dicendi Arte poſthabita, atque percalcatis eruditiorum Rhetorum opinionibus, inſulſos vulgi plauſus, ſtuporéſque aucupati, ſoli Memoriæ conentur in Oratorio conflictu ſuaſionum ſpoliis vacuum captare triumphum.

Serm. de Mart. q. aut imit. &c. t. 3

Art. pred. l. 3. c. 29.

Quid tamen? Revera nullam perfecti Oratoris explent partem: nec ipſam, quam jactitant, Memoriam oſtendunt. Inventioni nanque haud ſerviunt: dum, vel futilibus promiſcuè rationibus univerſam implent Orationem: vel argumentorum, ſi quod habent, robur enervant; ſive ea levioribus immiſcendo; ſive certè ipſa agglomeratione diffamando. Notum eſt enim Quintiliani * de argumentorum uſu præceptum: *Firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandũ; infirmiora congreganda: quia illa per ſe fortia non oportet circumſtantibus obſcurare, ut qualia ſunt, appareant; hęc imbecillia natura mutuo auxilio ſuſtineantur.* Diſpoſitionis minùs ſervant legem: quòd ordinem, ut plurimùm nullum, quà in ſcribenda, quà in proferenda Oratione, retineant; & ab eis potiùs unum dicatur poſtaliud, quàm, ut boni eſt Oratoris, unum ex alio eruatur. Elocutionem verò multùm à talibus involucris abeſſe, quem latet? Quæ enim variis dicendi gemmis diſtinctę periodi multiplices aſſurgere poterant in coronas; ex levi vocis ejuſdem annexæ ligamine indecoram ambagum aſtruunt catenam. Pronunciationem haud aliam, quàm ex implicatiſſimo vocum labyrintho (Dędalico infenſiore) erumpere geſtientium, ſive nimis incaleſcens dicendi fervor, ſive ſumma ad eorum, quæ dicẽda ſunt, recordationem attentio permittit. Quorum nos errores clariùs detegemus, cùm de Pronunciatione. Et qui-

Inst. 5. c. 12.

Epiſt. 40. ad Luc. dem interim nimis apertè Seneca * teſtatur, eam *vim dicendi rapidam, atque abundantem aptiorem eſſe circulanti, quàm agentirem magnam, ac ſeriam, docentique*. Arguitque omnes Oratores hujuſmodi etiam D. Hieronymus * dicens : *de Vit: Cler. ad Nepot.* *Celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere indoctorum hominum eſt*. At verò qui Memoriæ tantus labor? Farcinatæ hujuſmodi Orationis partes tranſponere, facile : dextero ſaltu evadere, facilius. Cùm tamen organicę dictionis ea ſit compago; ut, ſi memoriæ lapſu, vel tenuiſſimus, rumpatur filus, laxetur nodulus; tota in implexum Chaos Oratio reſolvatur.

Vt autem, quid ars permittat, aperiamus. Quoad prius dictum iterandi genus : quinarius in congeminatione numerus aptiſſimus : ſeptenarius (ſolet enim impar computari) indulgentior : major alius quiſpiam affinis vitio : vix enim apud primi nominis Oratores ſemel, aut iterum reperitur. Quòd ſi cuipiam arriſerit immaturis indulgere ſpiritibus, in genere præſertim Encomiaſtico; procul tanta licebit nota quinque, ſeptémve in ſeries cuncta dividere : quarum ſingulas ſuis ita vinciat nexibus; ut claſſium quæquæ, non modò partibus partes, verùm & ligamina ligaminibus variata ſibi reſpondeant Iteratione. Exemplúmque *Hom. I. ſup. Miſſus eſt.* redundantis impetu ſpiritus ex D. Bernardi * pectore erumpens, aliquibus immutatis, quò juvenilius evadat, ſit in preſenti: *Si inſurgant venti tentationum; ſi incurras ſcopulos tribulationum; ſi iacteris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis: reſpice ſtellam, voca Mariam. Cùm iracundia corda ſuccenderit; cùm illecebra carnis naviculam concuſſerit mentis; cùm ſcelerum immanitate turbatus, cùm fœditate conſcientiæ confuſus, cùm judicii horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitię, deſperationis abyſſo: reſpice stellam, voca Mariam. Ipſam ſequens non devias; ipſá rogans non deſperas; ipſam cogitans non erras; ipſa protegente non metuis; ipſa tenente non corruis; ipſa duce non fatigaris; ipſa propitia pervenis: reſpice ergo ſtellam, voca Mariam.*

Quò ad genus verò poſterius : hęc adoleſcens adhuc Tullius * aliquando protulit : *pro Roſc. Amer.* *Quid enim tam commune, quàm ſpiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, littus ejectis? Hi autem ita vivunt, dum poſſunt; ut ducere animam*

de

de cœlo non queant: ita moriuntur; ut eorum oſſa terram non tangant: ita jactantur fluctibus; ut nunquam alluantur: ita poſtremò ejiciuntur; ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. Sed deinde, ſe erraſſe, fatetur veniã juvenili expoſtulans levitati. Non tamen adeò rigidus apparebo. Cùm enim corruptum tempus mentes alat ſanam non ſuſtinentes doctrinam; auribúſque prurientes à veritate avertat; convertat ad fabulas: hujuſmodi laſcivientium ingeniorum aucupia uberiùs aliquantò in Evangelica expiſcatione ſacros adhibere video Oratores, & Patres: non tamen adeò, ut puerorum inſtar panem prodigant ſolo piſcium ad eum concurrentium aſpectu deliciandi: in animarum nanque capturam hamum eſca circundant. Itaque, queis libuerit Reaſſumptionibus aures demulcere: primùm ſimplices contexant adeò, ne, quod ſemel fuerat dictum, pluſquam ſemel reaſſumatur. Curent deinde, quoad fieri poteſt, ut, vel eundem non retineat ſonum, quæ reaſſumitur vox; vel inter conciſa breviſſima verſetur. Et ſimplicitatem quidem variæ vocum annectit inflexioni mox adductus ex Cicerone locus: eandem verò membrorum unit brevitati dictum Chryſoſtomi paulò ſuperiùs recitatum.

Hæc in Oratoriæ majeſtatis gratiam, Rhetorici ſecùs ornatus pro virium tenuitate non negligens, monere duxi; id addens è Quintiliano * exſcriptum: *Ornatus virilis, fortis, & ſanctus ſit. Nec effœminatam levitatem, nec fuco eminentem colorem amet. Sanguine, & viribus niteat. Quare nemo ex corruptis dicat, me inimicum eſſe cultè dicentibus. Non nego, hanc eſſe virtutem: ſed illis eam non tribuo.* *inſt. l.8.c.1.*

RUDIMENTUM II.
De Figuris Contentioſè moventibus Intellectum: ſeu De Argumentatione; & Scripturalium Conceptuum expoſitione.

PRæcipuum Orationis robur in Argumentatione conſiſtit. *Quòd ſi ſolùm* (ut inquit * Cicero) *ſpectaretur id, quod inventum eſt; ac nihil, quo pacto tractaretur id,* *Inv.1.*

quod eſt excogitatum , referret ; nequaquam tantum inter ſummos Oratores,& mediocres intereſſe exiſtimaretur . Argumenta nanque nudè ſumpta non aliud ſunt, quàm ſcintillæ latentes in ſilice , lapides in pera , gladii in vaginis,& enervatæ pharetris immerſæ ſagittæ : quæ victoriam nullo prorsùs obtinent exitu , ni Argumentatione Rhetorica induſtriosè verſata excutiantur, rotentur, evagineutur , & nervis ad pennas additis ejaculentur; ut rectè eis conſonare valeat nomen , quo Cicero patheticis armata figuris Argumenta juxtà præſentem acceptionem *Amentata jacula* nuncupabat . Eſt verò, ut breviſſimè dicam, Argumentatio , quaſi *Argutæ mentis Oratio*; atque rationum Rhetorica expoſitio. Et ex Cicerone*Argumentatio nomine uno duas

Inv. l. 1.

res ſignificat: ideò, quòd, & inventum aliquam in rem probabile , aut neceſſarium (ſcilicet ratio , ſeu argumentum) Argumentatio vocatur ; & ejuſdem artificioſa expoſitio . Exponit ſiquidem artificiosè Eloquentia rationes peculiaribus quibuſdam arguendi formulis Dialecticis non diſſimilibus; eruditioribus tamen , & ornatioribus . Quapropter omnis Rhetoricæ Argumentationis nervus , non ſecùs , ac Logicæ , in eo ſitum eſt ; quòd , quæcunque in ratione quapiam cum tertio quodam penitùs conſentiunt; & inter ſe convenire , omninò neceſſe ſit . Undè unum , idénque ſunt , quæ ab uno aliquo tertio non diſtinguuntur : & inter ſe menſura , aut ſimilitudine conſonant , quæ uni tertio æqualitate , aut ſimilitudine comparantur . Ex quo Divus Chryſoſtomus * arguit : *Si quis Rex barbarorum ſervus fiat; omnium eſt miſerrimus : ſic , qui in peccato vivit : barbarum nanque peccatum eſt.*

Hom.9.in 1. *ad Corinth.*

Ut verò diviſionem illam Argumentationis relinquamus; qua , non modò * Ariſtoteli , verùm etiam Ciceroni * omnis Argumentatio , aut per Inductionem tractanda eſt , aut per Ratiocinationem; (quippe quæ duo hæc genera ſejungit ex vi concludendi , quam habent certam , aut probabilem , ad Inventionem potiùs attinente) infimas ſingulas ejus ſpecies recenſebimus : cùm præſertim omnes ad Ratiocinationem commodiſſimè reducantur.

in Topicis.
Inv. l. 1.

SYLLOGISMUS græco nomine , dictus ab aliis latinè Ratiocinatio , quinque ad plurimùm habet partes ; quot Ci-

ſo * Ariſtotelem ſecutus, & Theophraſtum, omnéſque in- *Inv.l.1.*
dè profeſſos, enumeravit. Propoſitioni etenim, & Aſſumptioni (quæ Logicis reſpondent præmiſſis; majori ſcilicet, & minori) ſuas addunt Rhetores Probationes: quas omnes Complexio ſequitur; quam Dialectici vocant Concluſionem. Eſt autem (ut enucleatiùs cùm Cicerone * dicam) *ibid.*
Propoſitio, per quam breviter locus is exponitur, ex quo omnis vis oportet, emanet Ratiocinationis. Propoſitionis Approbatio, per quam id, quod breviter expoſitum eſt, rationibus firmatum, probabilius, & apertius fit. Aſſumptio, per quam id, quod ex Propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis Approbatio, per quam id, quod aſſumptum eſt, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni Argumentatione, breviter abſolvimus. Sítque ex eodem exemplum ibidem Propoſitionem univerſalem, quæ Theſis dicitur, ſic primò efferens loco: *Meliùs accurantur, quæ conſilio geruntur; quàm, quæ ſine conſilio adminiſtrantur.* Cujus Propoſitionis ea ſubtexitur ratio pluribus innixa ſimilitudinibus: *Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior; quàm ea, quæ temerè, & nullo conſilio adminiſtratur* &c. Ex ea confirmata Hypotheſis aſſumitur, ſeu Propoſitio magis ad concluſionem accedens: cùm enim priùs ad perfectam omnium rerum curam requiſitum fuerit, conſilium; nunc, antequam & ipſum ad mundi quoque regimen requiratur, mundum cum omnibus reliquis in perfecta ſui gubernatione conſentire, eſt oſtendendum ſic: *Nihil autem omnium rerum meliùs, quàm totus mundus adminiſtratur.* Cujus eſt Confirmatio: *Nam & ſignorum ortus, & obitus definitū quendam ordinem ſervant; & annuæ commutationes* &c. Cōcluditur tandem ſimplici Complexione: *Conſilio igitur mundus adminiſtratur.* Vel Recapitulatione, ſeu Anacephaleoſi; epilogando ſcilicet quæcunque propoſita ſunt, & aſſumpta, ſic: *Quòd ſi meliùs geruntur ea, quæ conſilio; quàm, quæ ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum meliùs, quàm omnis mundus adminiſtratur: conſilio igitur mundus adminiſtratur.* Aliquando verò (cùm vel Propoſitionis, vel Aſſumptionis, aut etiam utriuſque ſimul, ratio ſit ſuperflua ob illarum ſummam certitudinem, & claritatem) poſſent eæ
qui-

quidem ſine Confirmatione exhiberi; ut non obſcurè innu-
it citatus Eloquentiæ Pater: ad Rhetorem tamen magis
accedens exiſtimarem, ſi Amplificatione, vel Exornatio-
ne, Reflexione, alióve Elocutionis ornatu venuſtarêtur; ne
auditorum animos nimis incomptę deterrerêt. Id quoque
non prætereundum: nihil ſcilicet eſſe præcepti, quod, quæ
aſſertio debeat initium ponere Syllogiſmi, decernat: ab u-
tralibet enim ex recenſitis quinque apud clariſſimos Orato-
res inceptas inveniet quiſque Argumentationes. Scio tan-
dem, aliis à quibuſdam componi modis Syllogiſticæ Argu-
mentationis diſtributionem; aliánque naturam ejus expli-
cari: non tamen fuit in hoc à primis Eloquentiæ lumini-
Inv.l.1. bus recedendum. Cicero nanque * teſtatur: *Nobis autem
commodior illa partitio videtur eſſe, quæ in quinque partes di-
ſtributa eſt:* (modo ſcilicet háctenus ex eodem explicato)
*quam omnes ab Ariſtotele, & Theophraſto profecti maximè
ſecuti ſunt.* Et paulò inferiùs: *Hoc ſummè eſt ab Ariſtotele,
atque Peripateticis, & Theophraſto frequentatum: deinde
à Rhetoribus iis, qui elegantiſſimi, atque artificioſiſſimi puta-
ti ſunt.*

ENTHYMEMA cunctas inter Argumentationis ſpecies,
tùm Philoſophis, tùm etiam Rhetoribus familiare. Eo nan-
1.Rh.6. que firmiùs, propiúſque feritur adverſarius. Undè, teſte *
Ariſtotele, Orationes, *quæ ſunt Enthymematibus refertæ,
majore quodam impetu animos commovent.* Eſt autem En-
thymema veluti Syllogiſmus dimidiatus; in quo è princi-
palioribus illis Syllogiſmi partibus, Propoſitione nempè,
& Aſſumptione, altera relinquitur, quòd omnibus nota ſit:
ut, ſi Theſi relicta ſola uteremur Hypotheſi pro Aſſumptio-
1.Rh.7. ne rationibus roborata. Id clarè docet * Stagirita: *Ex pau-
cis autem, & ſæpè ex paucioribus Enthymema fit, quàm pri-
mus ille, atque integer Syllogiſmus: ſi quid enim notum, at-
que exploratum fuerit; id ſanè nihil attinet dicere.* Exem-
pro Mur. plum verò præbet Cicero * jure ſe oſtendens geniali lenita-
te Reipublicæ deſervire, qui eidem cõſuluerat violenta ſibi
ſævitia: *Quod ſi tum, cùm Reſpublica vim, & ſeveritatem
deſiderabat, vici naturam; & tam vehemens fui, quàm co-
gebar, non quàm volebam: nunc, cùm omnes me cauſæ ad
miſericordiam, atque humanitatem vocent; quanto tandem
flu-*

ſtudio debeo naturæ meæ, conſuetudinique ſervire? Et alibi* Philip.5.
ſic à Complexione ducens initium pacem negat Antonio, nedum armis depoſitis, eam petere ſimulanti: *Pacem vult Antonius? arma ponat; roget; deprecetur. Nihil eſt profectò, quod dari poſſit bellum gerenti: erit fortaſsè aliquid, quod concedi poſſit roganti.*

EPICHEREMA; quod teſte Quintiliano* Aggreſſionem inſt.5.c.10.
Volgius vocat; omnium breviſſimum argumentum eſt unica parte claudens integrum Syllogiſmum; ſi primorum attendamus Rhetorum mentem. Sed non tam ad Argumentationem ſpectat; quàm ad Inventionem. Undè, cùm eorum Cicero* ſententiam protulerit, qui totam unam Inv.l.1.
conſtare poſſe parte docebant Argumentationem; & exemplum quoque adibuerit; ſubdit: *Quando igitur proferent aliquid hujuſmodi: quoniam peperit, cum viro concubuit:* (hoc enim ab eo propoſitum erat exemplum) *inventum proferent, non expolitionem*. Quoniam verò noſtris hiſce temporibus conciſus inoleſcit ſtylus ſententiis redundans; (quem proinde ſententioſum infrà vocabimus) ad quem apprimè ejuſmodi conciſæ Argumentationes conducunt; ideò non omninò extra Orationes argumentativas erit Epicherema eliminandum. Diſtinguam igitur inter aridam rationis, quæ cauſam probet inventionem, & recens Epicherema brevitatis ornamento venuſtatum. Prior enim illa, non tam ſimplicem, quàm bipartitam exhibet argumentandi formam; cùm ſeparatim cauſam ab ejus confirmatione proponat; ut primo intuitu facillimè diſcernantur: quod prædictum habet ex Cicerone exemplum. Hoc verò poſteriùs utrunque contexit: cujus exemplum illud eſt aptum: *Non eſt ira mortali viro immortalis fovenda*. Sic & Pſalmiſta* ait: *Honor Regis judicium diligit*: quaſi dicat: honor Ps.98.v.4.
eſſe unicus debet regnantis ſcopus, regiæ mentis conatus: quid verò tam honorabile; quàm egregia cum Regina virtutum, Juſtitia inquam, fœdus, & amicitia? hæc igitur Regi potiſſimùm diligenda.

DILEMMA; quatenùs ab Enthymemate partium enumeratione expoſito diſcriminatur; argumentandi genus eſt ad anguſtias uſque redigens adverſarium. Eſt enim veluti compoſitum Enthymema duo, aut plura quædam aſſu-

mens;

mens; quorum alterum verum fateri neceſſariò debeat adverſarius: ex utrolibet interim adverſùs eum deducens Complexionem. Sit exemplum ex * Tullio: *Undè iſta erumpunt? ſi ſunt falſa, cur probantur? ſi vera, cur veneunt?* Et lepidè, acutéque Galba penulam roganti * apud Quintilianum: *Si non pluit, non eſt opus tibi: ſi pluit, ipſe utar*. Similiter mortis ream Veſtalem virginem Vibius Gallus fecit; quæ dixerat:

Philip. 2.

Inſt. 6. c. 4.

Felices nuptæ. Moriar, niſi nubere dulce eſt.

Eam enim hoc Dilemmate circumvenit:

Aut experta juras: aut non experta pejeras.

Utrumlibet autem lethalem mulctam inducebat. Aliquando verò utrunque complectitur diſtinctè Dilemma. Sic Seneca: * *Utrumne meo nomine doleo; an ejus, qui deceſſit? Si meo; perit meæ indulgentiæ jactatio; & incipit dolor, (hoc uno excuſatus, quòd honeſtus eſt) cùm ad utilitatem reſpicit, à pietate deſciſcere: nihil autem minùs bono viro convenit; quàm in fratris luctu calculos ponere. Si illius nomine doleo; neceſſe eſt* &c. Licèt verò tanta ſit Dilemmatis vis; nonnunquam tamen cavillationibus retorquetur. Referunt enim, adoleſcentem ad Juriſprudentiæ Magiſtrum erudiendum acceſſiſſe aliquando ea conventione; ut, ſi primam in foro habitam cauſam viciſſet, ſe daturum aſtringeret certam pecuniæ ſummam præceptori: ſin minùs, doctrinæ id tribuendum ab eo communicatæ defectui; proindéque nullâ Magiſtri laboribus mercedem. Hauſit omnem Juris præceptionem adoleſcens: & ſtatim ac è gymnaſio diſceſſit, teſtatus eſt, ſe nihil inſtructori ſoluturum. Stetit illicò lis. Judicem adeunt oraturi. Hujuſmodi ſe diſcipulus tuebatur Dilemmate. Vel, Judices, pro me feretis ſententiam; & veſtra authoritate liber ero à ſolutione: vel me pecuniæ damnabitis; & liber quoque pacti vigore evadam: hæc enim eſt prima, quám inſtituo litem; & in hac jam apud vos nihil profecerim. At verò hoc idem jaculum ſic retorquebat Juriſperitus. Quin, ſi pro me cauſa decernetur; Judicum ſanctione merces mihi dabitur: ſi verò è contrà; mihi debebitur ex pacto: in primo nanque conflictu triumphaveris.

de Conſol. ad Polyb. c. 27.

SORITES eſt Syllogiſmorum acervatio; qua ſingulorum pro-

propoſitionibus, complexionibúſque ſuppreſſis à remotioribus ad ultimam deducendam Concluſionem Gradatione procedimus. Undè latinè Acervatio, & à Logicis argumẽtum à primo ad ultimum nuncupatur. Ejus imaginem continet illud Themiſtoclis triennem filium orbis Imperatorem oſtentantis: *Europa dominatur orbi; Europæ Græcia; Græciæ Athenæ; Athenis Themiſtocles; Themiſtocli uxor; uxori filius: ergo filius orbi dominatur*. Ac ſi dixiſſet: Filius uxori dominatur; uxor orbi; filius igitur orbi dominatur: deinde Propoſitionem probaſſet ſic: Orbi dominatur Themiſtocles; Themiſtocli uxor; ergo hæc orbi: paritérque de cæteris feciſſet ſingularum propoſitionum confirmationibus. Nec abſimile eſt; quo, animam juſti cœlum myſticè nominari, præmiſſis rationibus probat * D. Gregorius: *Quia enim per Prophetam Dominus dicit: Cœlum mihi ſedes eſt: & Salomon ait: Anima juſti ſedes Sapientiæ: Paulus etiam dicit Chriſtum Dei virtutem, & Dei Sapientiam: aliquando colligere debemus; quia, ſi Deus Sapientia; anima autem juſti ſedes Sapientiæ; dum cœlum dicitur ſedes Dei; cœlum ergo eſt anima juſti*. Quod & hoc alio potuiſſet modo apertiori, minùs tamen artificioſo, proferri: Cœlum eſt ſedes Dei: Deus eſt Sapientia: cœlum igitur eſt ſedes Sapientiæ: cùm ergo anima juſti ſedes & ipſa ſit Sapientiæ; cœlum utique anima juſti eſt. *Hom. 38. in Ev.*

Sunt, qui & alias communium referunt Argumentationũ formulas. Quarum prima eſt Collectio (ſub Ratiocinationis nomine ab auctore ad Herennium * explicata) Propoſitionem priori continens loco ejus, quod probandum eſt: deinde hujus Probationem: poſtea Probationis Confirmationem: ejuſdem rurſùs Exornationem: ac poſtremò Cõplexionem ex iis, quæ dicta ſunt, conſequentem. Hæc tamen (ſi licet Ciceronianæ adherentibus diſtributioni ſic loqui) non quinquepartita eſt Argumentatio, ut ipſi putant; ſed potiùs integræ Concionis diſpoſitio. Secunda eſt, quam inter præſentium Ratiocinationum ſpecies recentiores quidem provehunt Submiſſionis nomine palliatam: *in qua nos ipſi*, inquiunt, *rationem petimus, cur quidque dicamus*: cui & Subjectionem annectunt, inter figuras non à nobis modò, verùm & ab ipſiſmet ritè computatam. Id autem *lib. 2.*

factum putarem ab æquivocantibus inter Ratiocinationem, quæ figura eſt inter inquirendi formulas explicata, & Ratiocinationem, quæ Syllogiſmus eſt ad Rhetoricam attinens Argumentationem. Tertia denique formula, ſeu potiùs formularum claſſis, Inductio: quæ ex pluribus antè confeſſis concludit. Cujus exemplum dat apud Æſchinem
Inv. I. Socrates; qui teſte * Cicerone plurimùm ea in ſuis uſus eſt ſermonibus: introducit enim Aſpaſiam ſic Xenophontis uxorem alloquentem: *Dic mihi quæſo, Xenophontis uxor: ſi vicina tua melius habeat aurum, quàm tu habes; utrum illius, an tuum malis?* illius, inquit. *Quodſi veſtem, & cæterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quàm tu habes; tuumne, an illius malis?* illius verò reſpondit: *Age*, inquit, *ſi virum illa meliorem habeat, quàm tu habes; utrumne, tuum, an illius malis?* hìc mulier erubuit. Ad quam Argumentationem requirunt, ut ex rebus certis fiat Inductio: ut ex connexis neceſſariò cum Concluſione: & ex occultè connexis; ſi enim videret adverſarius, quò tenderet argumentum, cavillationibus aſſumptis obviam iret. nec longiùs procederetur. Sed hæc (quemadmodum & Enumeratio ex partium congerie, & Exemplum ex ſimili concludentia) ad Topicos pertinet; ut paulò ſuperiùs innui, & puto exactè conſideranti clariſſimum. Undè in communiū Argumentationum expoſitione non licet diutiùs immorari.

Quia tamen noſtra hæc Rudimenta, non modò ad ſæculares Argumentationes; ſed & Eccleſiaſticas diriguntur, quæ rationes exponunt è Sacra erutas Scriptura: ideò aliqua ſubnectenda de modo proponendi Conceptus Scripturales cum aliquo vigore, & ſpiritu; ut faciliùs mentes feriant auditorum.

Primò igitur proponi, & amplificari aliquod poteſt dubium circa intelligentiam alicujus Scripturalis textus: quod ſubita, & breviter confirmata ſequatur reſponſio ad probationem noſtræ Propoſitionis inſeruiens, aut ad aliquod morale punctum quoquo modo docendum, ſuadendúmve.
in pſ. 118. Sic D. Auguſtinus * de illis Davidis verbis: *In labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui*: per modum dubitationis ait: *Quis omnia judicia enunciare poſſit, cùm inveſtigare non poſſit? An verò cum Apoſtolo exclamare dubitamus: O alti-*

titudo divitiarum Sapientiæ, & Scientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Quomodo ergo iſte dicit: in labiis meis pronunciavi omnia judicia oris tui? & ille hoc dicit, qui paulò antè ſuperiori verſu dixerat: doce me juſtificationes tuas. Deinde adhuc paululùm amplificata hac dubitatione ſubdit: *Quid ergo hìc intelligit attendite: non ait omnia judicia: ſed: omnia judicia oris tui: ideſt, quæ mihi dixiſti: ideſt, nihil judiciorum tuorum tacui, quæ mihi per eloquia tua innoteſcere voluiſti.*

Secundò Suſtentatione plures afferantur reſponſiones; eæque impugnentur. Sic idem D. Auguſtinus, * ubi ait: *Beatus Stephanus pro ſe ſtans oravit; pro inimicis verò genuflexus. Putamus fratres, quia plùs eos diligit, quàm ſeipſum?* &c. Denique reſponſionem addit: *Pro ſe ſtans, tanquam juſtus, facilè exaudiebatur: pro iniquis genu figendum erat.* Ubi advertendum, ne gratis rejectis ſolidioribus reſponſionibus frivolam aliquam addamus. *Serm. 170. de Temp.*

Tertiò; cùm Scripturæ locus utitur ſimilitudine; tum res illa deſcribi priùs poteſt, cui fit aſſimilatio; deinde applicari à nobis ſimilitudo: quæ inſuper applicatio auctoritate Scripturæ confirmetur. Optimum hìc videtur exemplum illud Auguſtini: * qui deſcripta cervorum ea proprietate; qua fluvium transnaturi, ita ſe invicem adjuvant, ut quiſque ſuo dorſo ſocii caput ſuſtentet; indè tranſit ad ſimilitudinem applicandam dicens: *Iſtam fortaſſe cervorum naturam intenderat Salomon, * cùm ait: Cervus amicitiæ, & pullus gratiarum tuarum colloquatur tecum. Nihil enim ſic probat amicum; quemadmodum oneris amici portatio.* Quod etiam fieri poteſt, ubi non Scriptura ſimilitudinem aſſumit; ſed nos eam adhibemus ad Scripturam explicandam. Sic Chryſoſtomus * eam proponens ſimilitudinem: *Hæc & nos ſæpè facimus; & famulos, qui peccaverunt, dignos ſupplicio nolentes punire, neque à ſupplicii metu liberare, amicos jubemus, ut illos è noſtris eripiant manibus: ut ità timor illorum in eis creſcat; & noſtra effugiant verbera.* Quam applicat Deo cum peccatoribus ſimiliter agenti: Deique ipſius verbis applicationem confirmat dicentis Moyſi: * *Dimitte me, ut iraſcatur furor meus; & iratus delebo eos.* *Quæſt. l. 83. q. 71.* *Prov. 5. v. 15.* *Tom. 5. hō. de pæn. & confeſſ.* *Exod. 24.*

Quartò facit Dialogiſmorum uſus, atque collocutionū.

in pſ. 56. Quo pacto * D. Auguſtinus: *Clamabo ad Deum altiſſimum. Quomodo te audit clamantem, ſi altiſſimus eſt? Nata eſt experimento fiducia. Deum, inquit, qui benefecit mihi.*

Quintò demum (ut alios è variis petitos figuris, & locis modos ſileam) id, quod dicitur à Scriptura, ad praxim reduci poteſt. *in pſ. 51.* Quale eſt illud ejuſdem Auguſtini * exponentis Pſalmiſtæ verba: *Speravit in multitudine divitiarum ſuarum.* Exponit autem ſic: *Reſpexit fortè pauper divitem juxta ſe; & ait in corde ſuo: de iſto dicit, nunquid de me? Noli te indè excipere: nam quid tibi prodeſt, ſi eges facultate, & ardes cupiditate?*

RUDIMENTUM III.
De Figuris Sympathicè moventibus Voluntatem.

Affectum, quemcunque volet, facilè côcitabit Orator, cui ſit jam redditus Benevolus, Docilisque auditor; ſi eodem ſe commotum exhibebit. *Summa nanque,* (ut cum Quintiliano * loquar) *quantùm ego quidem ſentio, circa movendos affectus in hoc poſita eſt, ut moveamur & ipſi.* *inſt. 6. c. 2.* Undè & tritum illud duxit originem: *Ardeat Orator, ſi vult incendere.* Et ex Ariſtotele hi maximè perſuadent; qui perturbationibus ſunt affecti. Atque moniti experimentum Pollio fecit Comicus apud * Gellium. *l. 7. c. 5.* Cùm enim unicè dilectum rogo dediſſet natum; mox à Scena non abſtinens perſonam Electræ repræſentandam elegit; quæ Oreſtis fratris in urna côcluſos cineres ferebat ad tumulum: quas ipſe, quòd filii eſſent reliquiæ, cùm altiùs fixiſſet imaginationi, quantis lachrymis auditores commoverit, non eſt difficile conjectari. E contrà verò, cùm Callidius (Eloquentiæ cæterùm Roſcius; niſi quod inter vehementiores animi motus frigidior) pacatè nimis oſtendere conaretur, ſibi à Gallione venenum fuiſſe propinatum; à Gallionis Patrono Tullio his fuit mendacii redargutus: *Tu iſthæc, M. Callidi, niſi fingeres, ſic ageres? ubi dolor? ubi ardor animi; qui etiam in infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet?* Hinc aliquid vix addi oporteret ad Sympathicas movendo-

ſendorum affectuum formulas enucleandas: vel, ſi exactè vellent enumerari, innumeræ propemodum ſpecies erumperent. Ne tamen, aut omninò ſinam jejunos, aut præ nimia ſatietate faſtidientes reddam Candidatos; cæteris ſolùm attactis, vulgares eas, omnibúſque pervias explicandas curabo figuras; quarum, Contentioſè licèt aliquatenùs movere valentium, ſumma tamen virtus eſt Sympathicè commovendi.

EXCLAMATIO vehementem quemvis denotat motum animi; proinde nonniſi gravioribus in negotiis adhibenda: undè & dicitur Orationis Elatio. Ejus ſive peculiaribus quibuſdam appoſitis interjectionibus, ſive iis elictis, eſt uſus. Indignatur inter alios Tullius, * ubi ait: *Proh Dii immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis?* Lachrymatur * Apoſtolus: *Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Exultat * David: *Beatus homo, quem tu erudieris Domine.* Et ſimiliter licet de reliquis obſervare.

pro Cœlio.

ad Rom. 7. v.24.

Pſ.93.v.12.

APOSTROPHE & ipſa non minori naſcitur ex animi vehementia. Tantúmque in eo ab Exclamatione differt: quòd Exclamans, niſi Apoſtrophem immiſceat, alloquitur neminem; ſed veluti immenſum implet ſuis affectibus aerem: at verò, qui utitur Apoſtrophe, verba ex auditoribus ad alium convertit quempiam, quà ſpirantem, quà inanimem; aliquid ei, quandoque etiam ſine Exclamatione, dicturus. Sic Tuberonem urget Tullius * ſummo dicendi vigore; *Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat?* &c. Et apud Jeremiam * cœlos, veluti cum admiratione indignatus, Deus alloquitur exclamans: *Obſtupeſcite cœli ſuper hoc; & portæ ejus deſolamini vehementer.* Aliquando verò ad ſe, quaſi ad alterum, dicta convertit Orator: ut * Pſaltes facit Regius: *Quare triſtis es anima mea; & quare conturbas me?* Uſus porrò ejus id poſtulat; ut non adeò facilè medium orationis obtineat: difficiliùs finem; niſi quòd frequentiùs in Sacris Concionibus ad Deum, Divóſque fieri Apoſtrophe conſuevit: initium verò ferè nunquam: non enim habet locum, niſi in vehementiſſimis quibuſdam, ac ma-

pro Ligario.

c.2.v.12.

Pſ.42.v.5.

maximi ponderis cauſis. Quare in evidenti ſolùm Reipublicæ diſcrimine primam duntaxat in Catilinam Orationẽ, impia ejus molimina deſtructurus Cicero, rupto velut argine exorſus eſt: *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? Quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet?* Undè non eſt, cur addam, quantam mereatur notam mos ducendi ex Apoſtrophe initia Concionum.

IMPRECATIO eſt, qua malum, vel alteri, vel etiam ſibimet precatur Orator. Et ſibi quidem duntaxat ad oſtendendum, de ſe verum aliquod non eſſe; vel ſe quidpiam non facturum: ut in illo Didonis apud Virgilium, * utinam Chriſtianorum inſculpto cordibus:

Æneid. 4.

Sed mihi, vel tellus, optem, priùs ima dehiſcat:
Vel Pater Omnipotens adigat me fulmine ad umbras;
Pallentes umbras Erebi; noctemque profundam:
Antè, Pudor, quàm te violem; aut tua jura reſolvam.

Alteri verò non modò ex ſupradictis imprecatur cauſis: ut, cùm ait * Apoſtolus: *Qui non diligit Dominum Jeſum anathema ſit*: verùm etiam in pœnam ſceleris alicujus: ut * ex Cicerone: *Dii te perdant, fugitive: ita, non modò nequam, & improbus; ſed fatuus, & amens es.* Parcè tamen hujuſmodi utendum formula, ne ferina rabie concitati maledicos potiùs, quàm Oratores agere videamur.

1. Corinth. 16.

pro Dejot.

Agè verò plures reliquos excurramus, exemplis tantummodo adhibitis, Sympathicos animum excitandi modos. Neque enim ii ſumus, ut quaslibet dicendi formas ad Figuras trahere conemur. Non ignoramus tamen, ad Elocutionem ſpectare, plures ex iis, quas natura paſſim excitatis animis ſuggerit veluti ex intrinſecis cauſæ ortas, ad vivificandam non raro Orationem artificio comparare. Perplexus igitur hæret animo (formula Dubitationi proxima; ſed non eadem, ſi benè perpendatur) Andromache apud Senecam: *Quid agimus? Animum diſtrahit geminus Timor. Hinc gnatus: illinc conjugis chari cineres. Pars utra vincit?* Obſequium præſtat cujuſdam Epitaphium: *Pareo tibi, Natura Parens: depoſitum reſigno.* Veneratur Seneca: *Delubra, & aras Cælitum, & patrios lares ſupplex adoro.* Blanditur quidam inter mortis ſæva funera Tumulus: *Tormentum Salonii: animula dulcis: ſuavis animula.* Auguratur omem felice

felice * Iſaias: *Dicite juſto, quoniam benè; quoniam fructum adinventionum ſuarum comedet.* Optat * David: *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ?* Invocat Virgilius: *Tu Dea ; tu præſens noſtro ſuccurre labori.* Exultat Ovidius: *Dicite Io Pæan:& Io bis dicite Pæan.* Sperat Horatius: *Nil deſperandum Teucro duce, & auſpice Teucro.* Timet, horrétque Seneca: *Pavet animus: horret. Magna pernicies adeſt.* Rubet apud eundem Hercules: *Sed ire ad illos, quos vici Deos, Pater, erubeſco.* Audet D. Paulus: * *Omnia poſſum in eo, qui me confortat.* Excandet * Deus: *Et ego faciam in furore meo: non parcet oculus meus; nec miſerebor.* Idénque * in ipſa miſeretur indignatione: *Heu, ego conſolabor de inimicis meis, & hoſtibus meis retribuam.*

c.3.v.10. Pſ.54.v.7. Philip.4.v.12. Ezech.8.v.18. Iſ.1.v.24.

RUDIMENTUM IV.

De Figuris Contentiosè moventibus Voluntatem.

Viriliorem nunc induit animum Orator: & novus Eloquentiæ Mavors, quos prioribus formulis non fœderatos obtinuit in affectibus animos, apertiorem in campum deſcendit impetiturus. Arma verò, quæ ſtringit, hîc nobis evaginanda præcipua; reliquis ex inſtituto duntaxat indicatis: ut & morem communi Rhetorum geramus menti; & id firmum jugiter habeamus; vel nullum prorsùs animi motum, quia à natura excitabilem; vel omnem, quandocunque artificiosè aſſumitur, inter figuras Rhetoricas annumerandum.

DEPRECATIO; quæ & Obſecratio dicitur; ſubmiſſiùs agit: quæcunque enim obtinere cupit, precibus à Deo, vel hominibus poſtulat enixis. Quod feliciter ſe egiſſe putavit * Cicero: *Quæ cùm ita ſint: primùm, quod in dimicatione capitis, famæ, fortunarunque omnium fieri neceſſe eſt, ab Jove Maximo, cæteriſque Diis, Deabuſque immortalibus, quorum ope, & auxilio multò magis hæc Reſpublica, quàm hominum conſilio gubernatur, pacem, ac veniam peto: deinde vos, Quirites, quorum poteſtas proximè ad Deorum immortalium Numen accedit, oro, atque obſecro; quoniam uno tempore vita Rabirii hominis miſerrimi, atque innocentiſſimi, & ſalus Reipublicæ veſtris manibus, ſuffragiiſque permittitur:* pro Rabir.

adbi-

adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam; in Reipublicæ ſalute Sapientiam, quam ſoletis.

ADJURATIO Deprecationi vires ingeminat; dum à cauſæ momento coactus Orator ſuis precibus efficaciam interponit, vel Dei, cujus gratia poſcit; vel rei cujuſpiam ſacræ, ſummæque venerationis; vel ejus, quæ chara ei ſit

ad Rom. 12. v. 1. in primis, à quo poſtulat. Per Deum rogat * Apoſtolus: *Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Per ſummum aliquod, quale Romanum putabat Imperiũ,

pro leg. Man. precatur * Cicero: *Sed pro veſtri Imperii dignitate, atque gloria, quoniam hic exorſus orationis meæ, videte, quem vobis animum ſuſcipiendum putetis.* Pérque aliquod charum

pro Dejot. idem * etiam expoſcit: *Quamobrem hoc nos primùm metu, C. Cæſar, per fidem, & conſtantiam, & clementiam tuam libera; ne reſidere in te ullam partem iracundiæ ſuſpicemur. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Dejotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti.*

ADMONITIO lenis utique motus eſt; ſed gravitate refertus. Quemadmodum enim obſecrare proprium eſt inferioris munus; ita authoritatis nonnihil expoſcit Animad-

pro Mur. verſio. Animos Admonitione flectit efficaciter * Tullius: *Quæ cùm ita ſint: primùm Reipublicæ cauſa (qua nulla res cuiquam potior eſſe debet) vos pro mea ſumma, & vobis cognita in Rempublicam diligentia moneo; pro authoritate Conſulari hortor; pro magnitudine periculi obteſtor; ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vitæ veſtræ, & ceterorum civium conſulatis.*

COMMINATIO verò, ubi monita nil proficiunt, vires aſſumit: & quod mali objicere, terroriſque poteſt incutere reſiſtenti, eo tenacem aggreditur animum. Hoc paulò

pro Mur. antè * præſtiterat Cicero: *Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint? Illa peſtis immanis, importuna, Catilinæ prorumpet quà poterit: & jam populo Romano minatur: in agros ſuburbanos repentè advolabit: verſabitur in caſtris furor; in Curia timor; in foro conjuratio; in campo exercitus; in agris vaſtitas; omni autem in ſede, aut loco ferrum, flammaque metuemus.* Non autem incongruè exterret aliquando animum; ut mi-

tio-

Digitized by Google

ctoribus ſuprà recenſitis formulis viam paret.

Verùm, cætera ut perſtringamus. Imperat * Tullius idē: *Egredere ex Urbe, Catilina: libera Rempublicam metu.* Commendant ſe tumulati cujuſdam Veneti cineres: *Amici, cognatique, vobis me commendo.* Improperat * Moyſes: *Haccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens?* Quid tamen plura congerimus? Natura quæ ſubminiſtrat, in artificioſas aſſumi poſſe formulas, cum Quintiliano * ſemel aliquando innuiſſe ſit ſatis.

in Catil. 1.
Deutor. 32. *v.* 6.
inſt. 9. *c.* 2.

CAPUT II.

DE ELOCUTIONE ORNATRICE.

COElum omnium refert votis præſens Elocutionis pars: ſed quale ſibi finxere Pythagoræi. Nitent hìc potentiſſima aſtrorum lumina; dum elegans verborum ſplendor effulget. Æthera concinnis, quà Iridis, quà Impreſſionum diſtinguuntur coloribus; dum apta Styli varietas adhibetur. Nec vulgatum jam illud abeſt ſphærarum melos; integer dum Orationis circulus numeroſam exhibet harmoniam. Quæ autem Orationis ornatum immediatè reſpicit Elocutio; ſive id præſtet ad aures demulcendas; ſive ad alliciendum intellectum; eò tendit, ut utraque hæc potentia amica reddita, attentionis manibus rationes offerat voluntati. *Nam, qui libenter audiunt, magis attendunt, & citiùs credunt,* inquit * Quintilianus. Horum igitur alterum dicendi obtinet Harmonia: alterum ingenioſa vocum, & apta ſignificatione: utrique verò ſummam varietas addit manum. Ut enim loquitur * auctor ad Herennium: *Quæ maximè admodum Oratori accommodata eſt Elocutio, tres res in ſe debet habere: Elegantiam; Compoſitionem; Dignitatem. Elegantia eſt; quæ facit, ut unumquodque purè, & apertè dici videatur. Compoſitio; quæ facit omnes partes Orationis æqualiter perpolitas. Dignitas eſt; quæ reddit ornatam Orationem varietate diſtinguens.*

inſt. 8. *c.* 3.
lib. 4.

RUDIMENTUM I.
De Compoſitione, ſeu Harmonia: ubi de Periodo.

Canticor. 6. v. 12. NIhil penè mirandum in ſua reperit Sunamitide* Pacificus Iſraelitici regni moderator, *niſi choros caſtrorum*: dulcia lyricarum fidium modulamina ſtridentiũ comparans buccinarum clangoribus: vocéſque, ſeu graviori inflexione contortas, ſeu velociſſimo fluentes lapſu, militum aſſimilans copiis, nunc oculato pede irrepentium; nunc effrenata excurrentium irruptione. Nec inaudita quidem Muſices, & Militiæ fœdera. Impetum nanque in hoſtes facturi Cretenſes cithara vehementiùs incitabantur. Cantu milites ſuos Tyrtæus Vates, quò vellet, conſuevit impellere non reluctantes. Atque Agrigentinus Empedocles furentem juvenem, qui ejus hoſpitem ſtricto adoriebatur gladio, à diſpoſito facinore carminibus revocavit. Verùm, ne latiùs pervagemur: modulis comptam, numeríſque ornatam & nos ſpectandam exhibebimus Eloquentiam: quibus tamen de aliorum animis feliciter adeò triumphet; ut ejus harmonicam reſpexiſſe ſuaſionem Orphei, Amphioniſque judices commenta; & tacto verum comperias, quod 3. de Orat. Romanæ docuit facundiæ Pater: * *Hoc in omnibus item Orationis partibus evenire; ut utilitatem, ac propè neceſſitatem ſuavitas quædam, ac lepos conſequatur*: quò ritè dicas, Pytheum in Muſarum templo primum Rhetoricam docuiſſe. inst. 9 c. 4. Neque enim Demoſthenes, ſi Quintiliano * ſit fides, fulmina tantoperè vibraſſe diceretur; niſi numeris contorta ferrentur. Conſurgit autem Harmonia tribus è dicendi virtutibus: moderata ſcilicet Periodi Quantitate: correſpondente Membrorum Numero: & induſtri vocum ea componentium Sono: de quibus modò ſeorſim.

PERIODUS igitur (ut rem à capite perſcrutemur) idem apud nos ſonat, ac ambitum, ſeu circuitum: & dicitur de omni eo, quod ita fine terminatur, ut denuò continenter incipiat: undè & periodicæ dicuntur febres, in quibus ſuos habent certos terminos paroxyſmi. Nominis autem hujus

hujus nuncupationem noſtris fecit Periodis Traſymachus, Ariſtotele teſte, ac * Cicerone. Immenſas enim ferè, quæ aures, ingeniúnque antea deſatigabant, Orationum clauſulas lyricarum Odû reſpirationes, dimenſionéſque ſecutus brevibus diviſit intervallis: &, quod unum inter, aliúdque pũctum incedebat, Periodum appellavit. Indè, quæ priùs omnibus, ipsíque adoleſcenti adhuc Tullio familiaris Oratio, quòd partes intermines, & ceu per aera pendentes ad vitium haberet, Supina dicebatur, ac Pendens; cœpit gratiùs ambitu comprehendi, ac Periodica nominari. En * Ariſtotelis de re hac cenſuram: *Voco autem tractam, ac Pendentem Elocutionem, quæ nullum ex ſe finem habet, niſi res, quæ exponitur, ad finem pervenerit: quæ ſanè eſt injucunda; quoniam infinitè fertur: omnes enim videre finem exoptant. Ambitu verò comprehenſa eſt, quæ Periodis conſtat. Hujuſmodi autem Oratio ſuavis eſt, & facilè percipi poteſt.* Definiri eapropter Periodus poteſt *Orationis facilè perluſtrabili magnitudine fluxus terminis ſententiam ambiens abſolutam.* Quæ ex Ariſtotele deduco, & D. Auguſtino. Quorum prior * inquit: *Periodum voco Orationem; quæ principium, ac finem ex ſeſe habet; & eam magnitudinem, quæ facilè perluſtrari poſſit.* Poſterior verò * Periodum eſſe docet: *Cujus Membra ſuſpenduntur voce dicentis, donec ultima finiantur.*

Orator. *3.Rh.* 11. *ibid.* *de Doctr. Chr.l.*4.

MEMBRUM verò quid ſit, vix indicat Ariſtoteles * verbis illis: *Membrum eſt altera Periodi pars.* Fuſiùs explicat * auctor ad Herennium: *Membrum Orationis appellatur res breviter abſoluta ſine totius ſententiæ demonſtratione; quæ deinde alio Membro Orationis excipitur hoc modo: Et inimico proderas: ideſt unum, quod appellatur Membrum: deinde hoc excipiatur oportet ab altero: & amicum lædebas.*

*3.Rh.*11. *l.*4.

CONCISUM vocat Articulum auctor ad Herennium; Cęſum appellat Tullius; Comma nuncupant Græci; & vulgus etiam Inciſum dicere conſuevit. Non unam ab omnibus ſortitum eſt explicationem. Demetrius ſolam ejus conſiderans quantitatem Conciſum putat id; *quod membro minus eſt.* Verùm, cùm ex Quintiliano * ſint Conciſa illa, quibus Tullius utitur: *Domus tibi deerat? at habebas:* & ex ſupradicto * auctoris ad Herennium exemplo Membrum

*inſt.*9.*c. ult.* *lib.*4.

dicatur illud: *Et inimico proderas*: non video, qua brevitate Membrum ſuperent Inciſa. Minùs ſatisfaciunt, qui Inciſum ſatis explicaſſe putant, quòd eſſe *Membri partem imperfectam* aſſeruerint. Quælibet enim dictiones ſunt Membri partes: necnon & ſenſum nihilo perfectiorem continēt, quæcunque ſolent aſſignari Membra, quàm hæc Inciſa: *Veni; Vidi; Vici*. Quod verò de Articulo ſuo docet * auctor ad Herennium; ex quo *Articulus dicitur, cùm ſingula verba intervallis diſtinguuntur cæſa Oratione*; id non omnes explicat Articulorum Species: cùm, plures pluribus conſtare vocibus Articulos, compertum ultrò ſit ex hactenùs allegatis. Undè non poſſumus acquieſcere Quintiliani ſententiæ * hæc aſſerentis: *Inciſum, quantùm mea fert opinio, erit ſenſus non expleto numero concluſus, plerìſque pars Membri. Fiunt autem etiam ſingulis verbis Inciſa*. Nobis, in quo differant à Conciſis Membra, perveſtigandi, tot poſt relictis auctorum explicationibus, non ſuppetit animus. Sed fortaſſis ad rem accedit * noſter Areſius: qui D. Auguſtini mentem interpretatus inter Conciſi requiſita id numerat; quòd nullam habeat ab alio Conciſo dependentiā. Quod ita putarem intelligendum; ut Membra quandoque inter ſeſe immediatè ligentur nexu, quo ununquodque ſuo alteri illicò ſequēti Mēbro adhæret: Inciſa verò, ſi quando cōmuni vinciuntur nodo; hic tamen unicus omnia cōprehendat. Cui videtur aſſentire * ad Herennium auctor, qui ſuprà; ubi unum ab altero excipi docet Membrum. Ligantur nanque Conjunctione *Et*, quæ is in exemplum affert. Quas verò Articulorum profert ideas: ſcilicet: *Inimicos invidia, injuriis, potentia, perfidia ſuſtuliſti*: omnibus communem nexum uſque ad poſtremam vocem, *Suſtuliſti*, dilatum patiuntur. Undè fit, quòd Cicerone * ex Cæſis coaleſcens *Oratio infracta, ac amputata, non apta, & finita pronuncians* videatur.

ibid. — *inſt. 9. c. ult.* — *Art. pred. l. 3. c. 20.* — *lib. 4.* — *2. Orat.*

Genera verò Periodorum univerſaliora duo communiter numerantur: Compoſitorum ſcilicet, & Simplicium. Prioris generis eſt quælibet Periodus, quæ diſtinctis conſtat Membris, & Inciſis plures ſenſus habentibus, ut ait Quintilianus: * & quæ, ut Ariſtoteles * loquitur, diſtinctas partes habet, & ſpiritum dicentis non impedit; cùm reſpirationem

inſt. 9. c. 4. — *3. Rh. 11.*

nem Membrorum, Cæſorúnque termini permittant. Quo dicendi genere eo plauſu ſeneſcentibus annis uſus eſt in Antonium Cicero; ut & nomen Divini Oratoris ſit adeptus; & dolere, tum ſibi ademptum eloquendi tempus, cùm benè inciperet eloqui, fateatur. Sic cum eodem * diceres : *Quid tam eſt admirabile; quàm, ex infinita multitudine hominum exiſtere unum; qui id, quod omnibus natura ſit datum, vel ſolus, vel cum paucis facere poſſit?* Poſterioris verò generis eſt Periodus, quę ex uno Membro conſtat: * eo quòd tota ſententia unico abſolvatur verbo cunctas regente partes; quæ tamen ſingulæ, niſi ad id referantur, non omnes completum habent ſenſum: *undè ſenſus unus longiori ambitu circunducitur*; ut de Simplici loquitur Periodo * Quintilianus. Exemplum ex Cicerone * aptiſſimum: *Rempublicam, Quirites, vitanque omnium veſtrum, bona fortunæ, conjuges, liberoſque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam, pulcherrimanque Urbem, hodierno die Deorum immortalium erga vos ſummo amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis, ex flamma, atque ferro, ac penè ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam, ac reſtitutam videtis.*

Cic. Orat. 2. *Ariſt.* 3. *Rh.* c. 11. *inſt.* 9. c. 4. *in Catil.* 3.

Compoſita autem Periodus (relictis quorundam partitionibus) ſemper mihi ligata fore videtur; & nimiùm Orationem Membratim, Inciſimve ſolutam, à Membratim, aut Inciſim Periodica diſſentire. Id enim ſuadet proportio: quam inter humani corporis, & Periodi Membra, Quintilianus innuit, * dum ait: *Membrum autem eſt ſenſus numeris concluſus; ſed à toto corpore abruptus, & per ſe nihil efficiens. Id enim: O callidos homines! perfectum eſt; at remotum à cæteris vim non habet; ut per ſe manus, & pes, & caput.* Cui favet opinioni * Tullius de varianda docens Oratione. Suprà factum enim exemplum ex ſemetipſo proponit: *O callidos homines! O rem excogitatam! O ingenia metuenda! Diximus. Teſtes dare volumus. Quem, quæſo, noſtrum fefellit, ita vos eſſe facturos?* Idque fatetur conſtare primùm tribus Membris: deinde Inciſo: rurſus alio Membro: & claudi tandem bimembri Periodo. Totam igitur Inciſorum, Membrorúnque congeriem non appellat Periodum; quia ſola duo poſtrema communi ligamine vinciuntur.

inſt. 9. c. 4. *Orat.* 2.

tur. Ligamen porrò quadruplex eſſe poteſt: Hyperbaton, ſcilicet; Adjunctio; Suſpenſio; & Conjunctio.

HYPERBATON; latinè Transgreſſio; eſt verborum textura. Fit dupliciter ex monito * auctoris ad Herennium: lib. 4. Perverſione ſcilicet, & Tranſjectione. Perverſione quidem, cùm ejuſdem clauſulæ verba, quæ priùs dici deberent, poſteriorem occupant locum. Sic apud eundem: *Hoc vobis Deos immortales arbitror dediſſe ſalute pro veſtra*: pro dicendo: *Arbitror, Deos immortales dediſſe hoc vobis pro ſalute veſtra*. Tranſjectione verò, cùm inter ea, quæ poſſent unitim proferri, jacet quidquam. Sic * ex Tullio: Cic. in Verr. 3. *Nemo jam, Dolobella, neque tui, neque tuorum liberorum, quos tu miſeros in egeſtate, atque in ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt*: poterat nanque dici: *Nemo jam, Dolobella, miſereri poteſt, neque tui* &c. Harum autem Specierum Hyperbati, prior ad ſolum numerum concinnandum deſervit: poſterior verò hæc unitatem dat Periodo clauſulas amplexata. At verò nonnunquam vitium erit Hyperbaton. Quoties enim verbum aliquod habet energiam; id ne in media lateat Periodo; ſed, vel initium, vel finem occupet ad reſilientiam. Sic * Cicero & neceſſitatem, & tempus vomendi Philip. 2. diſtinctè notat in Antonium: *Ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie*. Similiter & vitium habet inconcinna quædam Tranſjectio: quam in Lucilio notat * auctor ad Herennium ſic dicente: ib. 4. *Has res ad te ſcriptas Luci miſimus Æli*.

ADJUNCTIO communi fit voce, quæ ad ſingula refertur Membra, vel Inciſa: ita tamen, ut ſingulis tantùm ſi adhæreret, perfectum adhuc redderet ſenſum. Id in eo apparet, quod exemplum attulit * ad Herennium auctor: Ibid. *Inimicos invidia, injuriis, potentia, perfidia ſuſtuliſti*: poterat enim æquè dicere: *Inimicos invidia ſuſtuliſti*.

SUSPENSIO dictio quævis eſt ex vi grammaticalis ſenſus reſpondentem aliam exigens ad abſolutam integritatẽ. Hujuſmodi ſunt particulæ: *ſicut, cùm, magis*, & ſimiles innumeræ: imò & conſtructiones quælibet imperfectæ. Sic pro Cornel. in allato ex Cicerone * exemplo: *Quem, quæſo, noſtrum fefellit, ita vos eſſe facturos?* deſiderabat prior pars poſteriorem, ut Suſpenſio tolleretur eo aſſignato; de quo, an

ſefel-

feſelliſſet quempiam, quærebatur. Huic adhæret materialis quædam Suſpenſio; quam Harmonicam voco; in eo conſiſtens, quòd non pleno adhuc ſono terminatæ priori clauſulæ plura ſubnectimus, licèt ex ſe disjuncta: Sic Cicero * cùm dixiſſet: *Non vult P. R. obſoletis criminibus accuſari Verrem*: addidit illicò: *Nova postulat; inaudita deſiderat.* *in Verr. 7.*

CONJUNCTIO quibuſvis in dictionibus reſidet perfecto jam ſenſui aliquid ulteriùs copulantibus; inſtar partiũ, quas integrales Phyſici vocant, ut manus, aut pedis; ſine quibus homo conſiſteret, ſed non integer. In quo à cæteris hoc diſcriminatur ligaminibus; quæ, utpote eſſentialia, capiti, aliiſque vitalibus partibus comparantur. Exemplum ex Cicerone * ſit: *Datur enim conceſſu omnium aliquis huic ludus ætati: & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates.* Neque verò huic deſunt efficaciſſima ornamenta: ſunt enim in promptu Polyſyntheton, & Diſſolutio. POLYSYNTHETON, ſuprà quàm exigat unitas grammaticalis, Conjunctiones ingeminat: ut * apud Tullium: *Perturbationem iſtam mentis, & quadam ſcelerum offuſa caligo, & ardentes furiarum faces excitarunt.* DISSOLUTIO verò quodlibet Cõjũctionis aufert ſignũ: ut in illo Ciceronis ejuſdem * utranque præſentem dicendi formulam adunante: *Tandem aliquando Catilinam furentem audacia; ſcelus anhelantem; peſtem Patriæ nefariam molientem* (hactenus Diſſolutio; ſequitur modò Polyſynthethon) *ex Urbe, vel ejecimus; vel emiſimus; vel ipſum egredientem Urbe proſecuti ſumus.* *pro Cæl.* *pro Mil.* *in Catil. 2.*

Hiſce ligaminibus diverſimodè plura Membra, aut Inciſa vincientibus venuſtiſſima componitur Periodus. Ad cujus duo concurrunt concinnitatem: nexuum videlicet diſpoſitio; & partium, quæ innodantur, ornatus. Partes bræviſſimæ ſolent eſſe, eæque vel oppoſitione mutua reſultantes; vel quantitate æquales; vel numero ſimiles, aut ſono; de quibus infrà. Nexus verò modò ſola ligat initia: ut apud Ciceronem: *Mors eſt in fuga fœda; in victoria glorioſa.* Modò ſolos annectit fines: ut: *Aut dolori; aut vitæ finem faciam.* Modò ſola media vincit: ut: *Dignum eſt mori, dum non es dignus mori.* Modò utrunque ſimul, non ſemel ali-

aliquando nodis repetitis; eo prorſus modò, quo Inſcriptiones fieri declarabimus poſtremo hujus operis in libro ¿ Sic:* *Etenim, Judices, non ſcripta; ſed innata lex: quam non didicimus; accepimus; legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus; hauſimus; expreſſimus: ad quam non docti; ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

pro Mil.

QUANTITAS porrò Periodica, cùm omnem à compoſita Periodo recipiat normam, ex Multitudine, & Longitudine Membrorum aptiſſimè computatur: non quòd unica debeat omnium Comprehenſionum eſſe menſura: ſed quòd inter impares, quas dicendi varietas requirit magnitudines, una ſit, quæ media, omniúnque perfectiſſima videatur. Et quoad Multitudinem quidem: tria perfectæ tribuit Membra Periodo auctor ad Herennium. * Ait enim: *Ex duobus membris his hæc exornatio potest conſtare: ſed commodiſſima, & abſolutiſſima eſt, quæ ex tribus conſtat hoc pacto: & inimico proderas; & amicum lædebas; & tibi ipſi non conſulebas.* Secùs tamen loquuntur reliqui Artis Rhetoricæ ſummæ notæ inſtitutores. Quintiliano * nanque *habet Periodus membra minimùm duo: medius numerus videtur quatuor: ſed recipit frequenter & plura*. Ciceroni * verò *conſtat ambitus ille, ac plena comprehenſio è quatuor ferè partibus; quæ Membra dicimus: & ut aures impleat: & ut ne brevior ſit, quàm ſatis ſit; neque longior*. Quoad Longitudinem verò Membrorum: mediam eſſe debere, generale docet adagium extremum omne pronuncians vitioſum. Indè non mitiùs apud Ariſtotelem * audit, qui pědentis Orationis inſtar Periodos extendit; quàm qui nimis anguſtis limitibus coarctat. *Quare* (ut ejuſdem verbis concludam) *idem in hac re contingit, quod Demetrius Chius Melanippidi per jocum objecit, cùm ille pro antiſtrophis anabolas uſurpaſſet:*

lib.4.

inſt.9.c.4.

Orat.2.

3.Rh.11.

Is ſeipſum lædit, aliumqui lædere quærit:
At carmen longum Vati ipſi peſſima res eſt.

Hoc enim ipſum in eos aptè dici poteſt, qui longis membris delectantur. Contrà verò, quæ breviora, quàm opus ſit, habent membra, ne Periodi quidem ſunt: nam ipſum auditorem præcipitem rapiunt. Sed ne determinatam modò quæras Periodi, Membrorúmve dimenſionem. Eam enim ſatis

jam

Jam innuit Stagirita, lyricarum Odum antiſtrophis æquam eſſe debere. Vel (ſi mavis vulgatiorem adhibere cum Tullio * normam) *è quatuor quaſi hexametrorum inſtar verſuum conſtat ferè plena Comprehenſio*: dummodo tamen pluſculùm extremæ, quàm partes cæteræ, protrahantur. Occurrit aptiſſimum ex D. Leone * exemplum: *Utranque enim ſubſtantiam in unam conveniſſe perſonam;-niſi fides credat, ſermo non explicat: - & ideò nunquam materia deficit laudis; - quia nunquam ſufficit copia laudatoris.* *Orat.2.* *Serm.9. de Nativ.*

COMPAR itaque; græco nomine Iſocolon; hunc petit locum. Eſt enim omnium votis melodica Periodi Compoſitio: qua eandem penè ad menſuram plura ejus Membra ducuntur: ſic: * *Si quantùm in agro, locíſque deſertis audacia poteſt; - tantùm in foro, atque judiciis imprudentia valeret: - non minùs nunc in cauſa cederet A. Cecinna Sexti Ebruti imprudentiæ; - quantùm in vi facienda ceſſit audaciæ.* Quæ etiam Inciſis tribui non raró ſolet æqualitas: ut cùm de Domitiano Plinius Orator ait: *Superbia in fronte: ira in oculis: pallor in corpore: in ore imprudentia.* Quin & ſimplicibus quoque dictionibus, ubi Inciſorum funguntur munere: ut habet * Cicero: *Abiit; exceſſit; evaſit; erupit.* Hanc tamen æqualitatem non arithmeticus menſurabit rigor; ſed geometrica comparabit proportio: & rectarum potiùs aurium judicium; quàm exacta ſupputatio calculabit. *Hoc* (inquit enim * auctor ad Herennium) *non de enumeratione noſtra fiet: nam id quidem puerile eſt: ſed tantùm affert uſus, & exercitatio facultatis, ut animi quodam ſenſu par membrum ſuperiori referre poſſimus.* Neque verba debent verbis minutim æquiparari: ſed poſſunt ultrò pauciora (plena tamen) æquari brevioribus; ſed pluribus. Quod his notat * Ariſtoteles: *Compar autem eſt quando duæ pares enunciantur clauſulæ. Pares autem eſſe poſſunt multę etiam parvæ clauſulę paucis magnis; & pares magnitudine paribus numero.* *Cic. pro Cecin.* *in Catil.2.* *lib.4.* *ad Alex.26*

NUMERUM latinè eam Harmonicæ Orationis virtutē, quam græcè minùs propriè Rithmum, appellamus. Eáque ſita in hoc eſt, quòd aptè verborum accentus ad proferendum, tonúſque diſponatur. Juxtà Ariſtotelem enim * *Numerus, qui in Oratione ſpectatur, rithmus eſt: cujus etiam mēbra partes ſunt. Quo fit, ut Oratio rithmum quidem habere* *3.Rh.10.*

debeat; non autem verſum: alioquin eſſet poema. Neque tamen exquiſitè rithmum ſervare oportet;ſed quadantenus. Ut verò leges ad hoc conducentes (vel nomine pedum, verſuúnque abjecto, quo utuntur communiter) explicemus; obſervabimus duo. Advertendum enim in primis, voces pluſquam duabus conſtantes ſyllabis in aliqua ex extremis tribus tonos, ſeu accentus habere. Quædam enim in penultima habent ſyllaba: proindéque Tardæ evadunt; ut, *Timerem*. Quædam in antepenultima: & redduntur Lubricæ, ut *Timeo*. Aliæ verò in ultima: fiúntque Graves. Hoc tamen poſtremum, quoad ſonum, nunc temporis in idiomate ſolùm reperitur apud nos Italico: in Latino verò; cùm inoleverint jandudum illa pædagogorum quorundam, ac notariorum, *Aliàs, Porrò*, & ſimilia poſtremæ gravamina ſyllabæ; remanent duntaxat eorum vices gerentia monoſyllaba: Id enim his, atque diſsyllabis proprium ineſt; ut facilè cæteris agglutinentur vocibus; & veluti unicam, numero nil minùs, quàm quantitate, conſtituant. Undè in illo * D. Petri; *Etſi omnes fuerint in te ſcandalizati; ſed non ego*: tres ultimæ dictiones vim non relinquunt neceſſariam affectui, qui tunc in Apoſtolo dominabatur; ſed plenum habent numerum inſtar quadriſyllabæ Tardæ. Deinde quinque in Periodo objiciuntur conſideranda. Et primum quidem terminus eſt ultimæ clauſulæ ſeu membri: ſecundum initium primæ; quod eſt alterum totius Periodi extremum: tertium cujuſvis reliquæ clauſulæ prima vox, ac initium: quartum cujuſvis etiam finis: quintum denique cæteræ cunctæ voces his omnibus intermediæ.

Marc. 14. 29.

Jam his præſuppoſitis: ſtet pro ſigno rotundæ (quæ magis harmonica eſt) Periodi ex D. Leone * idea; quam omnium vota proponunt numericæ Orationis normam: videlicet: *Omnium quidem Sanctarum ſolennitatum, dilectiſſimi, totus mundus eſt particeps: - & unius fidei pietas exigit; - ut, quidquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur, - communibus ubique gaudiis celebretur.* Nunc verò hæ ſint regulæ. Quoad ultimæ clauſulæ finem, monoſyllabis, vel habentibus in fine accentum (præterquam in interrogationibus; quibus aptiſſime ſunt) nunquam utendum: lubricis raró: tardis diſsyllabis ferè nunquam: reliquis verò ſemper claudenda Perio-

in Oct. Apoſt. Pet. & Pauli.

Periodus: ita tamen, ut præ cæteris magnificentiorem reddat Comprehenſionem quadriſyllaba tarda, quam una tantùm præcedat lubrica; ſi præſertim hujus accentum accentus alius præeat non remotus. Sit exemplum ex ſuprà dicta idea: *Communibus ubique gaudiis celebretur*. Quoad initium primæ, nunquam incipiendum à gravatis accentu in poſtrema ſyllaba; niſi reſtęnet impetum immediatè ſecuta aliqua ex tardis, vel plures huic æquivalentes. Imò, ſi ſolertiùs rem agere curas, quadriſyllabam triſyllabæ, vel è converſo triſyllabam gravatæ ſuppone quadriſyllabæ. Exemplum ſit Italicè: *Oſſervò ſempre mai*: vel: *Eſaminò ſovente*: &c. Quoad aliarum initia clauſularum, valet etiam quidquid háctenus de Periodi diximus initio: ſed tamen non adeò rigoroſè ſervandum. Quoad reliquarum finem, lubrica verba, vel poſtremo in loco, vel (ſi hunc diſſyllaba obtineant) in præcedenti quarumvis interjacentium clauſularum aptiſſimè collocantur. Et lubrico quidem in ſupradicto exemplo clauſulas terminat D. Leo: *Ut quidquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur*. Potuiſſet verò ſecundo modo ſic terminare: *Ut quidquid pro ſalute univerſorum recolitur geſtum*: undè Periodus aliquantò tardior; ſed & gravior evaſiſſet. Quoad reliqua demum intermedia verba, lubrica debent tardis pro ſtyli varietate miſceri: & ubi nimiùm ſaltare, aut fluere videbitur Oratio; tardis illicò, vel diſſyllabis retardari. En quomodo præcitatus Pontifex, cùm ſecundam lubricis penè omnibus compoſuiſſet clauſulam dicens: *Et unius fidei pietas exigit*: continuò alteram omnibus ferè conſtantem tardis adjecit: *Ut quidquid pro ſalute univerſorum geſtum recolitur*: & in poſtrema quoque lubrica tardis proſecutus eſt temperare. Excipiuntur tamen; in quibus res, quæ dicuntur, etiam tono, vociſque magnitudine placet imitari ad evidentiam. Undè temporis fugacitatem deſcripturus Virgilius Dactylis, qui noſtris æquivalent lubricis, carmen implet:

Sed fugit interea; fugit irreparabile tempus.

Idénque agitatum exprimit pluribus diſſyllabis animum:

Ferte citi flammas: date tela: impellite remos.

Quam etiam ſervat exceptionem illud:

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Sed ne miretur quiſquam, ad omnes Periodi nos deſcendiſſe partes menſurandas. Pro nobis enim eſt Tullius: * quo docente, *plerique cenſent, cadere tantùm numeroſè, terminarique ſententiam. Eſt autem, ut id maximè deceat; non id ſolum: ponendus eſt enim ille ambitus; non abjiciendus. Quare, cùm aures extremum ſemper expectent, in eoque quieſcant; id carere numero non oportet. Sed ad hunc exitum tamen à principio ferri debet verborum illa comprehenſio; & tota à capite ita fluere; ut ad extremum veniens ipſa conſiſtat:* Decet igitur ſæcularem Oratorem quarumlibet clauſularum numeroſa prolatio. Decet & Sacrum. De ſe enim Auguſtinus * hæc teſtatur: *Ego in meo eloquio, quantùm modeſtè fieri arbitror, non prætermitto iſtos numeros clauſularũ.* Et ejus opera; necnon & D. Leonis, Chryſoſtomi, aliorúnque ſtylus rem exemplo confirmant.

de Orat. 2.

Doctr. Chr. l. 14. c. 20.

3. Rh. 12.

ASSIMILATIO (ſi Ariſtoteli * credimus) habetur, *cùm extremæ partes utriuſque Membri ſimiles ſunt.* Non tamen utcunque: ſed dummodò Compar intercedat æqua clauſularum menſura Similitudinis revelans harmoniam. Undè alibi hæc docet * Stagirita: *Similiter verò cadens* (ſic enim promiſcuè Aſſimilationem omnem appellat in eo loco) *eſt, quod Compari quidem majus eſt: non enim pares ſolùm clauſulas; verùm & ſimiles, & ſimilibus efficit verbis.* Similitudo verò (quatenùs ad ſonum attinet vocis; de quo tantùm hic loquitur Ariſtoteles) non alia requiritur; niſi quàm in poſtremis dictionum ſyllabis major elementorum affert numerus: *Maximè enim * ſimiles fieri oportet exitus dictionum: iis nanque vel in primis efficitur Similiter cadens. Similes autem dictiones ſunt ex ſimilibus ſyllabis; in quibus plurimæ literæ eædem ſunt: ſicuti: Militibus nullis valet: & viribus multis caret.* Solertiùs tamen inſpectam Aſſimilationem partiuntur recentiores cum auctore * ad Herennium; ut alia ſit Similiter cadens; alia verò Similiter deſinens appelletur. Similiter cadens autem ſolis Nominibus cógruit. Eſt enim, quæ caſuum inflexiones, vel etiam ſimul vocis ſonum aſſimilat: ut * ſi dicas: *Quid tam commune; quàm ſpiritus vivis; terra mortuis; mare fluctuantibus; littus ejectis?* Singulæ nanque clauſulæ tertiis caſibus efferuntur. Et apud D. Fulgentium: * *Heri præſepis anguſtia Chriſtum portavit in-*

ad Alex. 27

ibid.

lib. 4.

Cic. pro Roſc.

Serm. de S. Steph.

infantem: hodie immenſitas cœli ſuſcepit Stephanum triumphantem. Similiter ver ò deſinens eſt, in qua, tamétſi caſus non habeant extremæ clauſularum dictiones; ſimiles tamen, vel quoad vocis ſonum, vel quoad inflexionem ſunt exitus; ut adverbia adverbiis, & verbis verba in eadem reſpondeant conjugatione ſic: * *Turpiter audes facere: nequiter ſtudes dicere. Audacter territas: humiliter placas*. Quæ geminæ Aſſimilationis ſpecies ſi jugi admixtione variè diſponuntur, ſibique cohærent; concinnam ſupra modum Orationem reddunt: ut videre eſt apud * D. Fulgentium, & alios primæ illius Sacræ Eloquentiæ Patres. Cavendum tamen, quod hic ſummo non vacat periculo, ne ſcilicet Artis ſolertia nimiùm detegatur.

SONUS vocum, è literarum eas componentium qualitatibus potiſſimùm pendet: quas non uno cuncti promunt judicio. Nobis tamen; omiſſa Panigarolæ * cum Bembo * ſentientis, nec non & Areſii* ſecùs pronunciantis ſententia; verius apparet, quod docet * Emmanuel Theſaurus: relicto tamen magis purgatis auribus judicio meliori. Ex Vocalibus itaque dulcem ſimul, & ſonoram, ſeu gravem habet vocem *A*: dulciorem *E*; ſed minùs gravem: minùs verò dulcem *O*; ſed graviorem, quàm *A*. Reliquæ ingratæ ſunt; niſi prædictarum attemperentur conſortio. Et *I* quidem ob nimium acumen, atque ſtridorem; U verò ob nimium ululatum, & quia obtuſa evenit, ac lugubris. Ex Conſonantibus verò dulces, ſonoræque ſunt *P*, & *T*; atque *L* prioribus dulcinſcula. Augent poſt has magis, magiſque dulcedinem; minuúntque perinde gravitatem eodem, quo hic recenſentur ordine *D*, *F*, *B*, *N*, *M*, *G*, *Z*: quibus addo *T*, & *C* molles; quales ſunt in dictionibus *Gratia*, & *Loci*: nec non & J, atque *V* conſonantes; ut in *Jocus*, *Vita*. Ex alia autem parte gravitatem ſuo augent ordine, dulcedinem minuentes *S*, *C*, *Q*. Aſperæ verò ſunt, quæ ſuperſunt, *R*, & *X*: nam *H* non habet ampliùs apud nos prolationem; niſi ubi ſonum accipit duræ *C*. Porrò Vocales ſunt dulciores Cõſonantibus: hę tamen magis ſonoræ, quàm illæ; ſi dulces dulcibus compares, & ſonoras ſonoris. Undè quò plures coeunt Vocales eò molliorem conſtituunt ſtylum; ſed facillimè pervenientem ad vitium. Conſonantes quoque robur au-

Comm. 30.
Bemb. prof. l. 2.
Art. pred. l. 3. c. 8.
Cannocb.
Ariſt. c. 4.

augent juxtà propriam cujuſque naturam. Quapropter dulciorem adhuc reddit vocem duplex *G* in *Aggero*, quàm unicum *C* in *Caput*. Atque etiam aliquando nimius conſonantium uſus in vitioſam degenerat Cacophoniam.

lib. 4. Vitium igitur habebit Sonus, auctore ad Herennium * monente, ſi continebit crebras Vocalium concurſiones; quæ vaſtam, atque hiantem Orationem reddunt: ut: *Statuę aneæ amœniſſimæ impendebant.* Inſuper ſi ejuſdem literæ nimiam habebit aſſiduitatem; ut: *Quicquam quiſquam cuiquam, quod conveniat, neget?* Rurſus ejuſdem ſi dictionis multiplicem dabit repetitionem, & crebram: ut: *Cujus rationis ratio non extet, ei rationi ratio non eſt fidem habere.* Accedunt plures continenter adhibitæ ſimiliter cadentes: ut: *Flentes, plorantes, lachrymantes, obteſtantes.* Quibus & ſuprà dictum plurium Conſonantium addemus uſum: aſperam enim Orationem facit: ut in exemplo à Quintiliano * (*inſt.* 9. *c.* 4.) adducto: *Ars ſtudiorum.* Quare Servius *S* literam ſubtrahebat; ne dictionem terminaret, quam altera à Conſonante incipiens ſequeretur: & Lucilius, * (*ap Quintil.*) *Serenu' fuit*, dicebat pro, *Serenum fuit*: quomodo plures ex antiquis locutos (*ibid.*) tradit * Cicero. (*Orator.*) In quibus tamen vitandis vitium quoque redolet nimiùm ſcrupuloſa ſolertia: atque hujuſmodi delicatulis objici id poteſt; quo Iſocratem deriſit * Plutarchus (*Opuſc. Bellone, an pace Athen. &c.*): *Quomodo non ſonitum armorum phalangiſque biatum metuiſſet; qui tantopere vocalem cum vocali conjungere metuebat?* Quin & aliquando vitiatur appoſitè, aptéque ſtylus rebus conformandus, quæ dicuntur: (quæ non mediocris virtus eſt) ut in illa arduæ viæ deſcriptione: *Saxa per, & ſcopulos, & depreſſas convalles.* Verùm hìc ne ad Sonum pertinentem formulam omittamus.

PARANONASIA latinè Annominatio; vel, ut quidam loquitur, Biſquęſitum, quaſi bis quæſita vox; Italis dicitur *Biſticcio*. Ex elementorum voces componentium artificioſa provenit ſimilitudine ferè omnimoda quoad Sonum. Ejus naturam, præcipuáſque ſpecies his auctor ad Herennium * (*lib.* 4.) exponit: *Annominatio eſt, cùm ad idem verbum acceditur commutatione, aut additione unius literæ, aut literarum: aut ad res diſſimiles ſimilia verba accommodantur.* Fit itaque primò commutando. Commutatur autem non rarò

rò elementorum, aut ſyllabarum ordo: ut: *Libros ſervat, non verſat*: & ex Cicerone: * *Conſul ipſe parvo animo, & pravo*. Aliquando verò tranſponitur ſolus accentus: ut in eo lemmate Elephanti ſuperpoſito, qui ſuo caſu Eleazar, Machabęorum ducem ſtrenuiſſimum * oppreſſit: *Occidit, & occidit*. Nonnunquam litera aliqua, aut ſyllaba ponitur pro altera: ut * apud Tullium: *En, cur Magiſter ejus ex Aratore Orator factus*. Qua etiam commutatione Neroni illuſerunt Romani, pro: *Claudius Tyberius Nero*: ſcribentes: *Claudius Biberius Mero*. Atque huc reducam illud D. Bernardi * de periculoſis temporibus, quæ inſtitura prædixerat Apoſtolus, aſſerentis: *Non inſtant; ſed extant*: licèt enim harum dictionum altera elemento ab altera excedatur, omnis tamen varietas primariò reſultat ex commutatione componentium præpoſitionum. Fit ſecundò ſyllabã, aut elementum alteri addendo ex dictionibus; vel alteri cõſequenter ſubtrahendo. Prioris additionis ſit exemplum * ex Cicerone: *Facie magis ridiculus, quàm facetiis*: & ex D. Cypriano * fucatas virgines reprehendente: *Capilli tibi non ſunt, quos Deus fecit; ſed, quos Diabolus infecit*. Poſterioris verò ſit * ex D. Bernardo: *Habitantes in cœlis potiùs, quàm in cellis*. Fit tertiò æquivocationis ſpecie eaſdem penitùs voces, diverſa tamen ſignificantes, aggerando; vel plures agglutinando unicæ alterius ſono æquivalentes: ut vulgato hoc in diſticho:

Quid facies, facies Veneris cùm veneris ante?
Ne ſedeas, ſed eas; ne pereas per eas.

In his tamen omnibus Paranomaſiæ ſpeciebus exceſſus eſt fugiendus. *Quomodo* enim, * *ſi crebrò his generibus utemur, pueri li videbimur Elocutione delectari; ita, ſi raro has interſeremus Exornationes, & in cauſa tota variè diſpergemus, commodè luminibus diſtinctis illuſtrabimus Orationem*. Quanvis enim (ut verum fatear) & non paucos è Græcis Patribus, inter quos D. Fulgentium, multos in his inveniam fuiſſe: & copioſum Iſocratem; immodicúnque Gorgiam legam * apud Quintilianum: id fortè eveniſſe puto; quòd eæ fuerint (ut varietas eſt geniorum) illi idiomati aptiores. Cæterùm inter Latinos, quibus & Itali conformantur, non ita. Citato nanque ex Fabio M. Tullius iis eſt utique delectatus:

l. 1. ad Attic. ep, 10.
1. Machab. 6.
Philip. 3.
ad Eugen.
l. 1. ad Att. Ep. 10.
de Hab. Virg.
de Vit. ſolit.
Herenn. 4.
inſt. 9. c. 3.

ctatus: *Sed modum tamen adhibuit; & rem alioqui levem ſententiarum pondere implevit*. Curandum inſuper; ut, quibus utimur, Annominationes animet argutia præſertim in Contrapoſitione, Correctione, aliáve ex ſupradictis formulis conſtituta.

Ut autem facile ſit cuipiam aptam delectui Annominationum habere copiam: moneo cum Emmanuele Theſauro,* fertiliſſimum patere campum, ſive in foliis correctionum, quæ ſolent operibus ſubnecti: ſive in lexicis. In correctionibus quidem ita, ut ſi, exempli cauſa, moneris, pro verbo *Vincire* legendum tibi *Vincere*, eruas indè cum Cicerone * Paranomaſiam dicens: *Non modo vincere, ſed etiã vincire oporteret*. In lexicis verò ſemper è ſimilibus verbis gradatim ad ſimilia procedendo. Sic poſt vocem, *Plaga*, quæ vulnus denotat, eandem inveniens vocem (plurali tamen in numero uſitatam) rete, quo venatores utuntur, exprimentem dices, Crucifixi Redemptoris plagas eſſe plagas amoris animas aucupantis.

Cannoch. c. 7.

de Haruſp.

RUDIMENTUM II.

De Elegantia, ſeu apta, & ingenioſa vocum ſignificatione: ubi De Metaphora: cæteriſque Tropis; & De Epithetis.

Alterum Rhetorici cœli, Elocutionis inquam Ornatricis, decus eſt Elegantia. Ea nanque ſplendentibus ceu Selectiorum vocum aſtris effulget: ut modò in Compoſitis ſidereas mireris conjunctiones: modò in propriis, vulgatíſque lacteos candores inſpicias: modò in novis, fictíſque Meteorologicas impreſſiones obſerves: tótque nitentium luminum, quot vocum, numeres varietates. Undè ritè Quintilianus * verborum proprietatem, ac differentiam omnibus docet debere eſſe communem: ſed eam ſcire, ac eloqui, præ omnibus decere Oratorem. Sunt autem in duplici ſupremo genere voces: aliæ nanque Propriæ immediatè ad ipſum id ſignificandum aſſumptæ, ad quod fuerunt à primis earum inventoribus ſelectæ: aliæ verò Tranſlatæ; quæ aliud ex inventorum inſtituto ſignificant; aliud

inſt. l. 1. in proœm.

aliud verò ex uſu loquentis: quarum hæ venuſtiorem; candidiorem verò reddunt illæ ſtylum, magiſque gravem. Utræque ſolertiùs hìc explicandæ, Epithetorū ſubnexis virtutibus. *Initium enim, & fundamentum Elocutionis eſt emendatè loqui*, juxtà Ariſtotelis * monitum. Et ex * Cicerone, verborum delectus eſt Eloquentiæ origo. Undè Emmanuel Theſaurus * normam proponit aſtruendi vocum Catalogum per ſingulas Categorias. Cujuslibet enim Categoriæ partibus ſingulis principalioribus addi jubet voces omnes ad eas reducibiles: ut, exempli cauſa, Plantæ ſub genere ſubſtantiæ conſtitutæ voces inſeras denotantes ſpecies univerſas plantarum, earúnque partes omnigenas; putà radices, frōdes &c; nec non & loca quælibet, in quibus reperiuntur; aliáque id generis. Nos verò breviorem fortè, faciliorénque oſtendemus viam univerſalis ſylvæ proponētes ideam: quò ſedulos remitto Candidatos. Id tantùm hìc monere non deſinam: delectum vocum non eſſe affectatum eum, ac proinde vitioſum, aliquorum laborem; qui abſtruſiores, magiſque novas voces prolixis codicibus, & ſylvis congerunt; quò ſtruendæ Orationis dato tempore, hujuſmodi innixi toto conatu vocibus, nova potiùs, Grammaticiſque recondita Lexica, quàm Rhetoricum aſtruant opus. Ei, ni fallor, hi ſimiles ſunt: qui, ut ait vanos Declamatores arguens Quintilianus, * grana ciceris ex ſpatio diſtanti miſſa in acum continuò, & ſine fruſtratione inſerebat: quem cùm ſpectaſſet Alexander, digniſſimum opere tanto præmium, cicerum ei modium dari juſſit. Sed ad Species vocum redeamus.

3. *Rh*. 8.
Brut. l. 3.
Cannoch. c. 6.
inſt. 2. *c.* 18.

PROPRIÆ voces (quantùm ad præſens attinet inſtitutum) aliæ Uſitatæ ſunt; aliæ Extraneæ; aliæ Vetuſtæ; aliæ Novæ: quæ tres omnes ultimæ ſpecies primæ opponuntur. Novæ verò aliæ Derivatæ; aliæ Compoſitæ; aliæ Fictæ.

USITATÆ veluti antonomaſticè dicuntur Propriæ: vel potiùs ſic nominantur relatè ad conſuetum audientium idioma. Sunt enim quæcunque ab omnibus ejus idiomatis adhibentur. Undè Ariſtoteli * nomen Proprium eſt; *Quod omnibus in uſu eſt*. Et quidem omnibus Oratoriæ facultatis verè eruditis. Cum Quintiliano enim * *Conſuetudinem ſermonis vocabo conſenſum eruditorum; ſicut vivendi conſen-*

Poetic. c. 20
inſt. 1. *c.* 11.

ſenſum bonorum : undè enim tantum boni ; ut omnibus, quæ recta ſunt, placeant ? Sed in loquendo, non ſi quid vitiosè multis inſederit, pro regula ſermonis accipiendum erit. Nec item id indiſcriminatim omninò : ſed inſpiciendum etiam tempus ; atque ætas attendenda, qua eruditi, quos nobis imitandos proponimus, Oratores ſunt locuti. Plura nanque decurſus advehit annorum ; rejicit plura. Undè, licèt Cicero * illud acriter reprehenderit : *Ingentes cœli fornices*: deinceps tamen, non modò id Italicis permiſſum Oratoribus; ſed licuit Juſto Lipſio * dicere : *Sub eodem cœli fornice*. Quin & ipſe Tullius * apertè oſtendit, ætate ſua nova fuiſſe, *Urbanum*, & *Favor* : quæ tamen noſtris jam ſunt temporibus maximè propria. Id verò monendum hic omninò volo : obſcœnarum rerum, aut quomodólibet fœdarum propria nomina proſcribenda ; & earum vice, quà novas ſubſtituendas voces, quà circunſcriptivas : ut grammatica puritas illibato mentis, aurium, Oratoriæque modeſtiæ cedat candori. Quid enim ajunt quidam ? nulla turpis natura vox : & ſi qua eſt rei deformitas, alio etiam nomine quocunque expoſita detegetur ? Deſipiunt, herclè, qui haſce commentantur rationes: & Oratoriæ palęſtræ audiunt imperitiſſimi. Nónne vox alia cæteris clarior, altioréſque rei figens ſpecies ? Nónne propria, ac magis intellecta nomina abſtruſis, novíſque evidentiora ? Aut minimam indicat, ingeritque auditoribus ab hujuſmodi fœditatibus averſionem ſedula verecundioris nominis inveſtigatio ? Quid tamen addam de quibuſdam gravioribus in Orationibus adhibitis æquivocis phraſibus, non negligentiæ cauſa, ſed impuræ, indignęque prurigine recreationis? Apage fœdiſſimos ſues. Porcos apage infernales. *Viderint,* qui talia non putant eſſe vitanda. Ego* Chriſtiani, imò & Oratorii, *pudoris more contentus verecundiam ſilentio vindicabo.*

de Or 3. — de Conſt. l. 1. c. 9. — ap. Quint. inſt. 8. c. 3. — Quint. inſt. 8. c. 3.

At verò Idioma, quo ſit Oratori eloquendum, nec omnibus unum; aliis nobilius; clarius aliis depoſcentibus. Mihi id requirendum videtur, quod nobilius eſt : non tamen abſolutè ; ſed inter ea, quæ ab exceptoribus intelliguntur : ſervato quoque reſpectu ad communem loquendi conſuetudinem in ea materia. Arridet enim, quod apud Fortunatianum * vir perfectiſſimus ajebat : *Verbis utendum ut num-*

Rhet. l. 3.

nummis publica moneta ſignatis. Hinc apud nos, cùm ſolos alloquimur doctos;(ut ſcholaſticis evenit in materiis) aptius eſt Latinum. Cujus incorrupti Q. Catulo primam laudem tribuit Cicero: * cùm nihil ſuis auribus jucundius accidiſſe teſtetur hujus Oratione: quæ ſic pura eſſet; ut latinè loqui penè ſolus videretur. Quin & ex ejus Oratione quidquid, aut addideris, aut mutaris, aut detraxeris, vitioſius cenſet, & deterius futurum. Cùm autem ad omnigenos auditores noſter è ſuggeſtis eſt ſermo; melius cõmune Italicũ: quod ſcilicet voces conſtituunt, non unius, quantúnvis conſpicuæ, urbis peculiares; ſed toti, vel majori ſaltèm Italiæ parti communes. Cùm verò magis populares, inſtar Miſſionum, ut dicimus, habemus Conciones; tunc ſi ejuſdem nos ſumus Idiomatis, vulgare nobis aptiſſimum; id tamen, quo ſolent meliores ex urbe familiaribus in colloquiis uti. Non enim eos laudo; qui ſervandos docent quoſcunque loci dialectos, ruſticos nimis optantes Oratores. Quòd ſi alienum nobis natura dederit Idioma; vulgare ejus loci fingere periculoſum: quod enim in optimis Idiomatibus virtuoſi eſt animi, eorum æmulari formulas; id in vulgaribus argumentum creditur levitatis. Quare potiùs intra Italiam hujuſmodi Oratoribus Italicè loquendum videtur, (idénque proportione ſervata de reliquis ſentio regionibus) ſelectis, quoad fieri poteſt, vocibus ſimilioribus iis, quas adhibere ſolent auditores. Sic in noſtra Sicilia, *Semo*, vulgare eſt; *Siamo* verò non ita; licèt utrunque ſit emendatè Italicum. Quandocunque verò vox occurret aliqua, cujus rara apud auditores intellectio, nec aliam clariorem peregrinum ſuggeret Idioma; recurrẽdũ ad voces exceptoribus familiares, quantúnvis invenuſtas; nec timor retrahat incurrendi in minùs emendatam elocutionem. Figatur mentibus altiùs, & cordi Africanæ Eloquentiæ præceptum: *Malo à Grammaticis reprehendi, quàm à Populo non intelligi.* Orator.

EXTRANEÆ voces parciùs adhibendæ; niſi eas ut proprias uſus receperit. Licèt enim iis uti, immaturo Oratori permittatur aliquando; nunquam tamen gravi; niſi ſumma ratio ſuadeat. Hinc Cicero *Allegoriam* dicere non audebat: Tyberius verò *Monopolium* dicturus, veniam petiit à Senatu. Idénque audiens, neſcio quo, in decreto, no-

men, *Emblema*; ut expungeretur clamavit: cui cùm reſpondiſſent, æquivalentem haud eſſe Latinis vocem: circunſcribatur, inquit; hanc enim advenam vocem audire penitùs nolo. Ratio tamen duplex, ob quam permitti aliquando valeant: Neceſſitas; & Modeſtia. Quandoque enim opportuna brevitas negat circunſcriptioni locum. Et nonnunquam rei fœditas, aut alio ex capite ingratitudo vocem propriā non admittit, ut diximus. Undè conciſam Inſcriptionem ſui memoriæ daturus Philippus Flavius, *Cloacam* ne diceret, *Nymphæum* dixit. Quin & argutè obſervat Varro, neceſſitate inventarum, ac modeſtiæ conformium veſtium, ac ſupellectilis nomina Latinè; vanarum verò, ac ſuperfluarum Græcè ſui temporis Romanos appellaſſe.

VETUSTA duplici ſunt in differentia. Alias nanque non adhuc omninò Vetuſtas obliteravit: & hæ, ſi tempeſtivè, ac moderatè adhibeantur, non mediocrem ingerunt cum antiquitatis auctoritate venerationem. Undè Quintiliano * teſtante: *Verba à vetuſtate repetita, non ſolùm magnos aſſertores habent; ſed & afferunt Orationi majeſtatem aliquam, non ſine delectatione: nam & antiquitatis auctoritatem habent; & quia intermiſſa ſunt, gratiam novitati ſimilem parant. Sed opus eſt modo: ut neque crebra ſint; nec manifeſta; quia nihil eſt odioſius affectatione: neque ab ultimis, & obliteratis repetita temporibus; qualia ſunt Saliorum carmina vix ſuis Sacerdotibus ſatis intellecta.* Alias autem ex Vetuſtis vocibus canities (ni decrepitatem potiùs dixerim) penitùs abolevit: quas in Orationibus adhibere, ridiculum haud auſim dicere; niſi hoc donarint epitheto Quintilianus, * & Ariſtoteles. * *Nā fuerit planè ridiculum*, inquit ille, *malle ſermonem, quo locuti ſunt homines; quàm, quo loquuntur.* Hic verò: *Ridiculum eſt eos imitari, qui ipſi non ampliùs eo dicendi genere utuntur.* Quis enim nunc non irrideret graviſſimam illam duodecim inciſam tabulis ſententiā præſcribentem, ut niſi reus judicatum faceret, nec etiam quiſpiam illi jure vindex eſſet, quiſque vinctum eum haberet, duas in dies daret farris libras, his verbis: *Ni judicatum faxit, nemut quips endo in jure vindex eſit, in jus ducito. Qui em vinctum habebit, libras farris endodie dato.* Vocum igitur, ut novarum optimæ ſunt maximè veteres; ita & veterum

inſt. 1. c. 10.
inſt. 1. c. 11.
3. Rh. c. 2.

verum maximè novę: atque rubiginoſis quibuſdam antiquariis ſuadendum, quod apud Gellium * Favoninus Philoſophus adoleſcentem aliquando monuit, qui vetuſtis non rite verbis utebatur: *Vive moribus majorum: loquere verbis præſentibus.* Noct. Attic. l. 1. c. 10.

DERIVATÆ inter Novas enumerantur: non enim de iis loquimur, quas jam uſus recepit; ſed de iis, quas ad priorum imitationem recenter Orator invenit. Has autem modò jocus ſuadet; modò Elegantia. Joco Laberius, latinitatis ſecùs amantiſſimus, ſuis in Comœdiis, *Manuatus eſt*, dixit pro, *Furatus eſt*. Et pauperem quendam ſuperbū irridens: *Homo frugi es*, inquit, *quod tibi relictum eſt, miſerimonium retinens*: pro dicendo, *Patrimonium*. Elegantia verò faciliorem utique, quàm Novis quibuslibet aliis, his præbet locum: non tamen quencunque; ſed moderatum. Curandum tamen, ne obſcuræ evadant derivationes. Cautum verò erit obſcuritati, ſi ex vocibus uſitatis deducentur; iiſque in deducendis conſuetę eodem in genere Derivationes erunt exemplo. Ex primæ quidem hujus legis transgreſſione peccaturum credit Quintilianus; * qui diceret, *Tuburchiabundum*, & *Luburchiabundum*, à *Luburco*, quod eſt *cum aviditate deglutio*; & *Tuburcinor*, quod eſt *raptim comedo*; licèt ad ſimilitudinem vocis *Gloriabundus* eſſe efformatæ. Ex ſecundæ verò inobſervantia Siſennam irriſit * Cajus Rufius. Cùm enim extenuare ille cupiens adverſantis hujus accuſationem dixiſſet: *Sputatilica quædam ſunt hujus crimina*: exclamavit lepidè Rufius: *Circumvenior, Judices, niſi ſubvenitis. Siſenna, quid dicas, neſcio: metuo inſidias. Sputatilica! quid eſt hoc? Sputa quid ſit, ſcio:* (& affectatè hìc expuit) *Tilica, neſcio*. Quibus maximos fori riſus excitavit. Inſt. 1. c. 10. Cic. Brut.

COMPOSITÆ voces mihi diſtinguendæ videntur in eas, quę ex aliqua prępoſitione conſurgunt, & alia quabet voce; atque eas, quæ ex aliis vocibus coaleſcunt. Quæ prioris ſunt generis latiorem cæteris Novis omnibus locum obtinent. Nam *ſolent homines* (ut Ariſtoteles * notat) *vulgò junctis uti nominibus, cùm alicui rei nomen non eſt impoſitum, & eſt facilis compoſitio: ſi tamen frequentiùs id fiat, erit omninò poeticum*. Sunt enim ſonoræ, ac grandes 3. Rh. 5.

Compoſitæ voces: undè *Expectorare ex animo ſapientiam* placuit Tullio. Sed facilè nimio turgiditatis, affectationiſque vitio poſſunt in frigidas degenerare. Quæ verò poſterioris ſunt generis, nobis vix ſemel, aut iterum, neceſſitate cogente, ſunt adhibenda: ut, cùm affectum aliquem vehementiorem oportet exprimere. Undè ab Ariſtotele* frigida vocantur illa Alcidamantis *faciem* vocantis *Ignivomam*: *Finiferentem Orationem*: *Cerulicolorem maris planitiem* &c. Et tamen Græcis familiaris eſt magis, quàm nobis nominum compoſitio: ut diligenter obſervat * Quintilianus. Cùm verò ritè componuntur voces, ne longæ evadant, aut aſperæ præter dignitatem; ſed uſitatas aliarum compoſitiones, quoad fieri licet, imitentur: ut ſi ad ſimilitudinem vocis *ſubobſcurum* cum Cicerone * dicas *Subabſurdum*.

ibid.

inſt. 1. c. 5.

2. de Orat.

FICTÆ voces græca appellatione ONOMATOPOEJÆ communiter; Nominationes ab auctore ad Herennium * latinè nuncupantur. Sunt autem voces imitatione ſoni alicujus articulatæ ad ſonum ipſum exprimendum: ut apud Ovidium:

lib. 4.

Dum Turdus trutilat; Sturnus dum piſitat ore.

Undè Græciam Septentrionales quoſdam ingreſſos populos proferentes cùm audirent non ſine diſplicentia Græci vocē illam, *Bar, Bar*, nomen ex ea finxere, quod latinè dicimus *Barbariſmus*. Et ex *Va, Va*, puerorum voce, non ſolùm ortum apud nos habuit nomen *Vava*, quo ſe ipſos ſolent ipſimet pueri vocare: verùm &, *Vagitus*, deductus eſt; atque ex eo *Vaticanus*, Numen à Romana ſuperſtitione pueris aſſignatum. Hujuſmodi autem Nominationibus, niſi conſuetudo dederit facultatem, rariſſimè utendum; ne frequentiores nauſeam parturiant. Imò (ſi Quintilianum * audiamus) *Nova non ſine periculo quodam fingimus: nam ſi recepta ſunt, modicam laudem afferunt Oratori; repudiata etiam in jocos exeunt. Minimè verò nobis eſt conceſſa Onomatopœja. Jam, ne Balare quidem, aut Hinnire fortiter diceremus; niſi judicio vetuſtatis niterentur.* Revera tamen aliquātò videtur indulgentiùs ſentiendum: ut ſemel, iterúmve ſummo cogente Orationis commodo, talibus utamur. Tunc enim maximè valet, quod ipſemet de Novis universè prędixerat citato in loco: *Audendum namque (ut Cicero ait*

inſt. 1. c. 5.

etiam, quæ primò dura viſa ſunt, uſu molliuntur.

TRANSLATÆ græco nomine TROPI vocantur: & ab aliquibus etiam univerſali voce Metaphoræ. Reverà tamen eſt Metaphora ſpecies altera Translationum; non tamen omnis. In quo autem Tropi à figuris differant; multiplicem habet, & (ut Quintilianus * loquitur) *Scrupuloſam* diſputationem: nec omnibus æquè notum. Sunt enim, qui & Tropis Figuræ nomen imponunt. Cujus rei cauſa videtur eſſe convenientia eorum generica: qua uterque dicendi modus à ſimplici loquendi, communique uſu cum aliqua virtute deflectit: cùm tamen ex alia parte tenuiſſimo differentiæ limite dividantur. Undè & Ironiam nonnulli Tropum faciunt: & aliter alii figuras numerant. Sed verè differunt: quia in Tropis ponuntur ſemper aliæ voces pro aliis; ut mox dicetur: figuræ verò propriis fieri poſſunt verbis; licèt aliquando, immixta utriuſque artis virtute, fiant & Translatis: *Tam enim * Translatis verbis, quàm propriis figuratur Oratio*. Sunt verò Translatarum ſpecies vocum, Synecdoche, Metonymia, Catachreſis, Antonomaſia, Antiphraſis, Metalepſis, & omnium famoſiſſima Metaphora. Quarum omnium ſors ea: ut, quemadmodum * veſtis frigoris depellendi cauſa reperta eſt primò; poſt adhiberi quoque cœpit ad corporis ornatum: ita verbi Translatio inſtituta ſit inopiæ cauſa; frequentata verò delectationis. Neceſſitas enim id expoſcebat; ut, cùm haud raro nominibus nonnulla ſuis careant; vel abſonis, turpibúſque vocibus nominentur; recurreretur ad aliena. Quare * neceſſitate *Durum, & Aſperum hominem* dicimus. Delectationi verò nō mediocriter inſerviunt. *Omnes enim * Translatis, & alienis magis delectantur verbis; quàm propriis, & ſuis: quòd ingenii ſpecimen quoddam ſit tranſilire ante pedes poſita; & alia longè repetita ſumere: vel quòd is, qui audit, aliò ducitur cogitatione; non aberrans tamen; quæ maxima eſt delectatio.* Jucunditatem enim eò majorem percipit auditor, quò plures è rebus accipit notiones: in quo Translatæ ſupra cæteras omnes excellunt voces. Nam Peregrinæ nobis ignotæ; Propriæ verò ſatis jam cognitæ: ſed Translatæ id efficiunt; ut & vetuſtatem, cum applicationis novitate conjungant; & rei, de qua dicuntur, ejúſque, undè ſumuntur, convenientiæ nō

Inſt. 9. c. 1.
Quint. inſt. 9. c. 1.
Cic. 3. Orat.
Quint. inſt. 8. c. 6.
Cic. 3. Orat.

ſolùm excitent cognitionem; verùm & notitiam ingerant ejus, in qua utraque conveniret res, qualitatis. Ut autem ſingulas attentiùs inſpiciamus Troporum ſpecies.

lib.4. SYNECDOCHE auctori ad Herennium * Intellectio: aliis exactiori Etymologia dicitur Comprehenſio. Eſt Translatio partis ad totum;vel totius ad partem ſignificandam. Quia verò,ex dictis in Topicis,plura ſunt partium genera; ideò plura Translationis hujus exempla. Quorum ut aliquot afferamus. Ab Integrali parte transfert ad totum

Philip.2. * Cicero: *O tecta miſera!* (ſcilicet domus miſerę) *quàm diſpari domino tenebantur?* A toto ad Integralem partem transferens, cujuſdam vatis carmina vocavit Martialis *Poemata ſcombris donanda*: apta ſcilicet, quibus involveretur

Oſea 4.v.10. garum ex inteſtinis ſcombricis ſale maceratis confectum. Ab eſſentiali ea parte, quę eſt Materia, ad totum: * *Populus meus in ligno ſuo (*ideſt in idolo ligneo*) interrogavit; & baculus ejus annunciavit ei*. A Forma (quę eſſentialis altera

Gen.14.v.21. pars eſt) ad idem totum: * *Da mihi animas:*(ſcilicet animalia) *cætera tolle tibi.* Ab uno ad plura: * *Romanus prælio victor.* A pluribus ad unum, cùm de ſe tantùm loqueretur,

Cic. apud Quinct. inſt. 8.c.6. ad Brutum: ait * Cicero: *Populo impoſuimus*,&c. Hęc autem omnia; & ſiquę ſunt ejus generis alia; teſte * Quintiliano: *Liberiora poetis, quàm Oratoribus* ſunt.

inſt,8.c.6. Herenn.4. METONYMIA, latinè Tràsnominatio;eſt,* quę à propinquis,& finitimis rebus vocem mutuatur;ut id ſignificet, quod, earum cùm neque pars ſit, neque totum, iis tamen connectitur. Ejus plura genera, & exempla, juxtà circunſtantiarum prętertim varietatem. A cauſa igitur ad effectū

Cic. pro Marcello. fit Translatio * ſic: *Quos amiſimus cives, eos Martis* (belli ſcilicet, cujus inventor Mars) *vis perculit*. Ab Effectu ad

Gen.3.v.19 cauſam: * *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo*: ſcilicet in labore, à quo ſudor. Quibus addunt aliqui * cauſas Materialem, atque Formalem; de quibus jam, cùm de Synecdoche, magis propriè dictum eſt. A Loco ad rem in eo con-

Cic.1.Orat. tentam * ſic: *Atque, ut omittam Græciam*, (ideſt Gręcos ibi degentes) *quæ ſemper Eloquentiæ princeps eſſe voluit*. Ab

Gerenn.4. Inſtrumento ad ejus principale:* *Non tam citò ſariſſæ* (Macedones nempè copię ſariſſis pugnantes) *Græcia potitæ*

Jo.17.v.3. *ſunt*. A fine ad media: * *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant*

te

te verum Deum: putà via ad æternam conducens vitam. A re, quæ fit in tempore, ad tempus ipſum: * *Ficus protulit groſſos ſuos*: appropinquat ſcilicet æſtas. A ſigno ad rem ſignificatam ex Cicerone: * *Cedant arma Togæ*. Et ſic de reliquis.

Cantic.2.v.13.
lib.temp. ſuor.

CATACHRESIS, ſeu Abuſio; eſt, qua ex duob' affinibus, & ſub eodem genere poſitis, nomen unius alteri tribuimus omittentes proprium, quod habet, vel habere poſſet derivatione conſimili; idque modeſtiæ, neceſſitatis, aut elegantiæ cauſa. Sic; *Vires hominis breves ſunt*; inquit auctor ad Herennium, * *Tenues* dicere cùm potuerit. Sic etiam Neronem Parricidam potiùs, quàm Matricidam dicimus apud * Quintilianum. Et Cicero * libidinoſam familiaritatem liberam appellavit ſalutationem inquiens: *Adulterum ego putarem, ſiquis hanc paulò liberiùs ſalutaſſet*. Qui Tropus à Metaphora differt inferiùs explicanda: quòd hæc, licèt ſpeciei alterius nomen alteri tribuat ob utriuſque convenientiam; duobus tamen minimùm verbis rem agit; quorum alterum proprium, translatum alterum invicem uniuntur: Catachreſis verò unico rem abſolvit verbo; & nomine abutitur nullam adhibens connexionem.

lib.4.
inſt.8.c.6.
pro Cælio.

ANTONOMASIA latiùs, quàm par videatur, ſolet explicari pro voce quapiam extraneo nomine quid ſignificante. Id etenim commune cunctis eſt Tropis. Undè in adducendis exemplis ea numerant: quibus, & * *Everſor Carthaginis* Scipio; & * Gracchi *Africani nepotes* appellantur: quæ ad translationem attinent ex effectu ad cauſam, vel è contrà. Meliùs igitur cum Areſio * Antonomaſiam vocabimus; qua commune nomen excellentiæ titulo alicui tribuitur loco nominis proprii: ut cùm *Apoſtolum* D.Paulum appellamus. Idque, ſive ex geſtis; ut in adducto nunc exēplo: ſive aliundè eruimus; ut in eo, quod de Gracchis attulimus. Aliam addit Areſius ſpeciem; qua ejus, qui excelluit, nomen loco vocis cōmunis aptamus alteri, qui in ea re notæ ſit non mediocris: ut cùm de Sapiente viro ſermonē inſtituentes, *Salomonem hunc*, dicimus. Quo etiam ex capite; eoquòd Roſcius eximius fuerit hiſtrio, ut nemo ſuprà; excellens quiſquam in ſuo quocunque genere *Roſcius* nominatur. Hoc tamen haud ſequor. Puto nanque, Metapho-

Verani Path.l.7.exp.6
Herenn.4.
Art.pred.l.3.c.14.

ram hæc ſapere fundatam in ſimilitudine, vel proportione, Roſcium inter, eúnque, tali qui appellatur nomine; ac inter Salomonem, & eum, qui pronomine *hunc* annexo deſignatur. Quod & ipſemet,* cùm de Metaphora, confitetur.

Ant. præd. l. 3. c. 10.

METALEPSIS; alio nomine Tranſumptio; in omnium Tranſlationum meſſem, nec excepta Metaphora, ſuam verſat falcem: ab omnibus tamen in eo diſſimilis; quòd, cùm aliæ ex immediata re nomen transferant, ea longiùs id repetit; ut, ſi ad originem pervenire cupias, pluribus ſit tibi greſſibus incedendum. Tale illud eſt: *

ap. Areſ. ibid. c. 14.

Me quater undenos ſciat impleviſſe Decembres:

ſcilicet annos quadraginta quatuor; quorum totidem hyemes partes ſunt, totidem & ipſæ Decembribus conſtitutæ: quod ad Synecdochem pertinet. Tale etiam vulgare illud:

Poſt aliquot mea regna videns mirabor ariſtas:

annos putà poſt aliquos; quorum partes æſtates; & his connexæ tempore ſegetes pluribus coaleſcentes ariſtis: quod ad Metonymiam ſimul attinet, & Synecdochem. Qui tamen Tropus, ut monet * Quintilianus: *Et rariſſimus; & maximè* Oratoribus *improprius*.

inſt. 8. c. 6.

ANTIPHRASIS exciderat calamo; huic eapropter annectenda loco. Ejus eſt oppoſiti vocẽ pro oppoſito denotãdo aſſumere. Undè illud Job: * *Niſi in faciem benedixerit tibi*: dictum prò *Maledixerit* ſacri putant expoſitores. Hæc autem Tranſlatio differt ab Ironia: quæ deriſum addit uſui vocis oppoſitæ; ut veluti nomen primò velit in ſenſu acceptum proprio; ex quo deinde ad oppoſitum fiat tranſitus: Antiphraſis verò non ita.

1. v. 11.

METAPHORA, prout à ſupradictis omnibus differt Tropis, alienam proprio nomini vocem, ceu propriam, maritat: ut cùm dicitur *Pratum ridens*: prato nanque conjungitur riſus pro amœnitate. Fundatur omnis in convenientia; qua res, ex qua vox aſſumitur, & ea, cui applicatur, congruunt; atque unius ſignum alteri competit. Quæ vel ſimilitudinis eſt convenientia: vel proportionis: aut alia; juxtà poſtremum determinans motivum, quare ex convenientibus unum eligatur præ altero. Sic ob ſimilitudinem aſtus de Herode dicitur: * *Dicite vulpi illi, &c.* Et à Cicerone vocatur Enthymema *Orationis Sanguis*; eoquòd propor-

Luc. 13. v. 32

tio-

tionatè id conferat vitæ, ac roboris Orationi Enthymema; quod ſanguis corpori. Hinc, licèt ob ſimilitudinem in figura Clypeus *Martis phiala* dicatur; ponitur hæc tamen ab Ariſtotele * inter Metaphoras in proportione fundatas. 3. Rh. 13.
Et quidem rectè: proportio nanque inter phialam reſpectu vini, quo gaudet Baccus, ac ſcutum reſpectu ſanguinis inimici, quo Mars delectatur, eſt cauſa, cur phiala potiùs, quàm aliud quodlibet dicatur rotundum.

Eſt verò multiplex Metaphora. Primò nanque Mutua eſt alia: ut cùm dicitur Ver *Iuventus anni*; & Iuventus *Humana vita Ver* appellatur. Alia non mutua; atque ex altera tantùm parte valens notitiam plurium ingerere nominis ſcilicet denotare ſignificatum proprium, & alienum: undè benè Epiſcopus *Paſtor* dicitur; malè verò paſtor *Epiſcopus* nuncupatur. Secundò per Affirmationem alia: ut in omnibus adhuc datis exemplis. Alia per Negationē: putà (ut Ariſtoteles * loquitur) *cùm nominaverimus alienum quidpiā, aliquid ejus proprium ab eo removentes: ut ſiquis appellare volens phialam dixerit ſcutum; non Martis; ſed Bacchi.* Tertiò vel in una conſiſtit omnis Translatio voce: vel in pluribus: imò & in integra cujuſvis generis propoſitione. Hinc Fabius Maximus, quòd literis ineptus, *Ovicula* nuncupatus. Hinc Sol ab Ariſtotele * *Sator lucem diſſeminans*; & *divinus ignis* eſt dictus. Hinc demum annexa Antitheſi Mulier arguta definitur Metaphora *Terræ naufragium*: & Paupertas *Felix miſeria*. ibid. Poet. 20.

Virtutes porrò, quas exigit Metaphora, quinque valent enumerari: Brevitas; Novitas; Claritas; Aptitudo; & Vivacitas. Brevis erit, ſi, quò fas erit, paucis continebitur vocibus: undè & major fit diſciplinatio: ut cùm ſimplici verbo dicimus *ridere prata*. Quiſquis enim breviùs loquitur, eadem Orationis menſura plùs docet; quàm is, qui Aſiaticè protrahit Orationem. Quare cæteris gratiores ſunt figuris Brevitates, & Laconiſmi.

Nova, evadet, ſi ex iis, quæ minùs in uſu ſunt, eruetur nomen: quod maximum eſt ad iucunditatem ornamentum. *Admirationem* ſiquidem, Stagirita * docente, *parit novitas: admirabile autem omne jucundum eſt*. Non tamen adeò ſit recondita; ut, inſtar Ænigmatis, à nemine ferè intelligatur. 3. Rhet.

Digitized by Google

3.de Orat. Clara itaque ſimul erit: quippe quæ ex Tullio, * ut cla-
3.Rh.2. rior res fiat adhibetur; & ex Ariſtotele * dilucidum, ac ju-
3.Rh.10. cundum maximè affert. Præſertim quia * Translationibus
4. Doctr. frigiditas fit, ſi obſcuræ ſunt. *Quid enim* (inquit * Auguſti-
Chr.c.2. nus) *prodeſt clavis aurea, ſi aperire, quod volumus, non po-
teſt: aut, quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt: quando nihil quæri-
mus, niſi aperire, quod clauſum eſt?* Obſcura autem erit ex
3.de Orat. Cicerone, * ſi longè repetetur convenientia: ut ſi *Carybdim
bonorum* dices pro voragine. Obſcura quoque, ſi ad indi-
viduorum nomina deſcendetur: niſi enim fama reddiderit
ibid. nota; faciliùs (inquit * Tullius) ad ea, quæ viſa ſunt, quàm
ad ea, quæ audita, mentis oculi feruntur; cùm tamen Ora-
tori omnibus communi idiomate ſit loquendum. Undè
malè diceres *Patrimonii ſyrtim* pro ſcopulo. Obſcura pari-
ter, ſi diſparatis pluribus implicabitur eadem periodus.
Æneid.7. Quamvis enim duplex illa diſtincta * Metaphora, *Ferrum-
inſt. 8.c.6. que armare veneno*, commendetur à Fabio; * eoquòd arma-
re ferrum, & veneno armare duplex translatio eſt: & plu-
1. Corinth. res; ſeu etiam diſtinctè congeſſerit * Apoſtolus dicens: *Quis
9.v.7. militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de
fructu ejus non comedit? &c.* plures tamen non abſolutis ſen-
ſibus agglutinare Ænigma reddit potiùs, quàm Metapho-
3.Rh.4. ram. Quale apud Ariſtotelem * eſt illud de medicis cucur-
bitulis ex ęre in humani formam cranii ante vitri uſum ela-
boratis: *Virum vidi igne æs viro agglutinantem*. Sed ta-
men tale non eſt famoſum Italis illud: *Sudate ò fuochi in la-
vorar metalli*: quod diffamant nonnulli. Siquidem, di-
ctis non obſtantibus, tranſitus is permittitur, ubi alteram
ex metaphoricis vocibus ut propriam recepit uſus: qui jam
Sudorem pro quolibet labore admittit.

Apta quoque erit, ſi & Oratorem decebit; & voci, cui
annectetur, congruet; & nominis ſignificationi, ad quam
transferetur, inſpectâ rei convenientiâ, cui aptabitur. Dece-
bit verò Oratorem, primùm, ſi non fœda erit: ut ſi cũ vetere
inſt.10.c.6. quodam Oratore à Quintiliano * ob id reprehenſo diceres:
Perſecuiſti Reſpublicæ vomicas; fœditatem hominum ſignifi-
cans: licèt recepta jam voce, & conſequenter non ampliùs
eam ingerente fœditatem, eoſdem appellaverit Cicero *Rei-
publicæ ſentinam*. Deinde præſertim ſi non caſtitatem ob-
umbra-

umbrabit, aut modeſtiam. Quare inquit * Cicero: *Nolo morte Africani dici caſtratam Rempublicam: nolo ſtercus Curiæ dici Glauciam. Quamvis enim ſit ſimile: tamen eſt in utroque deformis cogitatio ſimilis.* Et Rhetor ait * Seneca: *Longè recedendum ab omni obſcœnitate; & verborum; & ſenſuum. Quædam ſatius eſt cauſæ detrimento tacere; quàm verecundiæ dicere.* Undè & Dei Verbum, cùm humana voluerit loqui lingua, hebræam ſelegit; quæ ob ſummam ſui modeſtiam, ut Serarius * notat, dicitur Lingua Sancta. Voci congruet, cui annectetur, ſi inter eas erit aliqua habitudo. Quare malè vocatus Varro fuit *Literarum porcus*: quanvis aptè Lutherus *Viliſſimus Circis porcus* fuerit appellatus. Id tamen intelligendum; niſi quis joco diſparata conjungeret: ut cùm Mercurius introducitur Soſiæ lumen oſſeę laternę incluſum circumferenti dicens: *Quò ambulas tu; qui Vulcanum in cornu concluſum geris?* Rebus denique cōſentiet; ſi quot ſunt decori ſpecies; tot erunt & Metaphoræ differentię. Quæ proinde, ſi laudare intendes, à prę́ſtantiſſimis ducetur in eo genere: ut cùm Seneca ſupremum Cœlum *Templum æthereum* dixit. Si vituperare; vel accuſare placebit, à deterioribus: ut cùm à Conſule dictus eſt Catilina *Peſtis patriæ, Monſtrum, & Prodigium Urbis*. Si excuſare, à mitioribus: ut cùm latrones ſeipſos *Acquiſitores* vocant. Conſentiet quoque, ſi exactam ſervabit ſimilitudinem, aliámve convenientiam, in qua fundabitur: ut cùm Laberius impudicam vetulam, & querulam *Grugnientem Scropham* appellavit. Quare meliùs *Roſeam* dicimus Auroram; quàm *Rubeam*. Et ceu inſufficiens reprehenditur illud Homeri:

Circùm autem clangor magni exauditus Olympi.

Nulla ſiquidem clangentis tubæ ad univerſum reſonans cœlum proportio. Indè audaces quaſdam Metaphoras non admittit; ſed patitur aliquando (nec ſemper) Quintilianus * à quo ſolùm, *magis conciliatis animis; & jam calentibus, hæc libertas feretur*. Conſentiet demum ſi non erit Orationis generi impropria: non enim amat cauſa ſummi momenti, aut nimis refertas, aut inſolitas nimis Metaphoras. Undè teſtabatur * Quintilianus, ſe in agendo, neque *Paſtorem populi* cum Homero; * neque, *Volucres remigare pennis*, cum Virgilio * dicturum. Cùm verò durior quæcunque

3. de Oratore. — l. 1. Cõtrov. 2. — l. 3. Tribæref. c. 4. — inſt. 4. c. 1. — inſt. 8. c. 6. — Iliad. 1. — Georg. 4.

que ex capite videbitur Metaphora, leniri poterit aliqua expoſitiva additione. Undè hominem, non mundum abſolutè dicimus; ſed *Parvum mundum*. Et ex Tullio,* mortuo Catone, non pupillum; ſed, *ut ita dicam, pupillum* mitiùs dicimus Senatum. *Etenim verecunda debet eſſe Tranſlatio: ut deducta eſſe in alienum locum; non irruiſſe: atque ut precariò; non vi veniſſe videatur.*

3. Orat.

Vivax denique erit, ſi Hyperboli commiſcebitur, aut Hypotypoſi: quod inter cætera majoris eſt pretii genus. Miſcebitur autem, ſi voces Metaphoricæ plus aliquid, quàm propriæ explicabunt. Vivacius enim eſt dicere *Diluvium lachrymarum*: quàm *pluviam*: & Ariſtoteli vivacius eſt dicere, *Græcia clamat*; quàm *loquitur*. Undè vivaciſſimum eſt Ciceronis * illud: *Tandem aliquando, Quirites, Lucium Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, &c.* Miſcebitur etiam ſi rem oculis velut objiciet; & vivioribus depinget coloribus; juxtà modos ſuperiùs traditos repræſentandi: quæcunque enim propriis exprimi poſſunt verbis, poſſunt & Metaphoricis: undè conſtans vir ab Ariſtotele * dicitur *Homo quadratus*. Miſcebitur inſuper, ſi actum, motúmque rei dabit mortuæ, vel immotæ. Undè vivacius eſſet, qui conſtans eſt, eum appellare *Luctantem cum adverſitatibus animum*. Et Virgilius inquit: *Pontem indignatus Araxes*. Socrates quoque apud Ariſtotelem * Græciæ luctum expreſſurus pro ſuis Salaminæ mortuis civibus; eam dixit comam ſupra ſuorum civium abſcidiſſe ſepulchrum. Ac demum omnium vivaciſſimè iratus Deus hæc minatur: *Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus devorabit carnes.*

in Catil. 2.

3. Rh. 15.

ibid.

Deutor. 32. v. 42.

ALLEGORIA locum hìc obtinet in nullo differens à Metaphora; niſi quòd circunſtantias rei, de qua eſt ſermo, proſequitur vocibus appellare deſumptis ex ejus rei circunſtantiis, ex qua principalis Metaphora fuerat tranſlata; & ſingulos locos ex locis correſpondentibus ſumit. Undè vocari ſolet Metaphora continuata: eaſdémque ſequitur (ut notat * Emmanuel Theſaurus) leges, ac diviſiones; quas & Metaphora. Exemplum duplex in promptu. Alterum ex Cicerone: * *Nec tuas unquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sexti Titii afflictam navem, & in quibus Ca-*

Cannoch. Ariſt. c. 8.

pro C. Rabir.

ſum Decium naufragum videres. Ex ſacris paginis * alterum: *Iſ.22.v.22.*
Dabo clavem David ſuper humerum ejus : & aperiet ; & non
erit , qui claudat: & claudet; & non erit , qui aperiat . Eſt ita-
que Allegoria præcipua Metaphoræ virtus : ac fortè bonam
omnem comprehendit Metaphoram : niſi eam velimus Al-
legoriam vocare ; quæ totam , aut majorem Orationis oc-
cupat partem . *Nam id quoque* (de Translationibus hujuſ-
modi Quintiliano * monente *) eſt in primis cuſtodiendum; ut* *inſt.8.c.6.*
quo ex genere cœperis translationis , hoc deſinas . Multi enim,
cùm initium à tempeſtate ſumpſerunt ; incendio , aut ruina
finiunt : quæ eſt inconſequentia rerum fœdiſſima . Cavendum
tamen , ne ſcrupuloſa continuationis ſolertia minutiſſima
quæque proſequamur. Nam , quod ſpeculentur , aliquid eſt
auditoribus relinquendum: qui * cùm intellexerint , ſuo a- *Quint.inſt.*
cumine delectantur, & gaudent ; non quaſi audiverint ; ſed *4 c.2.*
quaſi invenerint . Quod & de obſcuro Prophetarum ſermo-
ne Divus notavit Auguſtinus: *ex quo myſteria *Commen-* *Contra Mendac.c.10.*
dantur magis ; ut quaſi ſubtracta deſiderentur ardentiùs ; &
inveniantur deſiderata jucundiùs.

EPITHETA; quæ à Quintiliano Appoſita; à Cicerone
verò , aliiſque Adjecta, vel Adjuncta vocantur; poſtremum
hunc petunt locum . Sunt enim Propriis vocibus , Transla-
tiſque communia: cùm ex utriſque valeant lexicis educi; ut
fuſiùs explicat * Emmanuel Theſaurus . Eſt autem Epithe- *Cannoch.*
tum ex ſui latiore ſignificatione Nomen affirmans , vel ne- *Ariſt.c.7.*
gans aliquid de ſubjecto per modum adjuncti ejus nomini
ſuſtantivo. Quibus non adiectiva modò nomina comprehē-
duntur; ut cùm dicitur *Pallida mors* : verùm & appoſita
quædam ſuſtantiva plures haud rarò trahentia partes orati-
onis; ut cùm * dicitur : *Cùm Chriſtus apparuerit vita veſtra,* *ad Coloſſenſ.*
&c. Triplicis ea ſunt generis: diſcretiva; naturalia ; & or- *3.v.4.*
nativa . Diſcretiva ad diſtinctionem ab aliis , quibus idem
eſt ſuſtantivum nomen , appoſita : ut : *Paulus Apoſtolus* .
Naturalia ; quæ ſingularem aliquam rei prærogativam ex-
ponunt: ut *Virginis* titulus communiter Sanctiſſimo Mariæ
nomini adjunctum : *Quis enim* ; (ut Epiphanius * inquit *)* *ap. Veran.*
aut quo ſæculo auſus eſt quiſpiam proferre nomen Sanctiſſimæ *Panth.l.7.*
Mariæ ; & interrogatus non ſtatim intulit Virginis vocē? Or- *c.16.*
nativa denique ſunt,de quibus hic præſertim : de reliquis e-
nim

nim leges neceſſitas ſufficienter ſanxit; aut communiter accepta conſuetudo. Uſus itaque Ornatium exigit Epithetorum, ne vel impertinentia ſint; vel otioſa; vel nimis crebra; vel indecora. Primum monet, ut eam innuant qualitatem; ratione cujus ſuſtantivo nomini reliqua in ea periodo contenta tribuuntur. Undè non benè me dicerem *Splēdenti aduſtum Sole*; ſed *flagranti*. Secundum innuit, debere Epithetum plus aliquid addere ſuſtantivo; eam ſcilicet exprimendo qualitatem; quam ſolo ſuſtantivo nomine audito, ſubjecto eam ineſſe, non illicò noſcitur. In quo, ex * Fabio, Poetæ ab Oratoribus differunt: quòd illis ſit ſatis, ſi Epitheta conveniant rei, cui tribuuntur; & *dentes albos*, & *humida vina*, & *lac album* in iis cùm Ariſtotele * non reprehendamus: quæ tamen in Oratione ſoluta ſunt vitioſa. Non verò ſic *Calidas lachrymas* appellare, & ejuſmodi cætera: quæ licèt non addant; ſpeciali tamen indicio qualitatem notant ad evidentiam. Tertium vetat affectatam Epithetorum frequentiam. Cujus vitio frigiditatis * arguitur Alcidamas; quaſi iis, non ut condimentis; ſed ut cibis fuerit uſus: adeò crebra conſueverat uſurpare. Quartum denique, ne Oratoris præjudicent gravitati, cavet. Undè irridetur ab Ariſtotele * Cleophontis illud: *O venerandi ficus!* Quid enim vilius ſaperet Paraſitus?

inſt.8.c.6. *3.Rh.5.* *ibid.* *3.Rh.7.*

RUDIMENTUM III.
De Dignitate, ſeu vario dicendi Stylo.

SApientiſſimus Naturæ Parens ex infinitis, quas poterat, ſenſibilium formarum ſpeciebus perpaucas eligens, & has magnitudine minimis inhærentes materię partibus, innumeras penè in compoſitorum formas varia commiſtione diſtinxit. Idémque eam præbuit Eloquentiæ vim; qua paucis hactenus enumeratis Orationum formulis, ac menſuris multiplicia dicendi creet genera; tótque ſtylos, quot earum ſunt variæ combinationes. Indè ex iis, quibus ſuper alias abundat Oratio virtutibus, varia ſortitur nomina: ut ex affectuum crebra excitatione Pathethica: ex figuris contendentibus Contentioſa: ex utriſque ſimul, & vocum tranſlatione Figurata: ex horum omnium inopia Plana:

na: ex quantitate varia Periodica, vel Conciſa: ex vocum redundantia, vel Parſimonia Aſiatica, vel Laconica: ex eruditionibus, ſententiis, vel argutiis Erudita, Sententioſa, vel Arguta: atque ex aliis pluribus capitibus non paucis aliis titulis nuncupetur. Quæ verò (ut in aliis quoque præceptis auctores monent) pro rei, ac perſonarum Dignitate multiplices ex his induit formas; Coloratam hanc ſolam, Aptam, atque Decoram vocaverim Orationem. Quo dicendi genere omnibus unum ſuis præcelluiſſe Homerum putat Quintilianus * ſingulis etiam prædictis virtutibus eximios proponens auctores in exemplum. Ex quo etiam à Craſſo commendatur Antonius * in orando vehemens, commotus, præmunitus; & ex omni parte cauſæ ſeptus, acer, acutus, enucleatus; atq; in unaquaque re cōmorans, honeſtè cedens, acritérque inſequens, terrens, ſupplicans, ſumma Orationis varietate, nulláque aurium ſatietate. Eóque tanto plauſu ſeneſcentibus annis uſus eſt in Antonium Cicero: ut, & nomē Divini Oratoris fuerit adeptus, & dolere, tūc ſibi eloquendi tempus ademptum, cùm benè inciperet eloqui, fateretur. Et quidem hominibus grata varietas: tùm quia * mutabilitati conformis humanæ: tùm quia, * vel quod melius eſt, affert varietas; vel, ſi quod pejus, (non enim quiſque ex omni parte beatus) hoc ipſum lenit animum, id tale citiùs à varietate auferendū. Itaque, ut grata ſit Oratio Achatem lapillum imitetur; croceum, nigrum, rubentem, cinereum, viridem, cæruleum, varium; quà vireſcentem in prata; quà diſtinctum in flores; quà diffuſum in fluvios; quà in ignes ardentem: tótque objectorum diverſas formas mirabili naturę laſcivientis ludo referentē; tot exhibentem varias colorum ſpecies; ut unum eſſe lapidem minimè credas. Habeat proinde pro circunſtantiarum differentia Platonis majeſtatem; ſuavitatem Iſocratis; Demoſthenis vim; Lyſiæ ſubtilitatem; venuſtatem Hyperidis; elegantiam Theophraſti. Mithridaticum illud repræſentet: de quo ſcribit Plinius: *Mithridaticum antidotū ceu rebus quinquaginta quatuor componebatur, interim nullo pondere æquali*. Eſt etenim ordo, & harmonia parium, impariúnque diſpoſitio: undè & Timantis arte proportio ſingularum partium Cyclopem parva ſic in tabella expreſſit; ut ejus

inſt. 10. *c.* 1.

3. *de Orat.*

Ariſt. 7. *Eth.*

Ariſt. 1. *Rh.* 11.

magnitudinem, tuis vix oculis credens menſuraſſes. Accedit his omnibus ad Styli non parùm inducens varietatem,
*Ariſt.*1.*Rh.* 11, quòd ſatietatem quandam generat, & faſtidium quodcunque ſemper eodem ſe habet modo; & in pluribus vitium reddit uniformitas. Cùm enim & ipſum bonum, (ut
inſt 8.*c.*5. notat* Quintilianus) ſi ſemper idem, faſtidiamus: & aſſuetis animis non fiat paſſio: & pictura, in qua nihil circunlitum umbræ eſt, non emineat: & ſine intervallis conſitæ debitum haud reddant arbores fructum: nec pariter Orationis lumina apparent, ubi tota fulget; non ſecùs, ac in ſole ſidera cerni deſinunt. *Ego verò hæc lumina Orationis velut oculos quoſdam eſſe eloquentiæ credo: ſed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne cætera membra ſuum officium perdant.*

*Ariſt.*3.*Rh.* 14. Eſt* ergo in unoquoq; genere propria locutio: neque eadē eſt, qua ſcribimus aliquid; & qua in contentionibus utimur. Imò & in ejuſdem Orationis partibus varietatem exigit dicendi Dignitas: & pro eorum, qui dicunt, aut dicere finguntur, ætate, ſexu, gradu, munere, qualitate, variandus eſt Stylus. Pueri levioribus adhærent ſententiis, frivolis argumentis, fabellis, nugis, translationibus nimiis: tinnitum compoſitionis, amphibologias, æquivocas, ac ſimiles voces anhelant: atque excurſionibus facilè diſtrahuntur. Adoleſcentes pugnaces in orando ſunt; iidénque nimiùm ornati: erecti, audacéſque, calor ubi fervet cauſæ: delicioſi tamen, molles, delicatuli, laſcivientes, amœnos ubi locos ingrediuntur: timidi in cæteris, meticuloſi, ad vitium uſque circunſpecti. Viri nervum poſſident Artis: in argumentis ſolidi: in circuitu media libertate ſolutiores: in translationibus parci: rari in ſchematum uſu: in vocum electione proprii, atque perſpicui: in omni demum Orationis textura graves. Senes mite, preſſum, ſimplex, vetuſtis compoſitum vocibus, (ut verbo dicam) familiare dicendi genus proſequuntur; ab aliqua tamen gravitatis nota non penitùs alienum. Principes (ut conditiones etiam inſpicias) magnificum habent Stylum, purum, electum, parcum verbis, ſententiis amplum, prudentem, gravem, perſpicuum, ſedatum. Pauperes, ac Plebeji tenues, fracti, ſimplices, enerves, levibus argumentis, adagiis tamen pluribus, & fabellis ſuas implent Orationes. Do-

ctos

Digitized by Google

ctos denique (nam indocti à Plebejis non diſcernuntur) ornatum omnem, rationum omne pondus, Artem omnem decere, non eſt, qui dubitet: flectitur hæc tamen ad materiã, de qua loquuntur: undè Academici, & Sophiſtæ voluptuoſiores ſunt; integriores Philoſophi; accuratiores Politici; & omnium graviores, ac majeſtate ſummi Cõcionatores.

Oportet igitur nobis ipſis; perſonis, quas loquentes efferimus; & rebus, quæ dicuntur, aptare Stylum. Nobis quidem; ut perſonam, quam gerimus, ſuſtineamus: nec tam id faciamus, quod nobis prodeſt; quàm quod talem decet Oratorem. Ut enim obſervat Fabius: * *Quod decet ferè prodeſt: aliquando tamen & hæc diſſentiunt: quoties tamen pugnabunt, ipſam utilitatem vincet, quod decet.* Quin & Africanum adducit quendam: cui magis placuit cedere patria; quàm cum Tribuno plebis humillimo contendere de innocentia ſua. Et Socratem (ut ipſe putat) proponit: qui ex Cicerone, * vir Conſularis, cùm Romæ omnium ſapientiſſimè, ſanctiſſiméque vixiſſet, in judicio capitis pro ſe ipſe dixit; ut non ſupplex, aut reus; ſed ut magiſter, aut dominus videretur eſſe Judicum: quin etiam; cùm ei ſcriptam Orationem diſertiſſimus Orator Lyſias attuliſſet, quam, ſi ei videretur, ediſceret, ut ea pro ſe in judicio uteretur; non invitus legit, & commodè ſcriptam eſſe dixit: ſed, inquit, ut ſi mihi calceos ſicyonios attuliſſes, non uterer, quanvis eſſent habiles, & apti ad pedem, quia non eſſent viriles; ſic illam Orationem diſertam ſibi, & Oratoriam videri; fortem, & virilem non videri. Quò fortè & illud Ciceronis * tendit, cùm dicit, Orationem ſuam cœpiſſe caneſcere; ſenis ſcilicet induere auctoritatem. Perſonis aptus quoque Stylus erit, quas veluti loquentes repræſentamus: quantùm tamen noſtra permittet dignitas: non enim ſcenam aſcendimus perſonati. Hinc aptiſſimum eſt illud Virgilii * diſtichum:

Inſt. 11. *c.* 1.

1. *de Orat.*

in Bruto.

Eclog. 3.

Dic mihi Damœta: Cujum pecus? an Melibœi?
Non: verùm Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.

Quod dum mordere quidam audet Cynicus; rationem eo reddit ipſo; quare ruſticitate ſuus id donaverit auctor: ſic enim inſultat Antibucolica:

Dic mihi Damœta: Cujum pecus? anne Latinum?

Non: verùm Ægonis noſtri: ſic rure loquuntur.

Orator. Rebus demum erit apta ſi * parva ſubmiſsè: modica temperatè; & magna granditer efferet; ac iis, quæ dicentur, par erit, & æqualis Oratio. Quod ſe feciſſe teſtatur D. Jo: Chryſoſtomus, * ubi, poſtquam eleganter mitis animi tranquillitatem ſubjecit oculis, ſubdit, ſe non vanæ ut inſerviret pompæ, ſed veritatis expreſſioni, ſic elocutum: *Ut per hanc deſcriptionem videremus, quanta ſit manſuetorum voluptas*. Quod ut facilè, & procul artis detectione fiat; id in electione præſtandum figurarum, quod de verbis docuit * Ariſtoteles. Seligendæ ſcilicet eę formulæ; quas vulgaris offert dicendi conſuetudo, ipsáque dictat natura in propriis alicujus momenti rebus eloquentiſſima: quibus extremam manum, ac veluti ſplendorem Ars poterit adhibere. Ut verò, quid de Stylis Ars doceat, ſolertiùs audiamus.

Hom. 6. in 1Ita Apoſt.

3. Rh. c. 3.

Triplex boni cujuſque Styli ſupremum diſcernunt genus, nominibus aliquantò variatis, auctor ad Herennium, * Cicero, * Quintilianus, * Aulus Gellius, * D. Auguſtinus, * aliíque communiter: Magnificum ſcilicet; Medium; & Tenue. Ad quæ cunctas reducemus cæteras ſpecies; vitiis notatis, quæ unicuique poſſunt advenire.

lib. 4. Orator. inſt. 12. c. 10 lib. 7. c. 14. Doctr. Chr. 4.

MAGNIFICUS; quem Grandem, ac Vaſtum alii vocant Stylum; ſummum dicendi continet robur. Eſt autem character unicus ad movendum, magnis ſemper rebus inſiſtens, & ad minima deſcenſum refugiens. Non enim, cùm magnum aliquod dixerimus, ad minutas ejus rei gradiendum explanationes: ea potiori ratione; qua oppoſita juxtà ſe poſita magis eluceſcunt; creſcitque proinde in minimis inſectandis præſens puerilitas. Indè eorum carminum alterum notat Seneca: * quibus diluvium deſcribit ſic Ovidius:

Quæſt. nat. l. 3. c. 17.

Omnia pontus erant: deerant quoque littora ponto.
Nat lupus inter oves: fulvos vehit unda leones.

Priori nanque, ut magno cōmendato, de poſteriori ait, in eo Poetam *tantum impetum ingenii ad pueriles ineptias reduxiſſe*. Dividitur verò Magnificus Stylus ab Areſio * in Gravem; & Vehementem: quibus addendum puto Copioſum.

Art. pred. l. 3. c. 28.

GRAVIS dicendi modus, nimios affectus reſpuit. Imperiis

riis tamen ſcatet; Sententiis; & Laconiſmis. Ut enim Demetrius * docet: *Grave eſt; quod in pauco multum intùs apparet*. Undè & Lacones breviſſimi in loquendo ſunt, gravitate ipſos retardante: & imperare conciſum eſt omnibus: & dominus omnis ſervo, aut ſubdito princeps adeò, vel ſyllabis, parcus; ut verba ceu margaritas vendere videatur. Periodos exinde petit breviſſimas; brevibúſque membris compoſitas. Voces auditu ſonoras: menſura longiuſculas: tempore tardas: ſignificatione * peregrinas (ſive tranſlatæ ſint; ſive compoſitæ) libens admittit. Materiam, ſive totius locutionis, ſive ſingularum ejus partium ſummam: & ex magnis accipit rebus; putà cœlo, ſideribus, aliíſque excelſam in auditorum animo parientibus æſtimationem. Exemplum offert Areſius * ex Tito Livio hæc P. Scipioni ſuggerente: *Romani: ex his, quæ in Deorum immortalium poteſtate erant, ea habemus; quæ Dii dederunt. Animos, qui noſtræ mentis ſunt, eoſdem in omni fortuna geſſimus; gerimuſque. Neque eos ſecundæ res extulerunt: neque adverſæ minuerunt*. Idénque Livius * Mutium introducit: qui furtim in hoſtium cùm penetraſſet caſtra Porſennam Regem gladio confoſſurus; ejúſque, quem ignorabat, loco Scribam necaſſet; coram Rege ſtans dixit: *Romanus ſum civis. Mutium me vocant. Hoſtis hoſtem occidere volui*. Ubi clarè vides, melioribus acceptum Oratoribus, quod Emporius * monuit: ut ſcilicet in omnibus dictionibus mores ejus, cujus verba fingenda ſunt, exprimamus: quod nos quoque hácenus diximus. Nam neque ipſe Mezentius ſic precatur, ut Turnus: neque ſic vulnere ſuo Mars mœret, ut Venus.

part. 58.

Ariſt. 3. Rh. c. 2.

Art. pred. l. 3. c. 28.

lib. 2.

de etop. & loco comm.

Vitio opponitur, quod Elatum Ariſtoteles * vocat; auctor verò ad Herennium * Sufflatum, ac Tumidum dicendi genus: à quo bono fugiendum eſt Oratori. Incurrit verò in id vitium quiſquis perſonarum, aut rerum non ſervat proportionem: ut ſi vulgarem adoleſcentem gravia promentem verba introducat. Inſuper & qui novis, aut priſcis verbis, duritérve aliunde tranſlatis; aut gravioribus, quàm res poſtulet, aliquid dicit: ut ſiquis (inquit * auctor ad Herennium) ita loqueretur: *Nam qui perduellionibus venditat patriam; non ſatis ſupplicii dederit, ſi præceps in Nep-*

3. Rh. c. 3. lib. 4.

ibid.

tunias

tunias depulſus erit lacunas. Pœnitet igitur iſtum; qui montes belli fabricatus eſt; campos ſuſtulit pacis. Ad quod etiã
inſt.8.c.5. illud Quintiliani * monitum de ſententiis facit: ne crebræ ſint: ne palàm falſæ: (quales frequenter ab iis dicuntur, qui, quidquid pro cauſa videtur, quaſi indubitatum pronunciant) & ne paſſim à quocunque dicantur. Magis enim decet eos, in quibus eſt auctoritas; ut rei pondus etiam perſona confirmet. Imò arguuntur quidam; qui eo, quod optimum eſt, clauſulas plures ſententiis terminare, ita abutuntur; ut velint, quòd omnis omninò locus, omnis ſenſus in fine ſermonis feriat aurem:
ibid. * *Turpe autem, ac propè nefas ducunt reſpirare ullo loco; qui acclamationem non petierit: nec multas ſententias dicunt; ſed omnia tanquam ſententias.*

COPIOSUM videntur cum gravi confundere Stylo ſummi Rhetoricæ præceptores: & Vehementi non numerato, vocare etiam Amplum, & Magnum; imò & Ornatum. Peculiari tamen in ſpecie collocandum puto; ſi licet aliquando mentem propriam aperire. Nec enim, quę huic aſſignabimus requiſita, Gravi omninò congruunt Stylò: cùm tamen omnibus aliis emineat magnitudine. Eſt igitur Copioſus dicendi modus veluti quoddam effluvium Eloquentiæ: in quo profectò vis maxima eſt, ut Cicero
Orator. * loquitur. Hic eſt enim; cujus dicendi ornatum, & copiam admiratæ gentes, Eloquentiam in Civitatibus plurimùm valere, faſſæ ſunt. Hanc tamen Eloquentiam, quæ curſu magno, ſonitúque ferretur, quàm ſuſpicerent omnes; quàm admirarentur; tam ſe aſſequi poſſe diffiderunt. Exigit autem hæc dicendi nota cunctarum elaboratiſſimam Elocutionem. Periodos tradita ſuo loco menſura; quatuor nempè hexametris dimetitur: quarum partes quantitatem, ac tempora, quæ de periodo dicta ſunt, ſervent adamuſsim. Non adeò tamen, ut & inſperſa reſpuat conciſa: nam eos, qui ſemper periodicè dicunt, comparat Hermogenes ebriis; quòd perpetuo quaſi circuitu ferantur; & in orbem greſſus inflectant. Verborum ornatum, præſertim verò Translationes, libentiſſimè recipit: figuriſque res augentibus; aut fuſiùs, quàm neceſſitas cogat, explicantibus gaudet amplificari. Materiam quoque magnam ſibi proponit: in-

cu-

cujus laudem aptiſſimè occupatur. Exemplum hoc ſit * ex
pluribus Divi Leonis eximiis eo in genere ſermonibus: in
quo * de Divo Laurentio verba facit ad Tyrannum: *Nihil* *Serm. in na-*
obtines: nihil proficis, ſæva crudelitas. Subtrahitur tormen- *tal. S. Lau-*
tis tuis materia mortalis: & Laurentio in cælos abeunte, tu *rent.*
deficis flammis tuis. Superari charitas Chriſti flamma non
potuit: & ſegnior fuit ignis, qui foris uſſit; quàm qui intùs
accendit. Sævisti perſecutor in Martyrem: ſæviſti; & auxiſti
palmam, dum aggeras pœnam.

Vitium, quod Frigiditatem appellat * Ariſtoteles, à fini- *3.Rh.5.*
ſtris eſt Copioſæ dictionis. Ea namque debetur iis pœna,
qui juvenili indulgentes fervori Copioſiſſimam texere Ora-
tionem geſtiunt; ut frigidi evadant. Evadunt autem, Are-
ſio * teſte, ex trium horum capitum altero: ex rebus ſcili- *Art.pred. l.*
cet; verbis; aut ſtructura. Res exponunt frigidas; qui ine- *3.c.29.*
ptas afferunt Hyperboles, & abſque proportione rebus, de
quibus orant, ſuperiores: undè ſtatim apparens mendax
exaggeratio riſum excitat potiùs; quàm admirationem.
Hinc frigiditatis reprehenditur Hegeſias; eoquòd ex diei
circunſtantia, quo Epheſinæ Dianæ templum igne conſum-
ptum, natúſque ſimul mundo eſt Alexander, Macedonis
commendaverit natalitia dicens: *Minimè mirandum eſt, ſi*
Dianæ templum tam gravi incendio arſerit: quippe Dea in ipſo
Olympiæ partu, quo Alexander eſt editus, obſtetricandi labo-
ribus, & curis diſtricta ignem non valuit reſtinguere. Verba
frigida proferunt; quicumque, (ut Ariſtoteles * docet) con- *3. Rh. c.5.*
junctis nimiùm delectantur vocibus, aut peregrinis: vel qui
indecoris, ineptiſque tranſlationibus; aut crebris, longéque
ductis Epithetis conferciunt Orationes. Item & quibus
juxtà Scaligerum *Verborum mare ſine ſalis guttula Stylus eſt;*
qui nullo certo pondere innixus verbis tumidis, ac lapſantibus
diffluit: quorum Orationem benè exiſtimatum eſt in ore naſci;
non in pectore. Compoſitionem demum aſtruunt frigidã;
qui numerorum, ac ſoni plùs æquo ſolliciti, vel carmina
pro periodis texunt; vel adeò ſcrupuloſi apparent; ut in
iis jure potiori valeat, quod in Iſocrate deriſerat * Plutar- *Bellone, an*
chus dicens: *Quomodo non ſonitum armorum, phalangiſque* *pace Athen.*
hiatum metuiſſet; qui tantopere vocalem cum vocali conjun- *&c.*
gere metuebat?

VE-

Digitized by Google

Art. pred. l. 3. c. 28. & 34. VEHEMENTI ſub Magnifici Styli genere locum tribuit Areſius * Demetrium ſecutus, & Ciceronem. Eſt enim Oratio, quam vehemens ſuggerit animi motio in rebus ſummi momenti: undè affectibus debet redundare. Quia verò duplici poteſt, ex ſupradictis, affectuum uti genere Orator; Sympathicis ſcilicet, & Contentioſis: ideò duplicem in inferiorem Speciem Vehementem partimur Stylum: ut prioris uſitatius munus ſit reprehendere, improperari, vel arguitivè convincere; poſterioris verò conqueri, vel execrari. Prius vehementiæ genus vocatur Pugnax à Quintiliano:

inſt. 9. c. 4. * à Cicerone verò Vehemens, Acre, Contortum, Atrox, Vibrans, & Concitatum. Redundat præſertim partibus quantitate Conciſis: ſono Aſperis: ſignificatione Propriis uſitatis: figura Concitatis: omníque (ut paucis dicam) dicendi robore inſignibus, ac libertate. Exemplum autem, quod Sacri imitentur Oratores in reprehendendo ſimul, &

ad Sabin. improperando, profert * Hieronymus: *Rogo, quantum crimen eſt, ubi ſtuprum, & adulterium parùm eſt? Infeliciſſime mortalium: tu ſpeluncam illam, in qua Dei Filius natus eſt, & veritas de terra orta eſt, & terra dedit fructum ſuum, de ſtupro condicturus ingrederis? Non times, ne de præſepio infans vagiat: ne puerpera Virgo te videat: ne Mater Domini contempletur? Angeli clamant &c.* In arguendo verò efficaciſſimus omnium * Apoſtolus: *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam; & de fructu ejus non edit? Quis paſcit gregem; & de lacte gregis non manducat? Nunquid ſecundùm hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptum eſt enim in lege Moyſis: non alligabis os bovi trituranti. Nunquid &c.*

1. Corinth. 9.

Poſterius Vehementiæ genus fuſiores Periodos requirit, & magis aliquantò numericas; ſed Conciſorum leges non multùm excedentes: Voces non adeò aſperas; & non rarò tranſlatas: (nova enim agitatus animus invenit; ut in deriſo Archilogo, & Hypponacte contempto, gregariis ſeclis vatibus, vidit poeſis novam admirata Scazondum, & Jambicorum carminum inventionem) Figuras verò ex ardentioribus, ac res augentibus; ut Exclamationes, Hyperboles, hiſque ſimiles; quales in furias acto Achilli ſuggerit Homerus. At exemplo nunc * Cicero ſit nobis: *O tempora! O mores! Senatus hæc intelli-*

git:

git; Conſul videt: hic tamen vivit. Vivit? Imò verò etiam in Senatum venit: fit publici conſilii particeps: notat, & deſignat oculis ad cædem unumquemque noſtrum.

Vitii duplici fœdantur genere ſupradicti Vehementes Styli, ſi nimis in ſuo munere excedunt; quod utrunque Indecorum appellat Areſius. Nobis autem (quia nimis genericum eſt; omnibúſque dicendi vitiis applicabile tale nomen.) Rabidum ſignanter vocari poſſe videtur, quod priori opponitur generi Vehementiæ: quod verò poſteriori, Deſperatum. Utrunque verò reſultat, ſive ex improportionata rei momento Vehementia: ſive ex immoderato eorum, quæ ſuprà requiſivimus, uſu. Exemplo ad poſterius attinens genus illud ſit Ariſtidis * de collapſa Smyrna: *Si Gorgones reviviſcerent; non jam Meduſam, aut oculum ſuum flerent; ſed Smyrnam communem Aſiæ oculum deplorarent.* *Monod. de Smyrna collapſa.*

MEDIUS; quem Temperatum vocat Cicero; Stylus eſt ad docendum, delectandum, conciliandúmve aptiſſimus; in exornandis potiſſimùm non maximæ notæ rebus obtinens locum: atque, ut Tullius * loquitur, dicendi genus *Inſigne, & florens eſt, pictum, & expolitum; in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores.* Is autem duplex eſt: Venuſtus ſcilicet, & Argutus. Prior pulchritudinem ſpirat, ornatum, & perſpicuitatem. Gratias omnes, & vivacitates affert poſterior. *Orator.*

VENUSTUS plura ab Ariſtotele, * & aliis ſortitur nomina; juxtà virtutum numerum, quibus pulchritudo componitur. Aptiſſimus eſt, qui ſua conciliet, flectátque animos ſpecie: ut de hoc dictum intelligas, quod, ſingulis enumeratis corporis humani partibus, Divus addit Ambroſius: * *Ita uſus miniſtrant; ut præſtent decore*: verúnque experiaris, quod de Tullio Fabius * teſtatur: *Nam hoc ipſo proderat, quòd placebat.* Cujus Styli vim miraculo M. Antonius oſtendebat: cui meritò Plutarchus Sirenes omnes, & gratias tribuit; & tales, ut etiam globum circunſtantium militum, qui ad eum interficiendum venerant, velut præſtigiis attonitum detinuerit. Exigit igitur præſens Stylus ad ſimilitudinem corporeæ pulchritudinis proportionatam membrorũ magnitudinem in Periodis; * ac breviorem ea, quæ Ma- 3. Rh. 3. *l. 8. de Noe, & Arca c. 10, inſt. 12. c. 10.* *Hermog. & Demetr. p. 58.*

Ariſt.3.Rh.3. gnificam menſurat Orationem. Candorem * in verborum ſignificatione, ac perſpicuitatem: ita ut, & magis determinantes eligantur voces; ut *Suſpicere*, & *Reſpicere* pro eo, quod eſt iterum, aut ſurſum aſpicere: & ex determinantibus eæ, quæ proprietatem eorum, quæ dicuntur, exhibeant; ut *Divinum Legislatorem* vocando Deum in Sina potiùs, quàm Creatorem: & demum ex propriis ſelectiores adhibeantur; atque ex Peregrinis eæ, quæ faciliùs intelliguntur. Vocum item Sonum mediocrem: tardum Tempus æquè permiſtum lubrico. Materiam, quæ eruditionibus ſcateat. Epitheta, quæ gratiora ſint; quæque pulchriores res offerant menti. Exemplum autem ſit * ex D. Auguſtino: *Plaudat nunc organis Maria: & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent. Concinant lætantes chori: & alternantibus modulis dulciſona carmina miſceantur.*

de Annunciat. Domin.

Vitioſus ſi evadet venuſtus dicendi modus, erit Fluctuans, & Diſſolutus, (ut * auctor inquit ad Herennium) atque Enervatus: eoquòd ſine nervis, & articulis fluctuabit huc, & illuc; nec poterit aſſumpta confirmare, ac ſeſe viriliter expedire. Vel erit (ut loquitur * Quintilianus) Translucida, & verſicolor Elocutio res ipſas effœminans, quæ illo verborum habitu veſtiuntur. Ideóque notatur à Cicerone Demetrius, quaſi in dicendo delectans magis, quàm movẽs Athenienſes; primúſque Orationem inflectens, & mollem, tenerámque reddens: ut ſuavis magis videri voluerit, quàm gravis: licèt ſecùs verborum quaſi ſtellis illuminarit. Et nimiæ venuſtatis reprehenditur ab Auguſtino * illud D. Cypriani; * quod is, non utique ſuaſurus, ſed delectaturus amicum protulit: *Petamus hanc ſedem. Dant ſeceſſum vicina ſecreta: ubi dum erratici palmitum lapſus pendulis nexibus per arundineos bajulos repunt; viteam porticum frondea tecta fecerunt.* Illud, inquam, quod protulit, reprehenditur: ipſe nanque ab eodem excuſatur; quòd voluerit talibus oſtendere, & ſe *poſſe ſic dicere, quia dixit alicubi; & nolle, quia poſtmodum nuſquam.* Non igitur, omiſſa rerum, quæ * nervi ſunt in cauſis, diligentia, quodam inani circa voces, modulóſque ſtudio ſeneſcendum eſt Oratori. Pulcherrima nanque dicendi Venuſtas eſt: * *Sed cùm ſequitur; non cùm affectatur.* Corpora ſana, & integri ſanguinis, atque exer-

lib.4.

inſt. 8. in proœm.

Doctr.Chr. l 4.

Epiſt.ad Donat.

Quint. inſt l. 8. in proœm.

cita-

citatione firmata, ex iiſdem his ſpeciem accipiunt, ex quibus vires: & cultus conceſſus addit hominibus auctoritatem: *at muliebris, & luxurioſus, non corpus exornat; ſed animum detegit*. An verò ego * cultiorem fundum dicam, in quo mihi quis oſtenderit lilia, & violas, & amœnos fontes ſcaturientis; quàm ubi plena meſsis, aut fructu graves vites erunt? Nulliſne ergo, etiam fructiferis adhibendus eſt decor? Quis negat? Nam & ego in ordinem, certáque intervalla arbores redigam. Quid enim, quæſo, ſpecioſius? Sed protinùs in id quoque prodeſt; ut terræ ſuccum æqualiter trahant. Decentior equus, cujus aſtricta ſunt ilia: ſed idem velocior. Pulcher aſpectu Athleta, cujus lacertos exercitatio expreſſit: idem certamini paratior. *Nunquam * vera ſpecies ab utilitate dividitur.* *Quint. inſt. 8 c. 3.* *Quint. ibid.*

ARGUTUM dicendi Stylum, Urbanum quoque, Salſum, Lepidum, Concinnum appellare fas eſt: eoquòd Argutiis redundat; quæ & Sales, & Urbanitates, & Lepores, & Concinnitates, & Lumina nuncupantur. Hic patronos habet non paucos: admiratores multos. Aſſertores habet heroas illos, Senecam, Salluſtium, Plinium, Cornelium Tacitum; & ex Sacris Auguſtinum, Ambroſium, Hieronymum, Cyprianum; alióſque plures: quos, & acerrima vis ingenii; & lux politiſſimi judicii, & omnium ferme doctorum plauſus ab ipſa propè eruditionis alea conſtanter expedierunt. Tota ejus virtus in intermiſtis conſiſtit ſpiritibus animalium inſtar ſpirituum, vitaliúnque ad ſimilitudinem igniculorum Orationi motum præbentibus, & reſultantiam. Exigit proinde intellectualium copiam figurarum: earúnque in primis; (ut Ariſtoteles * monet) quorum eſt ponere ante ſenſus objecta. Conciſas quoque clauſulas exigit; & Laconiſmos: neque periodici ſollicita eſt numeri. Voces translatas liber amplectitur: imò & iis aliquando innixis componitur Argutiis; ut mox dicemus: neque de Sono vocum admodùm curat. Eſt verò triplex: Serius; Jocoſus; & Satyricus, ſeu miſtus; cujus eſt ſeriò acuminibus pungere, ſub ſpecie tamen Joci. Satyrico proinde Stylo Ironiæ apprimè ſerviunt, & Æquivoca: Hoc Cicero * rectè improperat: *Integritas tua te purgavit; mihi crede; pudor eripuit; vita anteacta ſervavit*. Jocoſus omnes de- *3. Rh. 13.* *in Clod.*

 bet

bet ſervare leges; quas de facetiis diximus affectus excitaturi. Quo genere Vatinium irridet Cicero uno die * Conſulem: *Magnum oſtentum anno Vatinii factum eſt: quòd illo Conſule, nec bruma, nec ver, nec æſtas, nec autumnus fuit.* Serii demum exemplum ſit ex D. Hieronymo * vivaciſſimum; ubi mulierem deſcribit ſepties lethali ferro percuſſam; nunquam tamen occiſam: *Jam ſpiculator exterritus, & non credens ferro, mucronem aptabat in jugulum; ut, qui ſecare non poterat, ſaltèm premente manu corpori conderetur. Omnibus res inaudita ſæculis! Ad capulum gladius revertitur: & veluti Dominum ſuum victus aſpiciens confeſſus eſt, ſe ferire non poſſe.* Et hic Stylus utpotè gravior, ac decentior, omnigenis ferè locum aliquem in Orationibus obtinet: vehementioribus etiam affectibus exuberantibus; dummodo, non iis, qui mentem perturbare conſueverunt, ut Ira immodica, laxúſque Mœror eſt. Quare monet doctiſſimus * Quintilianus: *Sententiolis ne flendum.* Cæterùm, mira quoque dicendi majeſtate * Baſilius Seleucienſis admirantem Abraham de indicto ſibi filii ſacrificio ſic argutè proponit: *O imperia à naturæ legibus abhorrentia! Filii jugulum repoſcor: & filii carnifex eſſe jubeor! Servus cùm fuerim Pater; in filii cædem præproperè urgeor!* Intrepidè dolores inter, & diſcrimina Martyr Ignatius: * *Frumentum Chriſti ſum: dentibus beſtiarum molar; ut panis mundus inveniar.* Et apud * Senecam, obſeſſa ab inimico Cæſare Urbe, morti potiùs, quàm hoſti ſe daturus Cato ſapientem, ac ſublimem animum his oſtendit: *Licèt omnia in unius ditionem conceſſerint: cuſtodiantur legionibus terræ; claſſibus maria: Cæſarianus portas miles obſideat: Cato, quà exeat, habet. Una manu latam libertati viam faciet. Ferrum iſtud, etiam civili bello purum, & innoxium, bonas tandem, ac nobiles edet operas. Libertatem, quam patriæ non potuit, Catoni dabit. Aggredere, anime, diu meditatum opus: eripe te rebus humanis. Jam Petrejus, & Juba concurrunt: jacentque alter alterius manu cæſi. Fortis, & egregia fati conventio: ſed quæ non deceat magnitudinem noſtram. Tam turpe eſt Catoni mortem ab ullo petere; quàm vitam.* Sed agè nunc Argutiæ naturam, loca, & formas, quibus effertur, breviter explicemus.

in Vatin.

Epiſt. 49. ad Innoc.

inſt. 10. c. 1.

Orat. de Abraham ſup. Tolle fil. &c.

ap. S. Hieron. de ſcript. Eccl.

de Provid.

Ar-

Argutia igitur omnis (ſive ſolo fiat verbo; ſive integra propoſitione) vim habet cunctam à Novitate ; quam reperit arguta mens , ingeniúmque vivax : ut & de Facetiis, quæ Argutiarum ſunt ſpecies , dictum eſt . Et quidem, non niſi quia novæ ſunt formæ dicendi , plauſibus excipiuntur figuræ : licèt Argutiæ non ſint; eoquòd, non res ſunt inventæ ; ſed modi inventas res efferendi . Atque in eo cedunt Argutiis argumenta; ut non omnia arguta ſint. Quanvis enim eorum omnium munus ſit res ingenioſè inventas efferre : non tamen novas , & audientibus inexpectatas.

A Topicis tamen Argutiæ ducuntur: & undè argumenta , quæ ſunt argutæ mentis inventa ad convincendum; indè & Argutiæ , quæ ejuſdem inopinata figmenta ſunt ad ornandum aptiſſima . Neque deſint exempla . A Nominis Etymologia Earini , quod Ver ſignificat , græcum nomen Martialis vocat *Nomen cum violis , roſiſque natum* . A Conjugatis Seneca : *Nihil tam ſacrum ; quod ſacrilegum non inveniat* . Ab Æquivoco querenti cuidam , quòd omnis à mundo exulaverit rectitudo, protinùs Geometra reſpondit: *Orbem eſſe rectum , poſſibile non eſt* . Et de cujuſdam Draconis ſanctionibus dictum eſt : *Draconis verè leges ; non hominis* . Ab Exemplo leonem , qui ex miti ferox evadens plures in amphitheatro laceravit pueros, Martialis * objurgat : *lib.2.*

Exclamare libet: Crudelis , perfide prado ,
A noſtra pueris parcere diſce lupa.

A ſimili re Florus * in morte Julii Cæſaris : *Sic ille, qui terrarum orbem civili ſanguine impleràt , tandem ipſe ſanguine ſuo curiam implevit.* *lib.4.c.2.*

A Circunſtantiis quoque nonnullas ut Argutias eruamus . *Quis* à Cauſa efficiente, ſive vera , ſive efficta, ſuggerit Argutias . Et à ficta ducitur illa, quę Promethei ſubſignabat iconem : *Surgeret , ni ſcopulo reſupinum catena conſtringeret* . Pariter & quam Divi Brunonis cuidam imagini ſuppoſitum diſtichon proferebat:

Rumperet ore ſonos etiam : ſed ſancta ſilendi
Regula compoſito non ſinit ore loqui.

Quid ab effectibus repetit : ut quidquid argutè fuit factum, quod Oratori foret indecorum imitari geſtu , dicto valeat imitari : Undè muſicus ille ; qui canentem rivalem irriſurus

rus induit endromidem; potuiſſet dicere, quod indicabat: *Tempus eſt pluviæ: coaxant enim ranæ.* *Ubi* à Loco eruitur à quo Ajax de Achillis armis cum Ulyſſe judicio competens argutè pro ſe argumentatur; dum memorans, quòd ab Ulyſſe derelictus, ſolus navali bello Hectorem vicerit * apud Ovidium:

Metam.l.13

Agimus, proh Iupiter! (inquit)
Ante rates cauſam: & mecum confertur Ulyſſes?

Cur, à Fine, ſive vero, aut veriſimili, ſive ficto deducit. Et à ficto eſt illud; quo Julius Cæſar Africam aggreſſurus, cùm è cymba deſcendens in arenam fortuito pedis lapſu proſterneretur, caſum diſſimulans, veluti conſultus oſcularetur litus clamavit: *Teneo te Africa*. Et quod imaginem ornabat Deiparæ brachiis infantis ſomnum ſuſtinentis.

Fallor: an hæc vivit genitrix? ſpirare videtur
Certè; & vocales fundere velle ſonos.
Non fallor: claram illa poteſt emittere vocem:
Infantem ſed ne ſuſcitet, ora premit.

Ep. 64. ad Vercell. Eccleſ.

A veriſimili verò ſupra Datan, & Abiron mortem * D. Ambroſius: *Tum immugiens terra in medio ſcinditur: aperitur in profundum ſinus: abripiuntur noxii: & ita ab omnibus ablegantur elementis mundi hujus; ut nec aerem hauſtu; nec cœlum viſu; nec mare tactu; nec terram poſſint contaminare ſepulchro.* *Quomodo* res facta ſit juvat quoque conſiderare. Quod fecit Timotheus Fortunatus Dux appellatus: cui invidentes nonnulli pinxerant civitates, quæ ultrò ſe reti implicarent, eo dormiente. Hac enim nihil offenſus contumelia lepidè Timotheus * inquit: *Si tantas urbes capio dormiens; quid facerem vigilans?* *Quando* demum Tempus notat: à quo, tres æquè deformes cùm inſpexiſſet feriantes mulieres, quaſi furias appellans, Latinus quidam Comicus dixit: *Feriæ apud inferos.*

Plutarch. apoph.

Ad eruẽdas quoque facit Argutias duplex illud ex Theorematibus Emmanuelis Theſauri * deductum monitum: quo docemur propoſitum fœcundare thema voces ejus à propriis, uſitatíſque ad alias transferendo; quæ & ipſæ peculiares ſuas dabunt Argutias: nec non & cunctas perluſtrare ſcientias, ac facultates, ex ſingulis novam aliquam eruturi cognitionem. Eſtque ex eodem utriuſque exemplum.

Cannoch. Ariſt. c. 11.

plum. Primi quidem de Ape in electro mortua plures conglobans: quarum hic paucæ: *Nova metamorphoſis: olim flebilis Niobe in ſaxum; nunc apis flebilem in gemmam migrat. Alget apis in flamma; ardet in glacie: quid enim electrum; niſi flammeum gelu? De alieno ſuperbit apis luce fulgens non ſua. Incauta apis in lacrymis invenit inſidias. In furto deprehenſa gemmeis compedibus tenetur. Non impunè arbores pupugit, ut flores.* Secundi verò de multiplici ſubjecto plures proponens Argutias: ex quibus lepidiſſimum illud Medici cujuſdam reſponſum: cui cùm Princeps, neſcio quis, diceret, ſe bona cuncta à prædiviti ſuo miniſtro abſtuliſſet; quòd ditior factus inſoleviſſe: rectè geſtum, inquit: ex Hippocrate nanque *Morbos, qui ex repletione fiunt, curat evacuatio.*

Modi tandem, quibus efferri poſſunt Argutiæ, tot ferè ſunt, quot Elocutionis figuræ. Præcipuos tamen ut breviter innuamus. Primò fiunt Illatione argutum aliquod deducendo. Quod & Ratiocinator ille fecit: qui, cùm poſt immodicas pro filii inſtructione, & laurea expenſas, reducem hunc è Philoſophica palæſtra, quid tandem didiciſſet, interrogaret; iſque reſponderet, ſe ejus, cui ſtrenuè deſudaverat Logicæ, virtute probaturum, duo ova (quæ ſola præſentem tunc ornabant cœnam) quatuor eſſe, non duo; implicatúnque de re texeret ſophiſma: protinùs intulit Arithmeticus: accipiam igitur ipſe duo hæc, reliqua ſint tibi in cœnam. Secundò Probatione fiunt: ut ſi cum Martiali* de vipera in electro mortua diceres: *l.8.epigr. 48.*

Ne tibi regali placeas, Cleopatra, ſepulchro;
Vipera ſi tumulo nobiliore perit.

Tertiò Retortione; quam alii Cavillationem appellant. Eſtque ex Cicerone* locus æquabiliter fuſus per omnem ſermonem, clavum, ut dici ſolet, clavo trudens; ac ex iis, quæ opponuntur, aliquid inferens, vel applicans, additis verbis in oppoſitum: ſeu quomodocúnque ſumens ex iis argutam occaſionem aliud enunciandi. Undè apud Laertiū, Socrati familiarem quendam acriùs objurganti in convivio Platone cùm dixiſſet: *Nonne ſatiùs erat, hæc illi dixiſſe ſeorsùm?* illicò Socrates: *Et non tu quoque rectiùs feciſſes; ſi hæc mihi ſeorsùm dixiſſes?* Quartò dictis à ſe, alióve quid- *2.de Orat.*

piam

piam inopinata ſubdendo reflexione; aut ſenſus inverſione. Quod poſtremum fecit Spartanus, cùm Athenienſi ſibi coloribus expreſſam ſuorum victoriam oſtendenti, dicentíque: *O ſtrenui quàm ſunt Athenienſes!* dictum integrans, ſubdidit: *In tela*. Prius verò Divus exhibet Ambroſius * de Veſtalibus; quibus triginta poſt probatæ virginitatis annos fas erat ad nuptias tranſire, hæc habens: *Qualis eſt iſta, non pudicitia morum; ſed annorum? Petulantior eſt talis integritas; cujus corruptela ſeniori ſervatur ætati.*

Serm. de Virg.

Vitium porrò triplex Arguto opponitur Stylo. Primò namque Jocoſus, ſi immodicus ſit, aut in eum cadat, quem non vis, in Dicacitatem, ſeu (ut etiā vocat Cicero*) Scurrilitatem ruit: qua nihil eſt, quod magis dedeceat Oratorē. Undè Scurrile putatur à Cicerone * cujuſdam dictum: qui, procedente puſillo teſte, cùm eſſet ſciſcitatus, liceretne interrogare; reſponſúmque eſſet, licere, modò breviter; *Perpuſillum*, inquit, *interrogabo*: dum enim teſtem vellet impetere, breviorem eo Judicem laceſſivit. Secundò Satyricus in Mordacem degenerat, & Maledicum. Cujuſmodi eſt aliàs memoratum illud Theocriti: qui ad Antigoni ut veniret oculos veniam impetraturus cùm invitaretur; potiùs mori, quàm non pungere volens; Antigonum altero orbatum oculo notavit reſpondens: *Nunquam igitur ſalvus ero; quia nunquam ad ejus oculos veniam*. Tertiò Serius Affectationem (quam Græci Cacozelum vocant) contrahit; * ſi vel nimiis ornetur Argutiis; vel, quod affine eſt, oneretur ineptis. Ut enim conſperſa ſit Oratio quaſi verborum ſententiarúnque floribus; id (inquit * Cicero) non debet eſſe fuſum æquabiliter per omnem Orationem; ſed ita diſtinctum, ut ſint quaſi in ornatu diſpoſita quædam inſignia, & lumina: genúſque dicendi eſt eligendum; quod maximè teneat eos, qui audiunt; & quod non ſolùm delectet; ſed etiam ſine ſatietate delectet. Quis enim potione uti, aut cibo dulci diutiùs poteſt? *Sic in omnibus rebus voluptatibus maximis faſtidium finitimum eſt.*

2. de Orat.

2. de Orat.

Demetr. part. 114.

3. de Orat.

Herenn. 4.

TENUIS eſt, in quo* uſque ad uſitatiſſimam puri ſermonis conſuetudinem demittitur Oratio. Undè multùm aberrant: qui incultam rudénque dicendi formam, ad populum moralia facturi verba, ſectantur; cùm plurimum in-

inter puritatem artificioſæ Tenuitatis; & inconſideratam ruſticitatem intercedat. Eſt enim Tenuis Eloquentia (ut * ait Tullius) *Quadam negligentia diligens: ut mulieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ; quas idipſum deceat*. Eſt verò duplex ejus ſpecies: altera nanque Familiaris eſt; Humilis altera. *ap. Areſ. Art. pred. l. 3. c. 33.*

FAMILIAREM præcipuè deſcribere videntur Eloquentiæ magiſtri, ubi de Tenuitate Styli loquuntur. Et huic vulgarem tribuunt Conſtructionem: ſed tamen à Grammaticis emendatam. Periodos breves: & vel ſimplices; vel pauciſſimis conſtantes membris conjunctione, aut ſola ſuſpenſione connexis; nullóque harmonicis artificio. Voces ſono, & tempore medias: ſignificatione proprias; puras; & electas. Figuras rariores; & has occultas: cujuſmodi ſanè erunt, ſi ex vulgari emendatè loquentium conſuetudine repetentur. Redundat tamen hæc nota rebus: & quot ferè verba; tot habet Eruditiones, Sententias, Similitudines, Adagia, aliáque argumenta, vel familiaria ſaltem negotia: ut ex induſtria fictum Elocutionis defectum diligens Inventionis ſuppleat artificium. Exemplo ſit illud * Divi Gregorii: *Admonendi ſunt, quos ab officio prædicationis imperfectio, & ætas prohibet; & tamen præcipitatio impellit: quòd pulli avium, ſi ante pennarum perfectionem volare appetant; undè ire in alta cupiunt; indè in ima merguntur: quodque ſtructuris recentibus, necdum ſolidatis, ſi tignorum pondus ſuperponitur; non habitaculum; ſed ruina fabricatur.* *3. p. Paſtor. c. 26.*

Vitioſam in Ariditatis notam incurrunt; * qui non poſſunt in illa facetiſſima verborum attenuatione verſari. Quã turgidi licentia Styli pejorem adeò facit * Quintilianus: ut cum Cicerone * malit, ſe efferat in adoleſcente fœcunditas: quin & ipſis doctoribus hoc eſſe curæ præcipiat; ut teneras adhuc mentes more nutricum molliùs alant; & ſatiari veluti quodam jucundioris diſciplinæ cibo, lactéque patiantur; hinc ſpem roboris ſumens: *Facile nanque remedium ubertatis: ſterilia nullo labore vincuntur*. Cavendum perinde eſt, ne rebus ſit exhauſta locutio: ne ſemper eadem omninò dicendi forma, eadémque menſura ſit in Periodis; quæ nec nimiùm breves eſſe debent: ne res amplæ, ac ma- *Herenn. 4.* *inſt. 2. c. 4.* *2. de Orat.*

gnæ plurimùm extenuentur; ſed inter Tenues dicendi formas pro iis explicandis, quæ minùs à mediocribus recedunt, eligantur. Quare vitioſum illud dicitur * ab auctore ad Herennium: *Nam iſtic ille ad balneas acceſſit: ad hunc poſtea dixit: hic tuus ſervus me pulſavit. Poſtea dixit hic illi: conſiderabo. Poſt ille convitium fecit: & magis, magiſque præſentibus multis clamavit.*

lib.4.

HUMILIS à nobis vocatur Stylus; quem non ex familiaritate nos inter, & auditores aſtruimus Tenuem; ſed ex rerum conditione, aut perſonarum, quas alloquentes repræſentamus. Neque ſuum deeſt hujuſmodi Tenuitati robur: quandoquidem * ex Fabio: *Vim rebus aliquando & ipſa verborum tenuitas affert*. Utrolibet autem ex ſupradicto loquamur capite: Materia, non modò circa quam tota fertur Oratio, Humilis erit; verùm &, ex qua ſimilitudines ſingulæ, & argumenta ducuntur. In reliquis verò: quæ ſuo profert Orator nomine, à familiaribus ne diſcedant; niſi quòd extenuationibus magis debeant indulgere. Quæ verò in vulgi ponit, aut rudium ore, meliorem nullam habent regulam; quàm talibus conſuetas loquendi formas: ut rudium loquelam, vel mulierum, mulierculæ ipſę, vel ruſtici naturali ſibi dicendi Stylo probè doceant: dummodò ad Oratorium decus ex his emendatiora aſſumantur imitanda. Exemplum ſacræ dant paginæ: * ubi Thecuitis mulier Abſaloni Davidem conciliatura ſic loquitur: *Heu, mulier vidua ego ſum: mortuus eſt enim vir meus. Et ancillæ tuæ erant duo filii: qui rixati ſunt adverſùm ſe in agro: nulluſque erat, qui eos prohibere poſſet: & percuſſit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce conſurgens univerſa cognatio adversùm ancillam tuam dicit: Trade eum, qui percuſſit fratrem ſuum; ut occidamus eum pro anima fratris ſui, quem interfecit; & deleamus hæredem: & quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt; ut non ſuperſit viro meo nomen, & reliquiæ ſuper terram*. Ubi expendatur, quæſo; quid inter hæc ſit, & ea, quibus Davidem ipſum Nathan arguit; vel Saulem Samuel reprehendit.

inſt.8.c.3.

2.Reg.c.14.

Vitium denique Humili oppoſitum Stylo non incongruè Vilitas appellatur. Vilis autem eſt ſermo; ſi abjecta nimiùm eſt materia, vel obſcœna: aut ſi verba è vulgaribus peſſi-

peſſima, & è plebis fæce ſumuntur. Attendendum enim eſt diligenter; ne, dum vulgo, plebique apta referimus, Oratoriæ modeſtiæ, ac dignitatis obliviſcamur. Neque hic eſſe ex iis poſſumus: qui, teſte * Quintiliano, nihil unquam probantes; niſi planum, & Humile ſine conatu: *dum timent, ne aliquando cadant; ſemper jacent.* *inſt.8.c.5.*

CAPUT III.

DE AMPLIFICATIONE.

INdulgendum communi nunc Rhetorum uſui: ex quibus vix ullum invenies peculiarem de Amplificandi artificio præceptionem omittentem. Et eò faciliùs indulgendum: quòd, nulla ſi foret alia præſentis utilitas capitis, quàm omnium expoſitorum hactenus Oratoris Munerum epilogus; quorum eſt vehementior quidam, latiórque conatus Amplificatio: ea quidem minimè deſpicienda. Amplificationem autem ad eam ſolummodo partem, quæ motionem reſpicit animorum, reſtrinxit Cicero: * ubi eam vehementem quandam affirmationem dixit; quæ motu animorum concilieт in dicendo fidem. In eam, quæ Rebus ineſt: & quæ Verbis: Quintilianus partitus eſt. Dividunt alii (inter quos * Areſius) in Repræſentativam; quam Topica ſubminiſtrat: in Exornativam; quam ſolam Verbali illi à Fabio recenſitæ correſpondentem aſtruunt; licèt non ſoli: & in Arguitivam; quæ argumentando res auget; éſtque Soario gravior quædam affirmatio; quæ preſſioribus argumentis, ſtrictínque confertis homines, Judices, Auditores jam rationum viribus ad aſſenſum præcipitantes vehementiùs impellit; cui proinde & argumentorum loca deſerviunt. Fuſiùs tamen; & univerſaliùs explicavere Iſocrates, & Gorgias* Sophiſtarum ampliſſimi: quorum priori fuit Eloquentia *Parva extollere; & magna efficere minima dicendo*: poſteriori verò ſumma Oratoris laus *Rem augere poſſe laudando.* *Partit.* *Art pred. l. 2.c.28.* *ap. Cic. in Bruto.*

Cavendum verò, ne cuiquam detur errandi occaſio; omneque

neque Flexanimæ facultatis artificium conſtituendi in vana verboſitate minimum quodlibet extollente: cùm reclamet Tullius * ab Auguſtino * commendatus; quòd *is erit eloquens, qui poterit parva ſubmiſsè, modica temperatè, & magna granditer dicere.* Secùs enim illud Ageſilai Scomma retorquebitur: qui nonnullis Oratorem neſcio quem exornantibus, quòd res exiguas mirificè verbis extolleret: *At ego*, inquit, *peſſimum eum ſutorem putem; qui parvis pedibus grandes calceos inducat.* Neque nos ſeducat, quòd diſerti plures homines Orationis artificio res alioqui contemptas, putà muſcam, aut febrim, evehendas ſuſceperint ad quandam magnitudinis metam; idque fuerint cum plauſu conſecuti. Plaudimus his omnes; qui, ſe in hujuſmodi arguti ingenii feſtivitatibus ludere, profitentur: quos, ſi ſeriò loqui ſic voluiſſent, ineptos, omniúmque amentiſſimos judicaremus. Famoſum illud artis prodigium; naviculam illam inquam, aut eburneam quadrigam muſcæ pinniculis intectam, quis non admiratur? Sed ſi quis mihi alterutram proponeret ad iter; penès me ſtultiſſimus mortalium audiret. Quapropter magnificum illud, & grande Amplificationis genus grandem, & arcanam exquirit materiam: mediocris moderata ſit auctio: tenuis verò vix una, vel altera ſententia paululùm elevetur. Sic enim & de quocunque objecto artificioſè dicemus: & non ex iis erimus; qui, ut dicitur, ex muſcis faciunt elephantos. Idem, proportione ſervata, de Diminutione ſentiendum. Non enim ſemper ſpernendæ res: neque ex leone faciendus eſt mus. Tempora autem Diminutionis præcipua duo ſunt: ſi vel nobis primò res minor, quàm ſit, aliquantùm oſtendenda: vel ab adverſariis exhibitæ; aut ab auditoribus præconceptæ rei magnitudini ſit occurrendum. Primum omninò ſervat eaſdem leges; quas Amplificatio: modò ex iiſdem locis oppoſita repetat argumenta; & ex iiſdem Elocutionis capitibus contrarias figuras, voces, harmonias eligat pro dignitate. Poſterius peculiaris aliquid cõtinet artificii; quanvis à prædictis non admodùm alieni.

Cic. de Orat.
Aug. 4. Doctr. Chr.

Artificioſæ igitur Amplificationis hic capita percurrenda: quorum omnium erit munus, quæ ad noſtram magis intereſſunt cauſam, eorum, quà magnitudinem, quà tenuitatem

tatem augere. Idque in primis Rationibus: quibus deinde & animorum Commotio; & Repræſentatio figurata; & Verborum exuberantia correſpondeat. Primum Loci ad Inventionem expoſiti: reliqua verò ſubminiſtrabit Elocutio. Quare duplicem diſtinguam Amplificationem: Topicam ſcilicet; & Elocutricem. Quam utranque innuit quodammodo * Tullius: ubi ex ejus mente Amplificatio ſumitur ex eiſdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta ſunt ad fidem: faciúntque fictæ etiam perſonæ, & muta, quæ loquuntur; quæ Elocutio docet Proſopopœja. Addam verò his breviſſimas Diminutionis regulas præconceptam rei magnitudinem extenuantis. *Partit.*

RUDIMENTUM I.
De Amplificatione Topica.

CUm omnis Amplificatio fieri poſſit, ſive res, verbáque conglobando; ſive gradatim augendo: ut in aliquibus magnitudo; in aliis verò, hac deficiente, numerus valeat: quæcunque modò adducentur Topicam explicantia Amplificationem exempla utrunque alternatè continebunt. Quare ut principaliora percurramus loca.

A' PARTIUM enumeratione Amplificamus quotieſcunque, quod paucis dicere de toto aliquo poſſumus, augendi ſtudio de partibus ſingulis prædicamus: iis tamen ſervatis omnibus; quæ monuimus de prima agentes ſede argumentorum. Hinc Tullius, * quæ ex immanitate Catilinæ eripuerat, Reipublicæ bona ſic congerit: *Rempublicam, Quirites, vitanque omnium veſtrum, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi Imperii, fortunatiſſimam, pulcherrimanque Urbem hodierno die Deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis, periculiſque meis ex flamma, atque ferro, acpenè ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam, ac reſtitutam videtis.* *in Catil. 3.*

A DEFINITIONIBUS conglobatis, præſertim Metaphoricis, idem amplificat Cicero * ſic: *Caput Urbis, Aram ſociorum, Portum omnium gentium, Sedem ab univerſo populo Romano conceſſam uni ordini, inflammari, extindi, funeſtari.* *pro Milone.*

ANO-

A NOMINIS in ſuos caſus Conjugatione, verbiſque in tempora inflexione multiplici campus non arctus exornandi quidpiam aperitur: dummodo non tenuis adhibeatur induſtria; ob periculum, quod eſt affine, in leve aliquod, & puerile incidendi: non enim argumenta, aut res, ſed potiùs verba locus à Nomine ſubminiſtrat. Dexterè, & argutè invictum Cæſaris robur Conjugatis amplificat * Cicero: *Ipſam victoriam viciſſe videris; cùm ea ipſa, quæ erat illa adepta, victis remiſiſti. Nam ipſius victoriæ conditione jure omnes victi occidiſſemus: ſed clementiæ tuæ judicio conſervati ſumus. Rectè igitur unus invictus es: à quo ipſius etiam victoriæ conditio, viſque devicta eſt.*

pro Marcello.

A MINORI ad Majus repetita Comparatione, ſuprà Energiam, quæ huic ineſt argumentationi, vim amplificat multitudo. Sic * Cicero: *Quod ſi parentes chariſſimos habere debemus; quòd ab iis nobis vita, patrimonium, libertas, civitas, tradita eſt: ſi Deos immortales; quorum beneficio, & hæc tenuimus, & cæteris rebus aucti ſumus: ſi hunc ipſum Ordinem; à quo ſæpè magnificentiſſimis decretis ſumus honeſtati: immenſum quiddam, & infinitum eſt, quod vobis debeamus; qui veſtro ſingulari ſtudio, atque conſenſu, parentum beneficia, Deorum immortalium munera, populi Romani honores, veſtra de me multa judicia, nobis omnia uno tempore reddidiſtis.*

poſt red. in Sen.

A SIMILIUM iteratione rerum etiam augetur, de quibus loquimur, magnitudo. Undè patientiam commendans ait * D. Gregorius: *Sic uva calcibus tunditur; & in vini ſaporem liquatur: ſic oliva contuſionibus expreſſa ſuam amurcam deſerit; & in olei liquorem pingueſcit: ſic per trituram areæ à paleis grana ſeparantur; & ad horreum purgata perveniunt.* Ut verò Similitudinum multitudinem eruamus duplex nobis opportunè modus proponitur breviſſimè explicandus. Primò nanque juvat non parùm Indicem habere nominum ſubſtantivorum: quo præcellentiores ad augendum; aut ad extenuandum viliores notentur res, Similitudinem ſubminiſtraturæ. Undè legens *Adamas*, exempli cauſa; *Agnus*, &c. Martyrem commendaturus aliquem dicerem: eum Adamante ſolidiorem inter rapaces Tyrannorum ungues ſuam non deſeruiſſe conſtantiam; ſed monti,

hom. 15. in Evang.

qui

qui Chriſtus eſt, inſeparabiliter adhæſiſſe: Agno quoque divino ſimilem; licèt tanquam occiſus apparuerit mundo; perenni tamen vita de tyrannide triumphaſſe. Secundò, quæ oculis occurrunt; ea non ineptè pro Similitudinibus aſſumuntur; ſi ritè proprietates eorum cum re, de qua loquimur, conferantur. Undè, ad cœlum erectis oculis, eundem Martyrem appellarem fidei Firmamentum immobili lumine virtutum omnium ſideribus illuſtratum; nec inter perſecutionum nebulas ſuum amittens ſplendorem: appellarem aerem fulminibus imperitum; indè tamen majorem induentem ſuæ mentis tranquillitatem: & ſic de cæteris.

Ab EXEMPLO multiplici ſuadendi vis quoque augetur. Quale eſt laudatiſſimum illud Ciceronis: * *Saxa, & ſolitudines voci reſpondent: beſtiæ ſæpè immanes cantu flectuntur; atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non Poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum: Chii ſuum vendicant: Salamini repetunt: Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant; itaque delubrum ejus in oppido dedicaverunt: permulti alii præterea pugnant inter ſe, atque contendunt. Ergo illi alienum, qui Poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt: no hunc vivum, & qui voluntate, & legibus noſter eſt, repudiabimus?* *pro Arch.*

Ab OPPOSITIS conglobatis, oppoſitæ elucet rei magnitudo: ſive quòd Amplificatione Negativa (quam infinitam vocant) immenſus pateat aditus oſtendendi, quid res non ſit: ſive quòd Poſitivè pluribus enumeratis Oppoſitis, quæ verificari, aut deberent, aut crederentur, Oppoſitum aliquod adeſſe cum audientium ſtupore demonſtratur. Primo modo Charitatis extollit laudes * Apoſtolus: *Charitas non æmulatur: non agit perperàm: non inflatur: non eſt ambitioſa: non quærit, quæ ſua ſunt: non irritatur: non cogitat malum: non gaudet ſuper iniquitatem.* Ubi non omnia, quæ in mentem veniunt, ſunt neganda; ſed ea duntaxat, quorum Oppoſita rei, de qua ſermo eſt, competunt. Secundò verò modo ſævitiam Herodis in Joannem amplificat * D. Ambroſius: *Quis non, cùm è convivio ad carceres curſari videret, putaret, Prophetam juſſum eſſe dimitti? Quis, inquam, cùm audiſſet, natalem eſſe Herodis; ſolenne convivium,* *1. Corinth. 13.* *3. de Virg.*

um; puella optionem eligendi, quod vellet, datam: miſſam à puellam ad Joannis abſolutionem non arbitraretur? Rapitur ad pœnam Propheta convivali tempore: convivali præcepto: quo non cuperet vel abſolvi.

A CIRCUNSTANTIIS vis creſcit; ſi plures aggerantur, quarum ſingulæ ex ſe vim haberent ad probandum ſufficientem. Plures conglobat Tullius * in Antonii vinolentiam; *Tu iſtis faucibus; iſtis lateribus; iſta gladiatoria totius corporis firmitate; tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras; ut tibi neceſſe eſſet in conſpectu populi Romani vomere poſtridie.* Quibus diſtinctè, *Quis*, quantíque roboris Antonius ſit, obſervat; cui tamen vino ſuccumbere fuerit neceſſe: *Quoties* repetitis vini hauſtibus ceſſerit deſignat: *Quid* fuerit ex potu ſecutum (vomiti ſcilicet fœditatem) exponens, turpitudinem exprimit ebrietatis: Locum deſignat; *Ubi* populi Romani cōcurſus auxit ignominiam: notátque Tempus, *Quando* eſculentis fruſtis vinum redolentibus cœtum implevit; ut ebrietatis nimietas, quam neque digerere triduo valuerit, arguatur.

* Philipp. 2.

Ab EXTRINSECIS quoque locis non mediocriter amplificatur Oratio. Cùm enim omnes auctoritate nitantur; nemini dubium erit, quin Teſtimoniis pluribus augeatur fides. Neque in congerendis ad normam locis ejuſmodi praxis facilitas nos hic permittit diutiùs immorari.

RUDIMENTUM II.

De Amplificatione Elocutrice: ubi de Periodo varianda.

Alterum amplificandi modum uberrimè dat Elocutio: cujus tamen hìc partes ſummatim libabimus, genera percurrentes ſingula Figurarum, & Vocum hactenus expoſitarum.

FIGURAS omnes amplificandi vim continere, vel ex eo claret; quòd in majori quadam virtute à vulgaribus dicendi formulis differunt; quam, vel rem pluries, vel clariùs, aut vehementiùs exhibent exprimendo. Ne tamen exempla nunc deſint,

Ex

Ex Sympathicè moventibus Intellectum hæ aptiores videntur. Dubitatio: qua, aut hæremus animo, quid dicendum, aut quid eo, quod dictum eſt, aptius dici potuerit, velut inveſtigantes: ut apud Ciceronem: * *Facinus eſt vincire civem Romanum: ſcelus verberare: propè parricidium necare: quid dicam in Crucem tollere?* Interrogatio: quæ affine Dubitationi robur habet: ut idem oſtendit * Tullius: *Hanc teterrimam belluam quis ferre poſſet; aut quomodo? Quid eſt in Antonio præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, audaciam.* Præteritio: qua, dum plura congerimus non levia, eáque, ut minoris momenti, relinquere ſimulamus, maximum quoddam oſtendimus id eſſe, cui ſumus inſtituri: ut eodem * ex Cicerone: *Poſſem multa dicere de liberalitate; de ejus abſtinentia; de cæteris virtutibus. Sed mihi ante oculos obverſatur Reipublicæ dignitas: quæ me ad ſeſe rapit; hæc minora relinquere hortatur.* Suſtentatio: qua fuſiùs narrat Cicero * libertatem damnatis jam ſervis venditam à Verre. Reticentia tamen efficacior: ut in eodem omnium vehementiſſimo * Oratore: *Sed immitiſſimus Servius; qui filium miſit ad affligendum Cn. Pompejum, vel certè capiendum, cum Pontio Tiriniano. Et ſi hic quidem timoris cauſa: ille verò.... Sed ſtomachari deſinamus.* Licentia quoque, ut de figuris agentes notavimus, robuſtior: ut: * *Poſtremò (erumpat enim aliquando vera, & me digna vox) ſi ad eorum voluntatem dicta, factaque noſtra referuntur; optanda mors eſt.* Juramentum accedit: quo majorem facimus fidem: ut ardens zelo fecit * Elias: *Vivit Dominus Deus Iſrael, in cujus conſpectu ſto; ſi erit annis his ros, & pluvia; niſi juxtà oris mei verba.* Obteſtatio tamen hac vehementior figura: ut in illo * Ciceronis: *Vos, albani tumuli, atque luci: vos, inquam, imploro; & obteſtor: voſque, obrutæ aræ; quas ille ſubſtructionum inſanis molibus oppreſſit.* Hypotypoſis: quæ modò ſolam habeat Etopœjam: modò ſolam Proſopopœjam; modò utranque: cujus poſtremi generis * illud eſt: *Quid enim tuus ille, Tubero, diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebat? Qui ſenſus erat armorum tuorum? Quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? Quid cupiebas? quid optabas?* Pleonaſmi pariter quæcunque ſpecies ſuamet eſſentia ſingu-

in Verr. 5. — *Philipp. 3.* — *pro Sextio.* — *Verr. 7.* — *ad Attic. l. 9. epiſt. ult.* — *Philipp. 10.* — *3. Reg. 17.* — *pro Milone.* — *in Verr. 5.*

laris: ejus enim eſt, quæ paucioribus expediri poſſent pluribus exhibere: ut apud Terentium: *Hiſce oculis egomet vidi*. Synonymia quoque eſt hujuſmodi: ut: * *Hebræi ſunt: & ego. Iſraelitæ ſunt: & ego. Semen Abrahæ ſunt: & ego*. Emphaſis plus aliquid præbens ſignificationis vocibus: ut apud * Quintilianum: *Trecenti ſumus: ſed Spartani*. Frequentatio plura congerens non modici momenti: ut ex * Tertulliano: *Quid hoc mali eſt, quod natura mali non habet? timorem, pudorem, tergiverſationem, pœnitentiam, deplorationem?* Auxeſis ſui nominis figura, & ad augendum aptiſſima: ut ex * Tullio: *Non furem; ſed ereptorem: non adulterum; ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum; ſed hoſtem ſacrorum, Religionumque*. Hyperbole ſatis ſupérque rem evehens: ut ex eodem * Oratore: *Verbum mihi deeſt, cùm ego hanc poteſtatem Regiam appello. Nullum enim regnum fuit unquam; quod non, ſi minùs jure aliquo, at regionibus tamen certis contineretur. Hoc infinitum eſt; &c.* Correctio majora quædam prolatura: ut ex eodem * alibi: *O ſtultitiam! Stultitiamne dicam: an impudentiam ſingularem?* Epiphonema: quo, cùm militum in Piſonem odium oſtenſurus * Cicero narraſſet, elapſi è ſuis manibus ſimillimam ſtatuam eos afflixiſſe, comminuiſſe, diſſipaſſe, concluſit: *Sic odium; quod in ipſum attulerunt; id in ejus imaginem, ac ſimulachrum profuderunt*. Conduplicationis etiam, ac Iterationis quælibet ſpecies rem continuò repetens opportuna: ut apud * Quintilianum: *Matrem tuam occidiſti. Quid dicam ampliùs? Matrem tuam occidiſti.* Quid tamen exemplis ſingula notamus; cùm numerare ſit ſatis, & ad proprium locum remittere Candidatos?

2. Corinth. 11. v. 22.

inſt, 8. c. 3.

Apolog. c. 1.

in Verr. 3.

2. in Rull.

Cic. pro Cælio.

in Piſon.

inſt. 8. c. 4.

Ex iis verò, quæ Contentioſè eundem movent Intellectum, ſunt, quæ cæteris urgent efficaciùs, Enthymema etenim amentatum jaculum dicitur ex ea, quam habet Syllogiſmo vehementiorem concludendi energiam. Illud nanque * Ciceronis alibi propoſitum: *Pacem vult Antonius? arma ponat; roget; deprecetur. Nihil eſt profectò; quod dari poſſit bellum gerenti: erit fortaſsè aliquid; quod concedi poſſit roganti*: illud, inquam, ad Syllogiſmum reduc: & vide, quàm enerviter dices. En tibi Syllogiſmum: *Nihil eſt profectò; quod dari poſſit bellum gerenti: erit fortaſsè aliquid; quod*

Philipp. 5.

Digitized by Google

quod concedi poſſit roganti. (Quæ erat prioris Enthymematis confirmatio) *Atqui pacem vult Antonius. Non igitur ea danda; quin arma ponat: non ei concedenda; quin roget, & deprecetur.* Epicherema tamen utroque vehementior adeò; ut ſolum Aggreſſionis nomen meruerit: quantóque ſtrictior in unum coactis viribus impetit; eò irrumpat fortiùs: ut fusè dictum proprio in loco eſt.

Ex Sympathicis etiam Voluntatem trahentibus ſunt aliis aliæ ampliores. Exclamatio nanque roboris quid non continet? Oratorem * audiamus: *O fallacem hominum ſpem! O fortunam volucrem! O inanes noſtras cogitationes: quæ in medio ſpatio ſæpè franguntur, & corruunt; & antè in ipſo curſu obruuntur! Quem portum aſpicere potuerunt?* Apoſtrophi etiam quæ vis non ineſt? Undè & Orationum initia; imò & reliquas partes omnes, quas rei ſummum haud fulciat momentum, eam ſuſtinere non poſſe, monuimus. Aut quam Imprecatio non exigit, exprimítque efficaciam? En ad evidentiam * Ciceronem: *Dii te perdant, fugitive: ita, non modò nequam, & improbus; ſed fatuus, & amens es.* *3. de Orat.* *pro Dejot.*

Ex Contentioſis demum Voluntatem urgentibus, quæ robore præſtent aliis, haud deſunt. Adjuratio nanque, & Comminatio nervum habent, & ſpiritum non mediocrem. Nobis tamen actum fuſiùs agere non eſt animo.

VOCES etiam vim habent ſuam amplificandi; ſi, quæ de earum Sono, ac Significatione diximus præcedenti capite, inſpiciantur. Sono nanque vel ipſo creſcit rei magnitudo, ſi ſuperlativis; ſi cumulativis; ſi compoſitis; ſi plurali numero inflexis; ſi longis, tardíſque exprimatur: quemadmodum & lubricis; & brevibus; & diminutivis augetur tenuitas. Undè grave illud, & magnum ex * Cicerone: *Non furem; ſed ereptorem: non adulterum; ſed expugnatorem pudicitiæ: non ſacrilegum; ſed hoſtem ſacrorum, Religionumque: non ſicarium; ſed crudeliſſimum carnificem civium, ſociorumque in veſtrum judicium adducimus.* Creſcit Sono quoque ex verbalium uſu: ut ſi *Dominatricem* potiùs, quàm dominam animorum Rhetoricam dicas. Necnon etiam, ſive vocalium, quæ ſonoræ ſunt, in magnis; ſive conſonantium in vehementibus exponendis redundantia. Significatione *in Verr. 3.*

 verò

verò tribus amplificatur res ex capitibus: cùm ad id conducant obtinendum Propriorũ Splendor verborum; Tranſlatæ voces; & Epitheta. Splendor iis ineſt; quæ magis recōdita ex uſitatis omnibus eliguntur: ſicut enim, quæ vulgo communiora ſunt, ad extenuandum aptiſſima: ita & ſelectiora magnum aliquod, vel innuunt, vel ſimulant; ad quod exprimendum peculiaria, nec omnibus obvia perquirantur. Tranſlatæ eadem ratione voces ad augendum præcipuæ: atque in primis Metaphoricę è magnarum ſimilitudine rerum depromptæ. Magnas autem dico; quæ claritate, pulchritudine, majeſtate, aut alio quovis titulo neceſſitatem exponendæ rei, ejúſque notam transgrediuntur. Utrunque continens ex Panegyrico Theodorici Imperatoris exemplum ſit: *Adhuc blanda erat imago pubeſcentis; nec tingens faciem lanugo veſtiebat: quando avi purpura, & floſculus ſupervenietis Imperii promittebat ſollicitis de gratia commutatione terrorem*. Epitheta quoque amplificant; ob id præſertim, quòd rei qualitatem præ oculis ponunt; & plus aliquid ſemper exhibent, quàm principalia. Tullius * dat exemplum: cujus eloquentiam ideò admirabilem fuiſſe putant nonnulli, quòd tempeſtivis diſtinguere eam noverit Epithetis. *Erat* (is inquit) *id temporis clariſſimus*, *& fortiſſimus Conſul inimicus Clodio P. Lentulus; ultor ſceleris illius; propugnator Senatus; defenſor veſtræ voluntatis; patronus illius publici conſenſus; reſtitutor ſalutis meæ.*

* *pro Milone.*

PERIODI nunc remanet varietate dilatandæ leges exponere: quod verbalis Amplificationis totum eſt munus; & quædam Iterationis ſpecies; quam Exornationem appellant, qui à reliquis Amplificationis diſtinguere volunt partibus. Quia tamen communibus, adhuc explicatis, proponi ſolet reliquæ Amplificationis legibus: diſceptationibus nunc parcens, communem & ego morem breviter geram. In qualibet ergo dilatanda, vel dictione, vel Periodo, ejúſve parte quacunque obſervandum, ad quæ grammaticè referatur; vel quæ ſingulæ partes ejus. Sic ſi dilatandum ſit: *Pluit*: vide quid pluat; undè; & quæcunque ad pluviam pertinentia ſuggeret Topica: quibus Periodum integrabis, ſimplicem quidem; ſed completam. Habita deinde Periodo hujuſcemodi, ſingulas ſeorſim partes dilatā-

das aſſume,materiam locis eiſdem ſubminiſtrantibus. Quare ſi Periodum hanc teneas: *Tetris excuſſis vehementi ſpiritu nubibus, Cœlum in immenſas reſolvitur aquas.* Expende, quid nubes, earúnque obſcuritas; quid venti; quid aquarum magnitudo, quid Cœlum Topicæ Amplificationis recipiant: & facili negotio Periodum dilatabis. Inſuper,ex Elocutione nonnihil ut eruas commodi, ea præſertim attende: ut ſæpiùs ſupra partem eandem Argutiis reflectas: útque Metaphoricè dicta prolixiori continues Allegoria.Quorum prius, cùm de Styli varietate,propoſuimus; & cùm de Figuris Reflexionis, ac Interpretationis, inter eas, quæ intellectum ſympathicè movent. Poſterius verò,cùm de Trãſlatis vocibus, quantùm ſat viſum fuit, tetigimus.Qui tamen fuſiorem optat, utriuſque praxim, habet ingenioſam apud Emmanuelem Theſaurum, * & * Verani. *Cann..Ariſt. à c.7.*

Ea tamen Periodicæ dilatationis, quam verbalem omninò diximus,magis videntur propria: Conjugata nempè, & Synonyma: quibus eadem prorsùs multifariam verſetur propoſitio; quoad ab otioſa verboſitate abhorrens Rhetorica moderatio permittat. Utraque ex alibi dictis poſſunt deduci: dummodo de Synonymis advertas; ea non ſolùm proprias, ſed & translatas amplecti voces; nec non unicum haud modò nomen, ſed & integram Periodum ſimilibus pluribus integris poſſe Periodis amplificari. *Panth.l.1 à proleg.7. ad 11.*

RUDIMENTUM III.

De Diminutione præconteptam rei Magnitudinem extenuante.

NOn aliquid omninò recens hoc promittit Rudimentum: ſed, quæ ſparſim háctenus dicta ſunt, aut dicentur aliò pertinentia,in unum collĕcta faciliori obtutui breviſſimè ſe exhibet repræſentaturum. Id ut præſtet duplicem occurrendi modum Amplificationi præmiſſæ ab adverſariis obſervat: qui ſcilicet, vel præconceptam rei magnitudinem omninò cùm non poſſit auferre; labefactare tamen ex parte conetur: vel, ubi vires ſuppetunt, radicitùs, funditúſque everſurus aggrediatur. Hoc enim Confutationis

nis omnis in ſequenti libro exponendæ proprium eſt munus: ut pro oppoſitarum robore probationum, aliarum tentet infirmare vim; aliarum verò penitùs enervare.

Moderatur autem, limitátque præhabitam Amplificationem Diminutio, cùm oſtendit, copioſiùs, quàm par eſſet, rem auxiſſe adverſarios: mures pro leonibus, & pro ſtellis nitedulas oſtentaſſe: nimiùm Rhetoricæ Artis coloribus, ſuóque indulſiſſe genio: intemperanter nimiùm auditorum auribus abuſos, & patientia. Quid enim tot perſtrepentium verborum ambitus: quid tot figurarum congeſtio: quid tot Auxeſes, atque Hyperboles, tótve è ſummis rebus emendicatæ translationes eſſent aliud; quàm otioſa clepſydræ profuſio: niſi diſtento, inflatóque vocibus mendacio locuſtas in dracones vertere fuiſſet animo? Huc tēdit callidiſſimum illud Cæſaris: qui atroci quadam (ut fas erat) auctum Oratione conjurationis crimen in graviſſima illa conſultatione de Catiliniariorum ſupplicio ægriſſimè cùm audiret; nec apertè refellere tutum crederet: ſic dicendi modum arguebat: *Sed, per Deos Immortales, quò iſta Oratio pertinet? An ut vos infeſtos conjurationi faceret? Scilicet, quem tanta res, atque tam atrox non permovit; eum Oratio accenderet?*

Evertit verò præſertim dupliciter. Primò nanque dicendi modo utitur eodem ad augēdam rem apertè minimam, vel ridiculam. Sic verboſiſſima cùm Oratione partes enumerans ſingulas Cupidinem deſcripſiſſet quidam: eaſdem reaſſumens adverſarius occurrit: *Alas habet & veſpa: telum habet & veſpa.* Secundò aliquid breve dictis addendo: quod rem in deriſum vocet; aut ejus omnem amplitudinem reſolvat. Sic magnum aliquid ſe dixiſſe putabat Athenienſis; cùm Spartano depictam ſuorum victoriam objiciens, ſtrenuos Athenienſes eſſe exclamavit: admirationem tamen abſtulit omnem Spartanus ſubdens: *In tela.* Magnum pariter ſe reddidiſſe rei crimen autumabat vehemens Accuſator; ardebátque repetens, neſcio cujus veſtem illum ſcidiſſe: frigida tamen ignem eſtinxit Patronus dicens: *O magnum, & inuſitatum facinus! Veſtem ſcidit? Reſarcietur.*

PARS

PARS QUARTA.

DE MEMORIA.

Congerunt encomia Rhetores; quibus Memorię extollant præſidia: aliíque fidiſſimam ſenſuum animi cuſtodem dicunt: feraciſſimum alii nuncupant Eloquentiæ theſaurum: alii verò (ut plures taceam) refertum artium omnium frugibus horreum appellant. Summum ipſe beneficiorum omnium à ſupremo naturæ Parente rationabili præſtitorum animo nuncuparem: hoc tamen mirabile; & quod ipſum unicè ſibi archetypus, & imago. Inanis etenim univerſus humanæ mentis labor; quem non Memoria, quidam veluti ſpiritus, animat: * fruſtráque docemur; ſi quidquid audimus præterfluat: nec retinere tantùm juvat; niſi & quæ commiſerimus retinenda, promptè reddat, fidelitérque recordatio, prout revocandi neceſſitas poſtulabit. At quid in hoc ea mirabilius? * Subitò res vetuſtas tanto ex intervallo repetitas exhibere: nec tantùm requirentibus; ſed & negligentibus interim ſpontè offerre? Quid? non hæc varietas mira eſt? excidere proxima; vetera inhærere: externorum immemores acta pueritiæ recordari: nec rerum modò; ſed etiam verborum, apicúmque nunc ordine ſervato, nunc inverſo, mira reddere varietate? Quid: quòd quædam requiſita ſe occultant: & eadem fortè ſuccurrant, dum non quæruntur? Nec verò perennem ejus ſileam effluentiam: qua eorum omnium, quæ condideris, emanans effluviū, ſemper eaſdem ſervet; eaſdémque ſemper exhibeat: tantáque copia; ut in longiſſimis actionibus priùs audientium patientia, dicentíſque ſpiritus; quàm Memoriæ theſaurus exhauriatur. Tanti beneficii prodiga fuit elargitrix Natura Mithridati: cui duo, & viginti linguas (quot imperabat nationibus) traditas eſſe, comperrum. Cyro quoque: militum qui plura millia ſingulis cujuſ-

Quint. inſt. 10. c. 2.

Quint. ibid.

juſque nominibus appellabat. Theodecti non minùs: qui ſemel auditos, quantúmlibet multos, verſus protinùs dicitur reddidiſſe. Themiſthocli: apud quem * doctus quidam homo, atque in primis eruditus acceſſit, artem Memoriæ (quæ tam primùm proferebatur) pollicitus ſe traditurum; cúnque ille quæſiiſſet, quænam illa ars efficere poſſet? ait, ut omnia meminiſſet: cui Themiſthocles reſpondit, gratius ſibi facturum, ſi ſe oblviſci, quæ vellet; quàm ſi meminiſſe docuiſſet. Proæreſio demum, ſpiranti illi Mercurii in terris imagini: qui * cùm ſibi propoſita ab æmulis quæſtione, de ea dixiſſet ex tempore; integram eandem Orationem, prout fuerat à Notariis excepta, incredibili commendatione memoriæ eodem temporis veſtigio iiſdem verbis dicitur pertexuiſſe. Novercali tamen avaritia, quod pluribus elargitur ubertim, aliis ſtricta, brevíque porrigit manu. Hinc à Memoria deluſi integræ ferè in Orationis oblivionem aliquando incidere Marcus Curio in Romano foro: (qui etiam ſæpè,* tria cùm propoſuiſſet, aut addebat in probando quartum, aut tertium perquirebat) in Attico Theophraſtus à divina quaſi Eloquentia ſic appellatus: Sophiſta Heraclitus coram Severo: coram Antonio Herodes Atticus: ac demum coram Philippo Macedone ſupremum illud græcè Eloquentiæ prodigium Demoſthenes. Calvitio quoque Sabino (ut ſcribit * Seneca) *Memoria tam mala erat; ut illi modò nomen Ulyſſis excideret; modò Achillis; modò Priami: quos tam benè noverat, quàm pædagogos noſtros novimus. Nemo vetulus nomenclator, qui nomina non reddit, ſed imponit, tàm perperàm, quàm ille Trojanos, & Achivos perſalutabat. Nihilominus eruditus volebat videri.* Ut quendam ſileam: qui, Solino teſte, *Poſt ægritudinem perdidit Memoriam ſui nominis.*

Cic. 2. de Orat.

Eunap. in vit. Proær.

Cic. in Brut.

Epiſt. 27.

Ut verò, quod nobis Natura tribuit, quantuncunque *id* ſit, induſtrio artis augeatur fœnore (quod & in cæteris omnibus evenit ejus donis) duplicem diſtinguam cum Fabio* Memoriam: Apprehenſivam ſcilicet; cujus eſt recipere, quæ ſibi committuntur: & Recordativam; ſeu, ut vocant, Reminiſcentiam; quæ ſemel commiſſa prolixiùs ſervat, ſuóque reſtituit tempore. Quin potiùs binas dixerim perfectæ Memoriæ partes; eáſque ab invicem adeò diffidentes; ut,

inſt. 1. c. 3.

quos

quos alterius comperimus divites, alterius paſſim indigentes experiamur. Ad hanc utramque excolendam nonnullas modò colligam è Rhetoribus præceptiones, quæ Medicorum ſunt monita, ſuis relinquens auctoribus. Neque enim me tanti reor; ut compertum habere putem, quo ſpirituum, cerebríque labore; quibúſque legibus, ac temperamentis arcanum omnibus Memoriæ fiat opus. Si quis igitur noverit, depravata pharmacis curet, labilia conſolidet amuletis. Ego interim meum libens arabo campum.

CAPUT I.

DE MEMORIA APPREHENSIVA.

Mirum utique, quod de Corſico quodam puero ſcribit * Muretus: Memoriæ ſcilicet prodigioſam adeò tenuiſſe artem: ut quidquid ſemel audiſſet, quantunvis varium, ac prolixum, illicò variato utcunque ordine repeteret fideliſſimè. Experimentum itaque tantæ facturus induſtriæ Muretus ipſe dictare cœpit ex aſtantibus alteri plura nomina, Latina, Græca, Barbara; ſignificantia non modò, ſed & plurima quoque non ſignificantia; tam multa, tam varia, & inter ſe minimè cohærentia: ut & is, qui dictabat; & cui, ut ſcriberet mandatum fuerat; imò & qui aderant cæteri feſſi jam eſſent omnes. Unus ipſe ex omni numero alacer, ac recens aſſiduè plura poſcebat adoleſcẽs. Cúmque reſponſum fuiſſet, ſatis omnibus fore, ſi vel dimidiam cunctorum redderet partem: fixo priùs ad terram obtutu, tacitúſque paululùm immoratus; mox à primis exorſus, omnia planè eodem repetiit ordine, nunquam hæſitans, inſiſtens nunquam: tùm à poſtremis reducens initium ad priora retrogradè proceſſit: ac demum, quo quiſque volebat ordine, ſine ullo errore ſingula referebat.

l.3.var.lect. c.1.

Fruatur igitur ſorte ſua quiſquis tanta apprehendendi pollet, vel artis, vel naturę felicitate: nobis labore opus eſt, & induſtria. *Si quis enim unam, maximanque à me artem Memoriæ quærat:* (cùm Quintiliano * loquar) *exercitatio eſt, & labor: multa ediſcere: multa cogitare: & ſi fieri poteſt quotidie, potentiſſimum eſt.* Indè Memoria tanta pollebat

inſt.11.c.2.

bat Hortenſius: ut, quæ ſecum commentatus eſſet, ea ſine ſcripto invariatis redderet verbis: Partitionéſque, & Enumerationes eas haberet; ut nequidem apicem prætermitteret ex iis, quæ refellenda eſſent in Cauſa, vel confirmanda. Nullum ſiquidem patiebatur eſſe diem; quo non aut in foro diceret; aut extra forum meditaretur: quin & eodem utrumque ſæpiſſimè faciebat. Ad hujus tamen laboris levamen aliquot aſſignantur leges: quas ad tria nunc capita reducā: ad Diſpoſitionem ſcilicet ejus, qui vult apprehendere: ad Res, quæ ſunt Memoriæ committendæ: & ad Circunſtantias in eo opere obſervandas.

RUDIMENTUM I.

De Diſpoſitione ediſcentis; Rebuſque apprehendendis.

IS igitur, qui memoriter quidvis facilè vult ediſcere, curas omnes, noxiáſque præſertim cogitationes ab animo procùl arceat: pluribus enim intentus, minùs Memoriæ deſervit animus. Procùl etiam effrænes omnes, immoderatoſque eliminet affectus: qui nanque amant ardentiùs, vel acriùs oderunt, aliáve quacunque affectione vehementiùs concitantur, minùs in hac parte poſſunt. Virtutibus quoque ſtudeat omnibus neceſſe eſt: in primis verò Tē-
l.4.c.12. perantiæ: quandoquidem, auctore * Plinio, *Præmium ebrietatis eſt libido portentoſa; rerum omnium oblivio; morſque memoriæ.* Curet deinde, intelligentiam ut omnem eorum, quæ mandare debet Memoriæ, plenè poſſideat: quò ne minutiſſimum aliquod lateat ſe verbum: etenim experientia compertum, quæ meliùs intelligimus, ea faciliùs retineri. Tandem non id omittam; quod pueris ſolummodo nunc
inſt.11.c.2. in uſu; notatu tamen viſum eſt dignum * Quintiliano, tardiſque mentibus perquam utile. Optimum ſiquidem, tradita alteri legenda tabula, Memoriam ſuam experiri, & cū legente contendere. Nam continua lectio, & quæ magis, & quæ minùs hærent æqualiter tranſit: in experiendo verò, an teneas; & major eſt tuæ mentis intentio; & nihil ſupervacui temporis perit, etiam quæ teneas repetendo: undè, quæ complecteris, excurſis; quæcunque exciderant denuò tractare, & crebra valeas reiteratione firmare.

Res

Digitized by Google

Res porrò, (ad quas omnis Memoriæ tendit labor) altiùs in animo figere eſt neceſſarium: Orationes verò ad verbum ſemper ediſcere periculoſum eſt aliquando. *Nam ſi Memoria ſuffragatur,* (inquit * Fabius) *& tempus non deſit, nulla me velim ſyllaba effugiat*. Si tamen Memoria natura durior erit; aut non ſuffragabitur tempus; pernicioſum erit ad omnia ſe verba alligare; cùm oblivio unius eorum cujuslibet, aut deformem hæſitationem, aut etiam ſilentium inducat: tutiúſque multò, comprehenſis animo rebus ipſis, libertatem ſibi eloquendi relinquere. Sive autem ſolæ res ediſcantur, ſive etiam verba; (cùm præſertim longior eſt) Oratio dividatur in partes: quæ nec maximæ erunt; nec plurimæ. Quare ſi plura contineat particularia puncta, in pauca partiatur majora capita: quorum quodlibet in plura illa ſingularia; vel, quæ fortè continebit, in argumenta ſubdividatur; donec partes reſultent, quas ſingillatim Memoria faciliùs complectatur. Juvátque non parùm unicuique ſua affigere ſigna indicantia diſtinctè punctum à puncto, & ab argumento argumentum; vel etiam res, quæ in ea parte continentur. Verùm, quod ad ſigna pertinet, clariùs aliquantò mox explicabitur pro Reminiſcentia; cujus eſt non infimum artificium: ubi quoque de ordine diſpoſitionis; qui & ad apprehendendum non parùm conducit. *ibid.*

RUDIMENTUM II.
De Circunſtantiis Apprehendentis Memoriæ.

AD Locum omnes reducuntur, Tempus, & Modum ediſcendi.

Locus eligatur, quoad fieri valet, ab omni ſtrepitu, ac animi diſtractione remotus. Optimúmque videtur conſiliũ; ut cùm primò quidlibet incipimus ediſcere, ſolitario id in loco præſtemus, indè paulatim in apertiori ſẽper, & frequẽtiori idipſum repetentes. Sic enim, & primum laborem facilitabit ſolitudo; & non repentè adita cœtus frequentia nos diſtrahet.

Tempus non ita proximum ei decernatur, quo proferenda Oratio eſt: præcipuè quibus tardum eſt ingenium. * His enim quotidianis deprehenditur experimentis, minùs fide- *Quint. inſt. 11. c. 2.*

fidelem eſſe recentem Memoriam: undè & opus eſt Recordatione. Tùm quia firmiùs inhęrent animo, quę diutiùs affixa ſunt; nec turmatim, & ſtimulis ad laſſitatem adhibitis, Memorię committuntur. Juvat quoque magnopere matutinum Tempus, & ſerotinum. Illud, quia fugatis nocturna quiete curis omnibus, animum reperit ab omni ferè diſtractione immunem. Hoc verò, quia mirum dictu eſt, * (nec in promptu ratio) quantum nox interpoſita afferat firmitatis: ſive quieſcit labor ille, cujus ſibi ipſa fatigatio obſtabat: ſive maturatur, ac coquitur: ſive tunc * nuſquam avocatur intentio; & poſt iſtam cogitationem, vel lectionē, nihil ampliùs animo cogitamus.

Quint. ibid.

Cur. Fortun. Rh. l. 2.

Modus tandem aptior ediſcendi eſt cuncta propria ſcribere manu: nec ſemel tantùm; ſed & iterum, iterúmque; ſi permittet tempus, & Memorię tarditas poſtulabit. Licèt enim eum ſcribendi uſum, qui ad otium Memorię adhibetur, ut res, cùm recordari oporteret, ſuggerant characteres, Plato ritè vocet ingenii peſtem, & Memorię ac negligentię matrem: dubium tamen haud eſt; (ſi Quintiliano * credēdum) quin plurimùm valeat mentis intentio, & veluti acies luminum à proſpectu rerum, quas intuemur, non averſa: ut quę per plures dies ſcribimus ediſcendi cauſa, cogitatione ipſa contineantur. Undè Regibus in Deuteronomio * pręcipiebatur; ut poſtquam sediſſent in ſolio regni ſui, deſcriberent ſibi legem, accipientes exemplar à Sacerdotibus; eánque penès ſe habentes omnibus vitę ſuę diebus legerent; quò eam diſcerent cuſtodire. Indè quodcunque Orator exſcripſerit, iiſdem, quibus exaravit tabulis (quarum utique poſtrema felicior) ediſcat. At in ediſcendo eſt quidem omnibus * expeditior ratio, & potentior ediſcere tacitè; niſi velut otioſum animum, aut mutabilem, aliæ plerunque ſubeant cogitationes: tunc enim eſt voce excitandus; ut duplici motu juvetur Memoria, dicendi, & audiendi: ſed & vox ſit modica, & ferè murmur. Eos verò, qui medię felicitatis pollent Memoria, utrunque hunc modum variare juvat: ut primò quidem voce modica, & magis murmure excitentur: indè altiori excandeſcant voce: interim taciti, quæcunque videntur complecti, ruminent cogitatione, & veluti digerant: perveniantque etiam aliquando ad eam vo-

inſt. 11. c. 2.

c. 17. v. 18.

Quint. inſt. 11. c. 2.

cis

cis elationen, qua erit in actione utendum; ne tunc incognitus ſonus Memoriam exturbet, ſpeciéſque diſpergat. Sedens an ediſcere quiſque debeat, vel deambulans, conſulat ſeipſum: varia nanque plurimùm ingeniorum ſunt genia. Mihi verò non incongruum videretur moderata deambulatione opus incipere; qua veluti expergiſcat Memoria: ſed complere eo corporis ſitu; qui mox debebit in dicendo ſervari.

CAPUT II.

DE REMINISCENTIA.

QVæcunque longiuſculum poſt intervallum temporis Memoria ſibi iam commiſſa reſtituit, Reminiſcentiæ muneri tribuuntur. Neque id dubium cuipiam; qui (ut ſunt varia hominum ingenia) quoſdam obſervarit oblata præveloci Memoria comprehendentes; quæ tamen ferè citò effluerent; & veluti præſenti officio functa nihil in poſterum deberet, tanquam dimiſſa diſcederet: alios verò econtrà firmiſſima hac parte Memoriæ, quæ ſtatim referri non poterant, contexentes poſtero die; ut Memoriam confirmarit illud idem tempus, quod cæteris eſſe in cauſa ſolet oblivionis. Ad præcellens igitur hoc Memoriæ munus artificium omne, vel purum Ordinem reſpicit eorum, quæ ſunt retinenda; vel quędam eorum Signa, ſuo ipſa quoque ordine non expertia. Et horum utique Realia quædam ſunt ſenſibiliter expreſſa in tabulis: quędam autem Imaginaria; quę Memoriæ Localis artem conſtituunt. Localis autem poſtrema hęc vocatur Memoria: non quòd ejus tantummodo ſigna locum habeant, in quo reponantur; realia verò reperiantur nuſquam: ſed quòd ad eam, tùm ſignorum effictio, tùm ipſorum inventio locorum artificium, & induſtriã requirant.

Quint. ibid.

RU-

RUDIMENTUM I.

De Reminiſcentia Reali.

REalem voco Reminiſcentiam; quam Intrinſecus rebus Ordo, Signáque adjuvant Realia.

Ordo itaque rebus Intrinſecus, alter eſt, quem ipſa rerum natura conſtituit: cujus, exempli gratia, nutu Adam prior eſt Abel; & idem antequam peccaverit fuit creatus. Et hic quidem eſſe poteſt, ſive Temporis Ordo: ſive Loci, ſeu ſituationis ipſius rei; ut in Urbibus enumerandis: ſive Dignitatis: ſive roboris Argumentativi: ſive alius quiſpiam à re, de qua agimus, ortum habens: ut cùm de Diſpoſitione eſt dictum. Qui omnis ſervari poteſt, ſive à primo ad ultimum; ſive ab hoc ad primum, gradiamur. Alter Ordo eſt Alphabeticus: quo uti licet, quoties plura nomina prolaturi priùs ea, quæ initium prioribus ex abecedariis elementis ſumunt, recenſemus. Poſtremus denique rerum Ordo Voluntarius omninò eſt nobis; cùm, vel res non unam magis, quàm aliam diſpoſitionem exigit; vel quæ aderat, hujuſmodi exigentia è componentium Orationem fugit mente. Quibus in eventibus laudabilis videtur induſtria res numeralibus deſignare nominibus: quæ & ipſa, non modò indicia; ſed & partes ſint rerum, quæ proferuntur. Sic recenſere ſi velis octo Beatitudines, téque ejus diſpoſitionis ratio prorsùs lateat; dicas, octo poſuiſſe Chriſtũ Dominum; Pauperum ſpiritu primam; ſecundam Manſuetorum; tertiam Lugentium; &c.

Quantùm verò Reminiſcentiæ conferat hic Ordo, conſpicuum ex eo; quod de Simonide vulgò narratur, aut fingitur. Cùm enim grande paratum eſſet convivium in honorem inſignis cujuſdam victoriæ, (quam reportaſſe Scopã nobilem Theſſalum, quidam dicunt; alii alium) Encomiaſticon victori poema cecinit Simonides, conventione præmiſſa de mercede. Poetarum tamen more in laudes Caſtoris, Polluciſque digreſſus, cùm ſolam victoris laudi dediſſet partem: partem tantùm mercedis ipſe reddidit victor, dicens, reliquum à Polluce Caſtoréque petendum. Convivabantur interim omnes; quos inter Simonides: cùm re-

refert nuncius, adoleſcentes duos (quos Pollucem, & Caſtorem putat eſſe ſuperſtitioſa Gentilitas) equis advectos nimio deſiderio Simonidem advocare. Egreditur is: neminémque reperit. Sed mox triclinium corruit: convivásque cæteros ita contundit; ut non ora modò oppreſſorum; ſed ne membra quidem aliqua requirentes ad ſepulturam propinqui valeant diſcernere. Tum Simonides memor ordinis, quo quiſque diſcubuerat, ſuis ſingula reddidit corpora. Eóque monitus facto Localem indè ad Realis inſtar Memoriam dicitur inveniſſe. Nec longè diſſimile illud Scevolæ: * qui in luſu duodecim ſcruporum, cùm prior calculum promoviſſet, eſſétque victus; dum rus tende et, repetito totius certaminis ordine, quo dato erraſſet, recordatus rediit ad eum, quicum luſerat: iſque, ita factum eſſe, confeſſus eſt. *Quint. inſt. 11. c. 2.*

Signis porrò Realibus utuntur; quicunque paginam, ejúſque partem, qua quidlibet continetur, obſervant tùm in addiſcendo; tùm in repetendo à Memoria, quod ei commiſerant. Quam artem ipſa videtur cunctis inſinuaſſe natura: cùm & eam vel pueri non edocti; ſumma tamen adhibeant utilitate. Inſuper alii cuicunque Orationis paragrapho marginales notas apponunt; quæ, quid in eo contineatur, moneant: ſive numeribus ordinalibus eorum deſignent quemlibet; ut, qui priùs, quive poſteriùs ſit proferendus, advertant: ſive parvulam appingant imaginem ſubjecti indicem, de quo præcipuus in eo Orationis fruſto ſermo eſt; ut * navigationis anchoram; ſpiculum belli; & ſic de cæteris: ſive deinum utrunque ſimul; tùm ſcilicet numeros, tùm imagines, quę & res, & earum innuant ordinem, adhibentes. *Quint. ibid.*

RUDIMENTUM II.
De Memoria Locali.

IMaginarius Ordo, ſeu Localis Memoria, tanquam cera locis utitur, inquit * Cicero, & in his imagines veluti literas collocat: utrunque tamen ſoli inſiſtens Imaginationi. Hinc, ut varios, qui à pluribus traduntur modi, paucis reſtringamus, duo pro hac obſervabimus arte: *Partit.*

te:

ϛe: Locos ſcilicet imaginarios; & Figuras, ſeu ſigna in iis reponenda.

LOCIS igitur hæ præſcribuntur regulæ. Primò quidem, ne partialia Loca, in quæ totalē imaginatione diſtinguimus, nimis ampla, vel arcta nimis eligantur: ſed tanta; quanta, & figuram recipere valeant apponendam; & ſint notatu facilia; & memoriam itineris magnitudine, atque difficultate in reperienda, veluti muſca aperto in aere, moderatæ magnitudinis imagine, non fatigent. Undè videtur apta januæ menſura, vel cellulæ, plùs, minúſve. Secundò, nec propè, nec procùl omninò ſint: confunderetur enim; aut itinere laſſaretur imaginatio. Determinatam attamen interjiciendam diſtantiam non unam omnes aſſignant: alii nanque triginta pedum; alii verò decem, octo, aut pauciorum exquirunt, uſque ad ſemiulnam. Mihi tamen ea videtur ſufficere; quæ proportionatè mediare ſolet unam inter, & aliam religioſæ cellulæ januam. Vel, ut univerſaliùs dicam, quantam ſibi facilè percurribilem quiſpiam experiatur: plura nanque Locorum genera ab aliis adinventa videbimus infrà; quibus nulla ex enumeratis apta menſuris. Tertiò, ut mediocris ſint altitudinis: ne cogamur oculos, aut ad cœlum ſemper attollere; aut deprimere ſemper ad abyſſos. Quartò, ut cuncta ſucceſſivè eodem ex latere, rectáque lineâ ſituentur: ne per ſaltum incedens imaginatio ab uno ad alterum transgrediatur, relicto medio. Undè monent & alii, quo ſint ordine percurrenda: à læva ſcilicet ad dexteram eo, quo ſcribimus, aut legimus, modo; cunctis interim Locis manentibus præ conſpectu. Quintò, notabilem ut habeant aliquam inter ſe diſſimilitudinem; quæ unum indicet præ alio. Quam ex ſe niſi habebunt, poterimus ipſi imaginationi tribuere: ut ſi duabus ex januis clauſam alteram; alteram effingemus patentem. Sextò, ut nimia obſcuritas, aut oppoſita claritas talibus è Locis exulet: utrunque enim, quemadmodum reipſa objectum oculis, ita & menti oculorum inquiſitionem tunc imitanti eſt noxium. Quare tenebroſis Locis lumen imaginatione addatur efficta face, vel ſimili ſplendoris cauſa: clariora verò ſuffundantur tenebris ad crepuſculorum tempora confugiendo. Septimò, omninò ut vacua quapiam ſint figu-

ra; quæ diſtrahere mentem poſſit: figuras nanque eas addere noſtrum erit; quæ rerum ſolæ ſint imagines. Undè non ritè aſtruerem apertum bibliothecæ, vel viridarii oſtium. Nec iis aſſentio: qui ſingulis in Locis ſingulas repoſitas volunt perſonas nobis notas; quibus geſtanda rerum tradatur imago: quaſi efficaciùs ab iis, quæ novimus, excitetur Memoria. Hoc enim ipſum eſt noxium: ſuâque tenacitate impediunt ejuſmodi figuræ; ne ad ſigna, quæ geſtant, attendamus; & ne, quem novimus Monachum, ut opus eſſet, Regem imaginemur, aut Sponſum. Octavo demum, ut ſtabilia Loca ſint, altiùſque noſtræ impreſſa Memoriæ: ne dum ea veſtigatura mens errat, rerum obliviſcatur, & imaginum. Hinc inſtar reliquorum omnium, quę Memoriæ traduntur, & ipſa quoque ſunt imaginatione repetenda frequenti. Si verò iiſdem contingat utendum, quibus præcedentis jam prolatæ Orationis inerant imagines; monendum præ omnibus; ut recenti vacuorum imaginatione Locorum eorundem à figuris prioribus penitùs expurgentur.

Multiplices porrò numerantur Loci. Primus horum (iſque principalior) Moles aliqua; ut templum, ara, aut palatium; cujus diſtinctas partes ſuo imaginemur ordine: ut ſi palatium excurſuri, priùs veſtibulum; dein atrium; indè impluvia; ac ſucceſſivè ſingula cubicula; imò & eorum partes; è ſingulis peculiaria eruentes Loca, circumeamus. Cui affinis ille: qui Religioſorum clauſtra docet percurrere; cellulis quibuſque, ad ſimilitudinem evitandam, peculiari ſigno diſtinctis, quod incolæ ſuggerat munus: ut clavibus janitoris cellam notando; Abbatis fores pedo; & ſimilibus. Secundus apud Panigarolam eſt congeries tot Civitatum, quas novimus; quot nobis alphabetica ſunt elementa; quæ ſingularium urbium nominibus dent initiũ: ut Agrigenti, Bononiæ, Catanæ, Drepani, ſimiliterque de cæteris. Vel faciliùs ordinata Civitatum aliquot ſeries, quas incoluimus aliquando: quarum in ſingulis quinque unius, totidémque alterius ſexus homines diſtinctis reponantur Locis, à fœminis incipiendo; (quæ proinde omnes imparia retinebunt Loca, paria maribus occupantibus) adhibitis quoque ſingulorum ſtatuum diſcriminibus; ut, ſi ex fœminis vidua hæc;, nupta illa; & ex maribus hic

monachus, ille ſponſus delinetur: quibus perſonis ſingulis rerum figura, quæ principalis eſt, geſtanda tradatur. Verùm hic tot diſcriminantibus ſignis, & figuris mentem obruet. Tertius partes humani corporis plures deſignat effiſta hominis Statua: in qua primus (ut exemplum innuā) Locus dextero concedatur pedi; ſecundus cruri; tertius genu; & de ſingulis pari diſtributione. Eiſque ſimilis eſt manus in ſuas partes diviſio ſtabilibus notatas ad differentiam ſignis: ut ſi extremum auricularis articulum deſignet luna; medium circulus; tertiúmque quadratum; cæteris pari ratione diſtinctis. Sed & hic uterque plurimis non caret incommodis modus: qui loca minutiora, & æquo propinquiora, & pluribus figuris occupata præſcribit. Quartus univerſum excurrit emergens ex Inferno ad Limbum puerorum; hinc ad Purgatorium; indéque ad Patrū Limbum; donec ſucceſſivè Terram, Aquam, Aërem, Ignem, Cœlóſque ſingulos prætergreſſus ad Paradiſum uſque perveniat: atque in horum quolibet plura partialia obſervat Loca; quæ perſonæ aliquot inibi commorantes innuant. At quàm non abſterret horror inferni: quàm non attrahit mentem gloriæ felicitas: ut non facilè permittant ad imagines rerum, quæ repetendæ ſunt, advertere? Quæ non ibi profunditas; hic ſublimitas? Ne de Locorum dicam deſignabilium, aut magnitudine nimia; aut nimia multitudine: quarum altera vitari non poteſt. Utque diſtractionem taceam à figuris ad diverſitatem affigendis inductam.

inſt. 11. c. 2. Undè meritò deridetur à Fabio* Metrodorus: qui ſi in duodecim ſignis, per quæ ſol meat, trecentos, & ſexagenos profitebatur inveniſſe Locos: *Vanitas nimirùm fuit, atque jactatio circa Memoriam ſuam potiùs arte, quàm natura gloriantis*. Nos autem, quibus, nonullis aliis minoris momenti relictis modis, hos innuiſſe ſufficiens, ad Imagines convertamur.

IMAGINES has habent leges. Primò, ut nimia figuræ vitetur parvitas, aut magnitudo; iiſdem, quas de Locis diximus, rationibus. Apta autem hominis erit ordinaria ſtatura ad magnitudinem Imaginum menſurandam. Quòd ſi parvę ex natura ſua rei erit Imago; putà mali, vel floris; ſuppleri defectus poterit, ſive multiplicatione plura acervando

vando mala, pluréſve flores alligando in faſciculos: ſive ad connexa recurrendo; ut exprimendo plantam pomis onuſtam: ſive id tale alicujus manibus annectendo. Si verò magna: poterit pictorum more minor effingi: aut quid pro ea ſupponi; ut pro cœleſtibus globis materialis Aſtrologorum ſphæra: aut ejus ſola delineari pars, quæ totum haud minus aptè repræſentet. Quod & ingenioſiſſimus ille præſtitit artifex: qui requiſitus, ut arctiſſima in tabula leonem naturalis ſibi magnitudinis coloraret; ſolum depinxit unguem, addito lemmate: *Ex ungue diſce Leonem.* Secundò, ut activitas notabilis Imaginibus tribuatur: ſic enim acriùs excitant animum; ut de Metaphoris (quæ Imagines quædam ſunt) activitatem exhibentibus eſt dictum. Undè iratum hominem imaginaturi, eum mordentem digitum aſtruamus: & potiùs, quàm ſolum flumen, ejus iconem; nudum ſcilicet ſenem verſantem urnam imaginemur. Tertiò, ne mox requiſita activitas omninò ſit impropria: qualis eſſet volatus hominis. Ægrè enim id mens comprehenderet. Permittitur tamen, ſi geſtum id repræſentat, cujus volumus recordari; ut Icari, Dædalique fabulam. Quòd ſi aliunde cogemur arduum aliquod exhibere; putà aquilam, quæ, ne volatu Memoriam laſſet, in terris degat; tunc improportionem aliquo leniemus artificio; ut ſi eam catena vinciemus; à qua, volare cupiens, detineatur. Quartò deniquè, ne idem locus plures contineat Imagines confuſionem neceſſariò generaturas. Undè longam expreſſuri hiſtoriam, vel ejus principale geſtum, quod cætera ſecum revocet; vel ſingulas ejus partes ſingulis ſucceſſivè in locis delineabimus.

Dividitur & ipſum quoque Imaginum genus juxta earũ varietatem, quorum Reminiſcentiæ deſerviunt. Sunt enim Imagines, aut Rerum in Oratione ſignificatarum; aut Vocum ſignificantium, quantùm ad materialem earum ſonum, vel figuram; aut Numerorum.

RERUM itaque Imagines aliæ ſunt habentium proprias figuras, & has facillimum eſt invenire: aliæ non habentium; cujuſmodi ſunt interni actus animi, aut virtutes. Et harum quidem aliquæ idealem ſortitæ ſunt apud eruditos pictores Imaginem: qualis eſt aſpectus alati ſenis, ſed clau-

di, clepſydram dextera geſtantis pro Tempore deſignando: aliæ tamen non obtinuere hujuſmodi; vel ſi habent, ea nobis haud innoteſcit. Et pro his poterit à nobis Imago pluribus è locis hauriri. Primò nanque per Cauſas incedentes Efficientis Imaginem pro Effectu delineabimus; vel econtrà: ut campanam pro ſono; vel pro dolore lachrymas. Secundò Subjectum pro Forma: ut pro amaritudine abſynthium; & pro Theologiâ D. Thomam, qui ea inſigniter enituit. Tertiò Symbola, aut Hieroglyphica pro re, ad quam denotandam transferri ſolent: ut pro tonitru bombardam è nubibus procedentem; & pro Deo ſceptrum oculo ſubjectum. Quartò ad reliquas Circunſtantias, & adjuncta recurremus: ut exprimendo pro ægro decumbentem hominem, ſuique pulſus periodos obſervantem; & pro Vere hirundines id temporis comitantes.

VOCUM verò Imagines, (ut calamum ad pauciora, faciliorâque reſtringamus) aut Sonus oſtendit proprius; aut elementorum, quibus componuntur, Figura; ad quam etiam accentuum, interpunctionúnque notas reducunt.

Et Figuræ quidem elementorum, plurium cum imaginibus rerum habere quandam ſimilitudinem poſſunt; juxtà quorum proinde formam lineentur. Pro exemplo verò unum tantum innuere; alterúmque ſat erit exponere alphabetum: quæ duplicem elementorum communiſcendi figuras contineant modum. Primus autem horum plures imaginari docet homines, ſingulos pro elementis ſingulis ea imitantes ſigna; quæ digitis deſignant pueri, dum in ſcholis loquentes videri à condiſcipulis optant, audiri nolunt à præceptore. Quam ingenioſiſſimam artem inveniſſe dicuntur Siculi; dum in antro Syracuſano auris inſtar efformato detinerentur. Cùm enim, quæcunque hi dicerent, Dionyſius ex artificioſo quodam foramine, quod inter carceris fornicem, Regiíque pavimentum cubiculi patebat, exciperet; ne audirentur, ſigna pro vocibus adhibebant. Alter verò is eſt; ut ejus vi perhibeat

A circinus apertus, & ſtans:
B dolium:
C curvata luna:
D Sagittarius arcus à ſiniſtris habens nervum:
E ſerra:

F, G

F, f, falx:
G limax:
H ſedes:
I columna:
L ſecuris ferro deorſum graveſcente:
M tripus:
N, n, furca:
O cucurbita:
P pedum:
Q malum punicum cum ramo:
R forceps:
S ſerpens intortus:
T malleus:
V circinus cœlum aſpiciens:
X Crux Divi Andreæ:
Z aſcia ſtans ſuprà manubrium.

Pro interpunctionibus verò, & accentibus, Gravem ˋ, Acutúmque ˊ Accentum deſignat pertica huc, aut illuc inclinata; quæ duplex mutua declinatione innixa denotat Circumflexum ^. Apoſtrophen indicat falx figuræ verborum ſupereminens: eadémque ſuppoſita Commà notat: ac duplicata Parentheſim. Punctum deniquè unicum, aut multiplex ligneæ indigitat ſphęra, ſeu plures pilæ. Hæc tamen nimiā habent, minutámque ſolertiam.

Sonum quoque Vocū duplicis exhibent generis Imagines. Poteſt enim ad Etymon recurri; ut eā pingantur, è quorum nomine Voces eæ ducūntur: ut ſi hominem ciceres comedentem imaginemur pro Cicerone. Poſſunt etiam à rebus iis Imagines peti, quæ vel omninò ſimilem, vel paucis duntaxat variatis, ferè ſimilem habent Vocis appellationem. Similem omninò quæ habent, alia Univoca ſunt; nempè ejuſdem ſpeciei, ut ſi, meminiſſe volens infeliciſſimi Anglorum Regis, ſuæque libidinis vernulæ, Henrici Octavi, amicum Henricum nomine pingerem coronatum. Alia ſunt Æquivoca; ſpeciei ſcilicet diverſæ; ut ſi terreſtrem canem ſtellis ſeptum pro cœleſti cane, aut pro Voce *Re* muſicam notam, cujus eadem eſt nuncupatio, delinearem. Sic Batrachus, & Saura nobiles architecti è Græcia Romā advocati, ut Octaviæ celebre templum linearent, cùm ſibi, quod optabant laboris pręmium, propria ſcilicet incidere nomina, negaretur; Romanis illudentes inſculptis lacertis, ranīſque parietes diſtinguendos præceperunt; quarum nomina *Saura*, & *Batrachos* proferunt Græci. Quæ tamē variatā, ſimilem tamen aliquàtenus habēt Vocē: in iis varietas, aut Additio eſt; oppoſitáve Demptio; aut diverſa

Vocum

Vocum Compoſitio; vel Sejunctio: aut elementorum Mutatio: aut denique eorundem, accentuúmve Tranſpoſitio. Additio autem, vel Demptio, haberi quandoque poſſunt in principio: ut ſi aprum depingas capite truncato ad notandam particulam *per*; cui præmiſſo *A* veluti capite *Aper* emergit: vel ſi tubam pro *Rutuba* flumine priori ſyllaba literis præexpreſſa. Aliquando habentur in fine: ut ſi Amor pede altero amputato pro *Amo*; vel pro *Pavor* pavo deſcribatur. Nonnunquam verò habentur in medio: ut ſi allium pro *Alium*; vel ficus pro *Fictus* concipiatur. Compoſitio verò, ac Disjunctio (ſive integras Voces; ſive ſyllabas; aut etiam ſola afficiens elementa) quæ diſtincta ſunt, in unam redigit figuram; quæ unita, dividit in plures: ut, olim de Anagrammatibus, eſt dictum. Sic tumulum pingeres ad denotandum *Tu mulus*, eum imitatus, qui lepidè nothi cujuſdam cineres hoc inſignivit Epitaphio: *Tumulus*. Mutatio (quę vulgaris eſt, & propria Paranomaſię) fit in una alteráve litera; ſive conſonans ſit; ſive vocalis: ut ſi catenam pro *Catana* depingeres: quæ tamen variatio aliquo notari debet ſigno, ut dignoſcatur, quo mox dicemus modo. Tranſpoſitio quoque, ſi unius, aut alterius fit elementi, vel etiam accentûs, ut ferè idem Vocis remaneat ſonus, (quæ Paranomaſia & ipſa potiùs eſt) Memoriæ deſervit Locali. Si enim in Anagramma tranſit, partibus ita tranſpoſitis, ut vix ſonus retineatur prior; (ut ſi Amorem delinees pedibus cœlum verſus extenſis pro *Roma*) parùm tunc confert ad præſens intentum; licèt Ænigmati plurimùm deſerviat.

Attentis porrò prædictis de Sono legibus, ſuæ quibuſque Imaginibus adhibendæ notæ; quę faciendam denotent variationem. Additionem hinc ut indicarem faciendam, apponerem, ſive initio, ſeu capiti; ſive fini, ſeu caudæ, pedibúſve; ſive medio, ut femori ejus figuræ, aliquod hoc deſignans ſupplementum: ſicque pro Voce *Pavor* pavonem deſciberem, forcipem alligando ejus caudæ. Demptionē ut monerem, aliquid ex figura auferrem: quare pro *Per* aprum amputato capite pingendum monuimus. Compoſitionem innuerem figuras ſibi invicem alligando: ut pro *Cornix* cordis infimā immergēdo cuſpidē nivi. Diviſionem

verò

verò disjungendo, ubi eſt opus: ut ſi tumulum depingerem, cujus frontem tres cęlaturę diſtinguerēt, quarum primam à reliquis ſegregaret ejuſdem tumuli rima, pro exprimendo *Tu mulus*. Mutationem etiam deſignarem ablatione ſimul uſus, & additione: undè pro *Catana* catenam exprimens mediam diſrumperem; è qua annulo decidente literæ E imagini, nempè Serræ, pendenti annexo, duas catenæ partes alligarem intermediante circino ad literam A ſuggerendã. Tranſpoſitionem denique, vel oſtenderem inverſam colorando figuram; vel ejus partem aliquam è ſuo ablatam loco alio in loco reponendo: ut dum pingerem Cupidinem ſeu Amorem pedibus ſurſum protentis cervice deambulantem pro *Roma*; vel pedibus amputatis, & ſupra caput poſitis pro *Ramo*.

NUMERORUM jam hic Imagines aſſignandæ. Habere autem has primò poſſumus Imagines depingendo rerum, quę ſuo nomine vocem numerum aliquem exprimentem imitentur, aut omninò, aut tenui admiſſa variatione. Sic Divum Secundum imaginarer, aut Xyſtum Pontificem ad retinendos numeros *Secundum*, vel *Sextum*. Quod etiam econtrà valet in depingendo numero; cujus nomen eandem habet vocem cum rei nuncupatione, quam volumus memorari: ut ſi *Xyſtum* ad denotandum Pontificem Sextum numerum figurarem. Habere ſecundò poſſumus ipſorum cudendo numerorum figuras; ſive quæ vulgò adhibentur; ſive quibus priſci utebantur Latini; ut 1. vel I. pro unico ſtet numero; & ſic de cæteris. Habere denique tertiò valemus rerum Imagines incidendo, quibus cum figuris mox dictis, aut cum poteſtate numerorum aliqua ſit proportio. Cujus rei ſubjiciam exemplum: in quo promiſcuè ex alterutro capite Imagines deſumam; ut deſignet

I Columna:
II, vel 2. columnæ Herculeæ, vel uncus:
III tridens:
4 cucullus Capuccini:
5 ſerpens:
6 limax caput extrahens:
8 compedes; aut nudum clepſydræ vitrum:
9 malum cum ramo:
10 columna cum circulo.

Ad

Ad proſequendam verò deinceps enumerationem duo modi præcipui. Alter ſcilicet aliquo inter ſeſe annectere prædictas figuras artificio: ut ſi unco circulum appenderem, quem cauda vinciret ſerpentis dentibus normam ſtringens ad habendum numerum 2057. Alter verò partes alicujus ſtatuę diſcernere: ut pes ſiniſter numericæ figuræ ſit locus; (à ſiniſtra nanque ad dexteram percurrendo numeramus) lęva manus decenarię; humerus ſiniſter centenariæ; millenarię pectus; myriadum recipiat notam dexter humerus; & ſic de cæteris ſucceſſivè. Undè prædictum numerum 2057. exprimerem hominem depingendo: cujus è pectore uncus penderet; ſiniſtram ſerpens ambiret; pes verò itidem ſiniſter calcaret normam. In hoc enim caſu nihil expediret humero ſiniſtro tradere: is nanque figuræ expers ſatis deſignat, nihilum loco centenarii computandum. Sed ſi malueris, nudum poteris humerum non incongruè repræſentare.

Quoniam verò, ex iis, quæ hactenus diximus, poteſt eadem Imago plura denotare: ut Serpens literam *S*; numerum 5., Serpentem ipſum; & vocem hanc, *Serpens*, modò ſubſtātivo nomine, modò adjectivo, numero, & caſibus non ſemper iiſdem: proponunt hinc nonnulli notas quaſdam diſcriminantes; quas nos curſim innuemus, viam ſolùm aperituri, relinquentes autem omnibus variè pro genio commutandi libertatem: *Præceptoris* enim* *eſt docere, quemadmodum quæri quidque conveniat; & unum aliquod, aut alterum; non omnia, quæ ejus generis erunt, exempli cauſa ſubjicere: quò res poſſit eſſe dilucidior.* Itaque (ut monere ſolent) cùm pro re ponitur figura, nihil addatur: cùm pro voce, muſicorum annectatur ei tabella: cùm pro numero, inſeratur calamus, pręcipuum ſupputantium inſtrumentum. Inſuper exprimatur actio, ad quam, vel cujus ad effectum denotandum aſſumitur: ut figurando contractis labiis Serpentem, exertiſque dentibus, quibus inhæret venenum, ad venenum ipſum ſignificandum. Ea propter etiam, caſus ut diſtinguant alii, ſtatuæ, quæ principalem refert Imaginem, ſex diſtinguunt partes: ut caput Rectum deſignet; arguendi caſum pectus; dextera dandi; accuſandi lęva; pes dexter vocandi; ſiniſter denique pes auferendi.

Herenn. l. 3.

rendi. Ut pariter verborum diſcriminent modos, ſtatuam, cui imaginem tradunt principalem, diverſimodè ſituant; ut pro Indicativo protendat indicem, aliquid veluti demonſtrans; pro Optativo palmas ad cœlum inſtar deprecantis elevet; pro Infinito non tota appareat, & completa. Denique horas deſignaturi clepſydram imaginari docent; quam tot extenſis ſtatua tangat digitis, quot horæ ſunt ad quintam uſque; pro ſexta verò clauſa teneat manu: ut tamen, ſi capiti adhæreat clepſydra, ſex ſemper excurſæ jam prçſupponantur horæ; ſi humero, duodecim; decem, et octo, ſi pendeat ante pectus; ut vigintiquatuor poſſit horarum numerus computari.

Et hæc quidem de Memoria libanda occurrebant. Quæ tamen, quantùm ad Localem attinet, fateor; licèt à gravibus deſumpta auctoribus; (quos inter * noſter Areſius) maxima ex parte potiùs eruditioni, quàm uſui Reminiſcentiæ deſervire: ſi legem excipias propriis figuris res, & geſta delineandi. Si enim toti in Locis eſſemus, omnénque in iis reponeremus fiduciam; eveniret nobis, quod Porcio Latroni ſcholis tantùm aſſueto, teſtante * Fabio, contigit. Is nanque (clari alioqui nominis profeſſor) cùm ſibi ſummam in ſcholis opinionem obtinenti cauſa in foro eſſet oranda; impensè petiit, ut ſubſellia in Baſilicam transferrentur, ubi ſua diſtribuerat loca: *Ita illi cælum novum fuit; ut omnis ejus Eloquentia contineri tecto, & parietibus videretur.* Proderunt ea tamen haud parùm ænigmaticè ſcribere volenti; & per imagines, non Hieroglyphicis modò, ſed & Æquivocis, & Alliterationibus, aliiſque pluribus Rhetoricis permiſtas locis, ac figuris: quæ commodiorem, communiorénque alium non videbantur habere locum. Hic igitur ſemel ſcripta remaneant; finénque præceptionis hujus habeant: dum nos ad extremum Oratoris munus progredimur; nempè Pronunciationem.

Art. pred. l. 4, à c. 3.

Inſt. 10. c. 5.

PARS QUINTA
DE PRONUNCIATIONE.

1.*Inv.* PRonunciationem; quæ à Tullio definitur *Ex rerum, & verborum dignitate Vocis, & Corporis moderatio*; ſcriptis regendam præceptis aggredimur; provinciam omnium difficillimam. Non enim (ut loquitur * auctor
lib.3. ad Herennium) ſum neſcius, quantum ſuſcipiam negotii; qui motus corporis exprimere verbis, & imitari ſcriptura coner voces: verùm ne hoc confido poſſe fieri; ut de his rebus ſatis commodè ſcribi poſſit. Sed non ideò hoc, quod faciam, fore inutile putabo: propterea quòd hìc admonebo, quid oporteat, reliqua tradens exercitationi. Animũ verò ad laborem ſufficit hujus muneris in orando præſtan-
3.*Rh.1.* tia. Licèt enim, ex Ariſtotelis * mente, tota de Pronunciatione res eſſet levis, ac importuna: ut tamen idem ipſe fatetur; cùm omnis ars dicendi ad opiniones hominum accommodetur; ei curam, & ſtudium impendere debemus; non tanquam rectæ, honeſtæque rei; ſed tanquam neceſſariæ. Juſtum enim eſto ipſis tantùm rebus contendere; cætera verò omnia, quæ præter probationes adhibentur, ſupervacanea reputare: ſed tamen adhuc propter auditoris vitium plurimùm valebunt. Quapropter & inſinuationis nonnunquam ordine diſponuntur argumenta: & artificioſa ſemper explicantur Elocutione. Aut certè ex eo ſaltem capite ſupervacaneum haud erit Pronunciationis
inſt.2.c.13. artificiũ: quòd (ut advertit * Quintilianus) indè diſertus Orator ineruditorum vitia, vulgò quanvis laudata, diſcernat, fugiátque. Hi enim Pronunciatione quoque famam dicendi fortiùs quærentes; & clamant ubique: & omnia levata, ut ipſi vocant, manu emugiunt: multo diſcurſu, anhelitu, jactatione, geſtu, motu capitis furentes. Jam collidere manus: terræ pedem incutere; femur, pectus, frontem cædere:

dere: quod mirè ad pullatum circulum facit. Cùm ille ſtudiտus, ut in Oratione multa ſubmittere, variare, diſponere; ita etiam in pronunciando ſuum cuique eorum, quæ dicit, colori accommodare actum ſciat: & ſi quid ſit perpetua obſervatione dignum; modeſtus, & eſſe, & videri malit. *At illi hanc vim appellant; cùm ſit potiùs violentia.*

Hinc, ex auctore ad Herennium, * omnibus reliquis Oratoriis muneribus æquivalet unum hoc: *Et commoda Inventiones; & concinnæ verborum Elocutiones; & partium Cauſæ artificioſæ Diſpoſitiones; & horum omnium diligens Memoria ſine Pronunciatione, non plùs; quàm ſine his rebus Pronunciatio ſola valere poterit.* Proinde Gracchus à Cicerone * relatus; pro ſua cùm diceret cauſa, ac Miſerationem excitare vellet; tali uſus eſt oculorum, geſtus, vocis actione; ut ex inimicis ipſis lachrymas extorqueret. Undè noris, quàm ritè Pronunciatio viſa Divo Auguſtino * fuerit *Res in Oratoria officina; vel prima; vel ſola.* Ob id interrogatus Demoſthenes: quænam pars principem Rhetoricæ locum locum teneret? meritò, *Pronunciatio*, inquit: quænam ſecundum; aut tertium? *Pronunciatio*, ſemper reſpondit. Feceratque ſibi idem * experimentum. Suarum nanque in Actionum initio, reliquis in partibus cæteroqui egregius, ob ſolius Pronunciationis defectum ingratiſſimè audiebatur; ac deriſus, & confuſionem potiùs, quàm victoriam reportabat è foro: quòd voce raucus; lingua, præſertim à literæ R prolatione, impeditus; corpore diſtortus, humerum alterum indecenter in agendo elevans; ac populi frequentiam, & tumultum uſque ad Orationis oblivionem reformidans. Comicum ergò quendam, Satyrum nomine, præceptorem adhibere non eſt dedignatus: cujus è palæſtra dimiſſus ulteriorem adhuc applicuit exercitationem. Pectus itaque labori aptabat, plures unica reſpiratione, etiam haud rarò currens, recitando verſus. Interim ſubterraneis propè litus incluſus antris formidinem deludebat inter fluctuantium undarum fragorem populorum ſtrepitui non abſimilem declamando: gravatam lapillo domabat linguam: ſuſpenſóque nudum ſupra humerum gladio; cujus acies evaginata vulnus erranti minaretur; terminos motui præfigebat:

lib. 3.

3. de Orat.

princ. Rhet.

Plutarch. in Vit. Demoſth.

gebat: donec ex illis ſpecubus dulciſſimæ, perfectiſſimæque Pronunciationis eſt egreſſus Orator: quaſi ad Vulcani fucinam deſcendiſſet dirigendus; & ab illo inordinato malleorum fragore melos hauſiſſet perjucundum.

Dividitur autem Pronunciatio communiter (ut ex ipſamet definitione conſtat) in eam, quæ Vocem regit; & eam, quæ Corporis motus. Primam vocare ſolent propriè Pronunciationem: nos tamen ad diſcrimen à genere Prolationem vocabimus. Secunda verò nomen Actionis obtinuit; quanvis & hoc toti, quæ profertur, Orationi ſoleat haud nunquam tribui: ut vel indè pateat, quantùm ea, quæ minima quibuſdam habetur, Pronunciationis pars valeat; quæ nomen toti ſuggerit Orationi. Verùm antequam ſingulas haſce partes explicemus ſeorſim, quaſdam utrique communes leges proponere neceſſe eſt.

Generalis itaque ſit regula: Primò arrogantiam omnem compeſcere: ſed tamen timidum, ac nimis verecundum non eſſe: utrunque enim æquè vitium eſt. Ipſa nanque verecundia (ut Quintilianus * loquitur) vitium, ſed ut plurimùm amabile; & quæ virtutes facillimè generat; eſt interim Oratori nimis adverſa: & multis in cauſa fuit, ut bona ingenii, ſtudiique non prolata ſitu quodam ſecreti conſumerentur. Indè quoque confuſio, & cœpti pœnitentia, & ſubitum ſilentium: *Ut nemo ritè jam dubitare valeat vitiis aſcribere affectum; propter quem facere honeſtè pudet*. Et timor utique eliminatur, ſi benè commiſſum Memoriæ fuerit, quod eſt dicendum; ut adſit opportunè reminiſcendi fiducia: aut vires ſuppetant quodcunque opus erit oppidò proferendi ad Memoriæ, cùm contigerit, defectum reſarciendum. Inſuper, ſi rei, quæ dicitur, momentum attenditur; non plauſuum aucupium: imò potiùs credatur, quicunque ad audiendum convenerint, diſcendi, non corrigendi ſtudio conveniſſe. Facit quoque ſecuritatem exercitatio. Sed, quod ſummum in omnibus; in hoc tamen munere (periculoſę quidem aleæ pleno) maximum eſt; proprias omnes ſortes in Dei manibus ponere; qui linguas infantium * diſertas facit: eique, ſacris pręſertim pro Orationibus, toto ſe commendare ex animo; qui ſuis pręconibus

Inſt. 12. c. 5.

Sap. 10. v. 21.

bus verba ſe daturum ineluctabilia * pollicetur. Secundò, *Luc. 21. v.*
quodcunque dicimus, naturam imitando rerum, exhiben- 15.
dum. Quod præſtabimus, ſi nobis ipſis loquemur, quæ-
cunque aliis dicimus; eóſque affectus, & ſenſus in nobis
excitabimus, quos in ingerendo aliis erit laborandũ. Hoc e-
nim, ex auctore * ad Herennium, ſcire oportet: *Pronun-* *lib. 3.*
ciationem bonam id perficere; ut res ex animo agi videatur.
Undè non poſſum ſatis intelligere: quonam artificio non-
nulli; quandocunque ex aliquo vehementi affectu ad op-
poſitum aliud tranſire contigerit; (ut à commiſerando ad
invehendum) aut aliquantò facti alicujus narratione, vel
ſeciùs digredi; ad eundem affectum redituri continuò proſi-
liant ex uno Pronunciationis extremo ad aliud ſine medio.
Quod evenit ut plurimùm iis; qui de Dominica Paſſione
Orationem habentes, intermiſtas eruditiones, & hiſtorias
adeò ſerena fronte, hilaríque recenſent voce; ut ſi omni-
nò perierit tanti myſterii recordatio. Indè contra eum;
qui de morte agens filii, in narrando gratiam illam expo-
ſitionis, quæ ex ſermone puro contingit, atque dilucido,
quæreret, cæteríſque vacaret hujuſmodi leporibus; Quin-
tilianus * ait: *Quò fugerit interim dolor ille? Ubi lachry-* *inſt. 11. c. 1.*
mæ ſubſtiterint? Undè ſe in medium tam ſevera obſervatio
artium miſerit? Non ab exordio uſque ad ultimam vocem con-
tinuus quidam gemitus, & idem triſtitiæ vultus ſervabitur?
Nam, qui intermittere in agendo dolorem poteſt; videtur etiã
poſſe deponere. Solùm igitur moderari aliquátenus; non
omninò mœſta vox illa relinqui debet. Id tamen notandũ:
naturalem hanc in pronunciando imitationem intelligi
circa ea; quæ de ſuo dicit Orator: quæ, verò ex alterius
refert mente prolata; in iis ne penitùs eos imitetur, quo-
rum refert verba. Hiſtrionum enim hoc proprium eſt.
Quod & de Actione ſolertiùs admonebimus. Nunc au-
tem

CAPUT I.

DE PROLATIONE.

lib. 3. Voci tres auctor ad Herennium * partes tribuit: *Magnitudinem : Firmitudinem : & Mollitudinem* ; hoc eſt, ut eam torquere in dicendo pro noſtro poſſimus commodo; quàm nos Flexibilitatem vocabimus. Idémque tradit naturæ, & curæ Magnitudinem: naturæ itidem, & exercitationi Firmitudinem: ſolíque exercitationi Flexibilitatem. De prima autem nihil agit; non pertinente ſcilicet cura ad noſtram Artem: de ſecunda ſolùm exercitationem aliquátenus innuit: totúſque eſt in tertia præcipienda. Verùm, ut, quod ſentio, dicam: natura non ſolius Magnitudinis, ac Firmitatis principium eſt; ſed Flexibilitatis etiam elárgitrix. Plures nanque experimur adeò duræ, obſtinatæque vocis: ut, in quem ſemel eruperint tonum; ultrà non valeant immutare. Curam igitur, exercitationémque ad ſingula vocis munia valere ratum habeo: quibus unà juvantibus alatur vox, cuſtodiatur, ac reſtituatur amiſſa. Non tamen in his explicandis diutiùs immorabor.

l. 3. Rhet. Sit itaque Fortunatiano ſua * lex illa de voce alenda: qua præcipit; ut à lectulo ſtatim corpus ambulando moveamus intra mille paſſus, quod indigeſtum inſidet, agitatione expulſuri; poſt quæ, ſedentes paucá pronunciemus. Fuerit quoque ſuum Tragœdis colendę vocis artificioſa, prolixáque exercitatione inſtitutum: quo, Cicerone * teſte, & annos complures ſedentes declamitabant: & *1. de Orat.* quotidie, antequam pronunciarent, vocem cubantes ſenſim excitabant; eandémque ſedentes ab acutiſſimo recipiebant ſono uſque ad graviſſimum; & quaſi quodammodo colligebant: *Quod nos* (ajebat Tullius) *ſi facere velimus; antè condemnabuntur ii, quorum cauſas receperimus; quàm toties, quoties præſcribitur, Pæanem, aut Munionem citarimus*. Nobis id unum huc pertinere videtur; quod docet

inſt. 11. c. 13 * Quintilianus: vocem deliciis ne molliamus; nec imbuamur ea conſuetudine, quæ duratura non ſit: ſed exercitatio ejus talis ſit, qualis uſus: ne ſilentio ſubſidat; ſed firmetur

tur conſuetudine; quâ difficultas omnis levatur. Reliqua verò ad bonæ Prolationis dotes, quas uſus rerum expoſcit, imitatur exercitatio, reducemus. Cùm enim vocem regat Elocutio; & huic ſit illa conformanda: certè nulla ſolius ob vocis cultum decerni lex valet; quæ tonum, quæ varietatem, ac intervalla præſcribat. Quòd ſi obſervaverit quiſquam, ſuæ vocis vitium nullo ſe valere pacto corrigere: huic Stylum, & Elocutionem, quoad fas erit, accommodet: ut tenuis nunquã exclamet; nunquã ferreus blandiatur. Id enim magis expedire videtur; quàm ingratam Prolationis incohærentia reddere Orationē. Undè Cotta ad infirmitatem laterum perſcienter contentionem omnem remiſerat: & ita virium imbecillitati dicendi genus aptabat; ut feliciſſimè Judicum tractaret animos; & quò lubebat, impelleret. Marcus quoque Antonius, cùm raucam haberet vocē, in bonum id convertebat: utebatur enim egregiè ad flebilem Prolationem, & Miſerationibus opportunam.

RUDIMENTUM I.

Quæ in Voce univerſim obſervanda.

TRia igitur in voce conſidero: Magnitudinem ſcilicet; Qualitatem; & Tempus. Magnitudinem voco; juxtà quam eſt Vehemens, Sedata, ac naturaliter Affluens, vel Remiſſa. Qualitatem dico; quæ vocem reddit Gravem, Sonoram, Claram, Dulcem, Acutam: quæ ſi benè diſpoſitis mutationibus cōbinabuntur, in harmoniam muſico non inferiorem vocum concentui coaleſcent. Quò etiam ſpectat exacta verborum ad conſonantium, vocaliúmque rectum ſonum Prolatio juxtà leges ejus, quo loquimur, idiomatis: & ab eo tyronum errore, quo extimas vocum ſyllabas deglutiunt, abſtinentia. Tempus appello duplicem Prolationis virtutem: quarum altera Diſtinctio, Protractio altera videtur nuncupanda. Et Diſtinctio quidem, ſi eandem ſyllabam ſæpiùs interrumpit; Tremor evadit, rarò ſanè, ſed aliquandò tamen artificioſus: ſi concisa à conciſis, aut à membris, periodíſque membra ſeparat, & periodos; dicitur Reſpiratio: ſi verò verba à verbis diſjungit; Conſtructionem aperit non ab Oratore penitùs negligen-

gendam. Hinc enim eſt; quod de interpunctione ſacri il-
Jo.1. lius * textus, ***Sine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt in ipſo vita erat***, diſſentiunt Expoſitores: ejúſque, ut monet Cor-
in Jo.1.2. nelius * à Lapide, ***Triplex eſt diſpunctio; & conſequenter triplex lectio, & intellectio, triplexque ſenſus***. Alii nanque
Hil. 2. de Trin. S. Hilarium * ſecuti, & S. Epiphanium * ſic legunt: ***Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt in ipſo. Vita erat, &c.***
Epiph. in Anchoratu. Alii, præſertim Latini, cum D. Auguſtino, * Tertulliano, * D. Ambroſio, * Clemente Alexandrino, * & D. Cyrillo ſic
Tert. in Hermog. diſpungunt: ***Sine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, vita erat.*** Communis verò Syrorum, Arabicorum, &
Ambr. 3. de fide c.3. Græcorum, D. Joannis Chryſoſtomi, Theophilacti, Nonni, Euthymii, & Leantii in Catena ſic diſtribuit: ***Sine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat.***
Clem. 1. Pædag. c.6. Protractio verò, ſi ſyllabam gravat alteram; Accentus eſt: ſi totam vocem; Extenſio; quæ in flebili materia, aut dubia, precipuum habet locum. Quæ omnia ſic erunt temperanda: ut neque exceſſus in aliquo committatur; neque defectus; aliúdve vitium: utrumlibet nanque malum eſt.

Et quidem in Quantitate excedunt, clamorem qui adeò
Quint. inſt. 11. c. 3. urgent; ut ſonum edant, cui Græci * ab immaturo gallorum cantu ***Cloſmon*** nomen dederunt. Inſuper, qui fauces eouſque replent; ut majorem ſpiritus partem per nares effundere cogantur: oris interim humorem tanto explodentes impetu; ut eo proximos auditores aſpergant. Necnon, qui (ut Cicero * loquitur) ***ad clepſydram latrare conſueverunt***.
3. de Orat. Cujus rei cauſa; quòd putent plerique, magnum id appariturum, quod magna profertur voce: quos jure merito reprehendit illud Demoſthenis * vociferantem Oratorem ſuaviter arguentis: ***Non quod magnum eſt, benè eſt: ſed quod benè eſt, magnum eſt.***
Plutarch. in vit. Demoſth. Deficiunt verò, qui nimis humili, ac preſſa loquuntur voce; ut vix, quid dicant, audiantur: aut in rebus ſummi momenti ſunt demiſſi. Quod poſtremum faciebat Callidius: cui proinde ſubmiſſa nimis voce querenti aliquando de ſibi parato à Gallione veneno dicebat * Cicero:
pro Gall. ***Tu iſtac, M. Callidi, niſi ficta res eſſet, ſic ageres? Ubi ardor animi; qui etiam in infantium ingeniis elicere voces, & querelas ſolet? An iſta, ſi vera eſſent, ſic à te dicerentur? Tantum abeſt, ut inflammares noſtros***

ſtros animos; *ſomnum iſto loco vix tenebamus.*

Qualitatis non ſervant leges; quicunque, vel gravitatem nimis affectant; vel ſonum; vel dulcedinem. Sed maximè, qui ad ſtridorem uſque vocem acuunt. Quem neque in exclamationibus, ubi concitatus animus vix legem permittit ullam, nimium eſſe patitur * auctor ad Herennium, rationē objiciens: *Acutas vocis exclamationes vitare debemus: ictus enim fit; & vulnerantur arteriæ acta, atque attenuata nimis acclamatione: & ſi quis ſplendor eſt vocis, conſumitur clamore univerſus.* Et paulò infrà: *Acuta exclamatio vocem, & fauces vulnerat. Eadem lædit auditorem: habet enim quiddam illiberale; & ad muliebrem potiùs vociferationem, quàm ad virilem dignitatem in dicendo accommodatum.* *lib.* 3.

Temporis malè metiuntur Reſpirationem; qui, * vel eouſque trahunt; donec deficiant: vel ita crebrò recipiunt; ut ſub aqua depreſſi emerſiſſe videantur: vel ſpiritum cum ſtridore per raritatem dentium, non recipiunt; ſed reſorbent: vel (ut citatus loquitur Fabius) crebro anhelitu, & introrsùm etiam ſonante, imitantur jumenta onere, & jugo laborantia. Quare longiorem dicturis periodum colligendus eſt ſpiritus: ita tamen; ut neque diu; neque cum ſono fiat; neque omninò, ut manifeſtum ſit. Reliquis verò partibus optimè inter juncturas ſermonis Temporis diſpendio ſpiritus revocabitur. Protractionem verò non habent debitam; qui tarditate nimia fatentur inveniendi difficultatem; & ſegnitie ſolvunt animos. Nam * illa quoque inopia, & exilitas, minùs intentum auditorem habet tædio interruptæ tarditatis: undè, &, *in quo eſt aliquid temporibus præfinitis, aquam perdunt*; ut ait * Quintilianus ad priſtinum alludens morem tempus Orationis aqua clepſydræ incluſa metiendi. Nec pariter habent; qui contrà volubilitate nimia, quæ proferunt, confundunt: undè & perit affectus; & nonnunquam etiam verba aliqua ſui parte fraudantur. Ut enim D. Hieronymus * ait: *Celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere indoctorum hominum eſt. Et nihil tam facilè, quàm vilem plebeculam, & indoctam Concionem linguæ volubilitate decipere: quæ, quidquid non intelligit, plùs miratur.* Et quidem: quomodo auditorum animos regere valebit Orator; qui à ſeipſo regi nō

Quint. inſt. 11. *c.* 3.

Sen. Ep. 40. *ad Lucil.*

inſt. 11. *c.* 3.

de vit. Cler. ad Nepot.

Quint. inſt. 1.1.c.3. valet? Promptum igitur * ſit os; non præceps: moderatum; non lentum: ne Iſocratis * judicio, cum Ephoro, aut Theopompo nobis; ſive freno, ſive calcaribus ſit opus. *Æquè enim ſtillare nolo verba; quàm currere: ut nec extendat aures; nec obruat*: inquit * Seneca. Qui proinde Ciceronem commendat: quòd (ut ipſe loquitur) gradarius fuerit. Haterium verò fatuum putat: eoquòd, licèt ingenio prægrandis; (ut Seneca Pater * ſcribit) & qui ſolus iis temporibus orare poſſet ex tempore: ea tamen vi, à ſuimet ingenii urgebatur velocitate; ut de eo Cæſar Auguſtus lepidè dicere conſueverit: *Haterius noſter ſufflaminandus eſt*. Nimium quippe rerum, verborumque non valebat retinere profluvium: niſi quòd ab aſtante liberto (cujus parebat juſſibus) dexterè monebatur, nunc coercere linguam; nunc ſolvere; nunc ad aliam gradum facere materiam; nunc in eadem ſiſtere; nunc denique perorare.

ap. Quint. inſt. 2.c.9.

Seneca ad Lucill.

In proœm. l. 4. controv.

Sed verò nullum ex his vitium magis fugiendum; quàm (quo à nonnullis maximè laboratur) cantandi, muſicè temperando vocis tùm Quantitatem; tùm Qualitatem, & Tempus: quod inutilius ſit, an fœdius, neſcio. *Quid enim* (ut verbis utar * Quintiliani) *minùs Oratori convenit; quàm modulatio? Quod ſi recipiendum omninò eſt: nihil cauſæ eſt, cur non illam vocis modulationem fidibus, ac tibiis; imò, mehercules; quod eſt huic deformitati propius, cymbalis adjuvemus*. Non tamen ita cantum omnem excludimus: ut cum citato auctore non ſimus oſtenſuri; ubi, & quàtenus recipiendus ſit quidam flexus ad tenuem cantum accedens; &, ut ipſe loquitur, *Cantus quidem; ſed obſcurus*. His omnibus tamen vitiis turpitudine haud cedit Uniſonum: quod & Oranti nocet; & Orationi. Oranti quidem: quia id cōmutationes faciunt; ut nullo genere vocis effuſo, in omni voce integri ſimus. Orationi verò: quia ſic, vel ſemper frigeſcet Oratio; vel ſi in exaggerando erimus continui, ſuſpicionem in auditorum animos inducet noſtra vox; quà, cùm aliquid momenti dicemus, adhuc ab audientium vulgo nihil, ex more, dicere credemur. Quare ſit.

inſt. 11.c.3.

RU-

RUDIMENTUM II.

De Vocis apta Variatione.

TOtum ergo legendæ Vocis munus eſt eam aptè variare. Cujus artificii cognitæ neceſſitate, & fructu, eò devenit C. Gracchus: ut, * cùm ad populum concionem habebat, ſervum muſicæ artis peritum Erycinum nomine, poſt ſe teneret occultè, eburnea qui fiſtula, aut nimis concitatum revocans; aut plùs æquo remiſſum, excitans, Pronunciationis ejus differentias modularetur. Undè evenit; quòd remiſſa voce cùm ea proferret aliquando: *Quò me, miſer, conferam? In Capitoliumne? At fratris ſanguine redundat. An domum? Matremne ut videam lamentantem, & abjectā?* &c. lachrymas vel ex ipſis excuſſerit inimicis. At verò Erycinus noſter, noſtráque erit fiſtula triplex diligens prò dignitate obſervatio. Primò nanque attendendum eſt Perſonarum, Oratoris ſcilicet, auditorúnque, circunſtantiis. Secundò Rerum eſt reſpectus habendus; quarum vel ſingula non rarò verba continent ſignificationem. Tertiò deniqúe ſunt affectus conſiderandi, ſivè cognoſcitivás; ſivè appetitivas immutantes potentias: quos non res modò; ſed & dicendi formulæ requirunt in Oratore. Quartum enim, quòd ab aliquibus additur, partium ſcilicet Orationis obſervatio, ſatis ex dictis capitibus deducitur, ab attendente ad cujuslibet partis naturas: necnon etiam ad faciliorem applicationem notabitur à nobis in propriis ſingularum partium locis ſequenti libro.

Val Max. l. 8. c. 10.

PERSONARUM itaque circunſtantiæ reſpiciendæ. Nā, ut dicere alia aliis, & apud alios magis conceſſum eſt; ſic etiam alio, vel alio dicere modo. Noſter proinde Orator ſi ſacer ſit; auctoritatem præſeferat in publicis Orationibus: (in privatis enim modus eſt juxtà auditorum genus ſervandus) Concio nanque moneri, doceri, reprehendi expectat Apoſtolicâ libertate: dummodo tamen, verba cùm ad peculiarem hominem convertere acciderit, ſit ejus dignitati reſpectus. Si verò Sæculari vacet Eloquentiæ; magis ad affabilitatem, ac venuſtatem declinet: non enim

aliam perſonam ſuſtinet; quàm ſuam. Utrumvis tamen agenti ſemper eſt decor ſervandus: qui ſedatam paſſim exigit vocem; ſed præ cæteris moderatam Temporis *diſpoſitionem*. Quemadmodum enim * ſapienti viro inceſſus moderatior convenit; ita & Oratio preſſa, non audax; greſſúſque maturus, & conſideratus. Undè fit: ut etiam dum fingunt, quid alii dixerint, exponentes, non omninò debeant eorum vocem imitari; ſed levi quadam ſimilitudine contenti, ſui non obliviſcantur. Quod vel in ſcenicis non obſervantes damnat * Quintilianus his verbis: *Cùm mihi Comœdi quoque peſſimè facere videantur: qui, etiam ſi juvenem agant: cùm tamen in expoſitione, aut ſenis ſermo, (ut in Andriæ prologo) aut mulieris (ut in Georgio) incidit; tremula, vel effœminata voce pronunciant. Adeò in illis quoque eſt aliqua vitioſa imitatio; quorum ars omnis conſtat imitatione.*

Sen. ep. 40. ad Lucill.

inſt. 11. c. 3.

RERUM etiam, quæ in verbis relucet, ſignificatio eſt attendenda: non tamen in omnibus. Ut enim vitioſa ſingulorum eſt imitatio: * ita quibuſdam, niſi ſua natura reddatur, vis omnis aufertur. Nam aliquando vix integra ſententia; aliquando tamen verbum unicum notabilem rem habet; quæ peculiari promi voce depoſcat. Pro omnibus tamen imitationibus apta videtur lex proportio inter rei proprietatem, & vocem eam; cui nomen à tali proprietate metaphoricè eſt attributum. Sic, ſi lætum aliquid narrem; voce utar, quæ læta dicitur; ſcilicet clara, ſedata, mediíque temporis: ſi pinguem deſcribam hominem; imitatus in eo motus gravitatem, id præſtabo voce graui, ſubmiſſa, ac reſpiratione, & protractione prolixa, & tarda: ac de rebus omnibus ſimiliter.

Quint. ibid.

AFFECTUS denique, ut innui, notandus eſt ille, qui dicentem agit; non qui debet in auditoribus excitari; vel in alio prædominans deſcribi. Undè, qui tali affectu ſe non optimè commotum ſentit; vel eo non utatur; vel ſimulare eum curet: cùm de omnibus dici valeat; quod de quibuſdam tantùm affectibus ſolet: *Ardeat Orator, ſi vult incendere*. Et quidem huc reſpexit Poli Hiſtrionis Tragici induſtre, ſævum licèt, artificium: quo Oreſtis cineres allocuturus, recenter mortui pignoris reliquias continentem

urnam

urnam ad ſcenam duxit: quæ lachrymarum haud minùs; quam eloquentię profluvia ſubminiſtravit. Nec aliunde Pollioni Romano (frigidiſſimo ſecùs Oratori) tantus dicendi fervor, tantáque ſpirituum aſtitit copia, quo die ſepulchro filium dederat; quàm è funebrium flammarum, ardentíſque rogi memoria. Quod cauſa fuit ſeniori Senecæ, ut diceret: *Magna pars Eloquentiæ eſt dolor*. Ut verò cunctos affectus; ſive qui intellectus; ſive qui appetitus ſunt indices; brevibus ſub capitibus reducam: eorum has cum auctore ad Herennium * differentias agnoſco: ut alii Sermonem expoſcant; Contentionem alii; nonnulli verò Amplificationem. Vel enim in vehementioribus movendis ſiſtimus cordis affectibus: vel in urgendo, refutandóque rationibus: vel in alio quopiam. lib.3.

SERMO eſt Oratio remiſſa, & finitima quotidianæ locutioni: non omnis tamen ejuſdem ſpeciei. Alius nanque Dignitatem, ſeu gravitatem pręfefert aliquam: quæ ſedatam quantitate vocem; qualitate gravem, & plenis emiſſam faucibus; tempore verba aliquátenus protrahentem, & inter membra paululùm reſpirantem expoſcit. Alius Demonſtrationem, ſeu Doctrinam profert, remiſſam quoque exigentem quantitate vocem; qualitate claram; temporis protractione peculiari expertem; reſpirantem tamen inter conciſa. Alius Narrationem habet in repræſentando unicam: cui nulla certa lex alia; præter eam, quam deſcribunt res, quæ repræſentantur. Quod enim, ſtrenuè volumus oſtendere factum; vehementiorem, celeriorénque, atque continuatam exigit ſonora voce Prolationem: quod verò ſegniter; ex oppoſito: & de cæteris pariter. Quæcunque tamen dicamus: ſemper ad eam accedendum, quam expetit * Quintilianus, Claram pronunciatione Narrationem inſt.4.c.2. in hoc accommodatam; ut judex, quæ dicuntur, quàm facillimè accipiat. Quæ quidem virtus negligitur à pluribus: qui ad clamorem diſpoſitæ, vel etiam confuſæ multitudinis compoſiti, non ferunt illud intentionis ſilentium: nec ſibi diſerti videntur; niſi omnia tumultu, ac vociferatione concuſſerint: rem verò indicare, ſermonis quotidiani, & in quencunque, etiam indoctorum, cadentis eſſe exiſtimant. *Cùm interim, quod tanquam facile contemnunt, neſcias, præ-*

ſtare

ſtare velint minùs; an poſſint. Alius denique Joco pudentem, ac liberalem comparat riſum: ſubmiſſam proinde expetens quoad quantitatem vocem; ac qualitate dulcem; tempore verò leniter trementem, & tardam.

CONTENTIO eſt acris Oratio ad confirmandum, atque confutandum accommodata. Quæ duplex mihi eſt: Irruptio ſcilicet; & Arietatio: ut metaphoricis utar nominibus. Quarum prior multitudine magis rationum urget: ponderata maximè earundem vi contendit poſterior. Irruptio itaque eſt Orationis enunciandæ acceleratio clamoſa: quæ ſcilicet ſonoræ vocis magnitudinem gradatim adauget; temporéque celeri verba complet; & raras adhibet

inſt. 11. *c.* 3. reſpirationes. De hac in Oratore Cæſar apud * Quintilianum ſuſcepto bello dicebat: *Quantùm potero, voce contendam; ut populus hæc Romanus exaudiat.* Arietatio verò ſonora voce profert verba aliquatenus tarda: ac reſpirationes inter ſola membra, eáſque breves, admittit; quarum ſingulæ à ſedata habentes quantitate initium, ad clamorem uſque gradiuntur.

lib. 3. AMPLIFICATIO demum ab auctore ad Herennium * in Conqueſtionem partitur; quæ miſericordiam commovet: & in Cohortationem; quæ Iram. Agit enim hic de Epilogo: cui hos præcipuè tribuebant affectus Oratores forenſes. Aptius tamen ducam, figuras omnes, quæ peculiaris regulæ ſunt capaces, ad Amplificationem hanc aſſerere pertinentes. Non tamen omnes nunc proſequi, ſinguliſque ſuas aſſignare vocis leges eſt animo: ne ad minutiarum

inſt. 11. *c.* 3. vitia deſcendam. Tantùm ex Quintiliano * pro quibuſdam affectus varios excitantibus addam: vocem eſſe debere in certamine erectam; ac totis viribus, & velut omnibus nervis intenſam: atrocem in Ira; & aſperam; ac denſam; & reſpiratione crebram: (neque enim poteſt eſſe longus ſpiritus, cùm immoderatè effunditur) quemadmodum in blandiendo; fatendo; ſatisfaciendo; rogando; lenem, & ſubmiſſam. Utque brevi cum eodem dicam: *Attollitur concitatis affectibus: compoſitis deſcendit: pro utriuſque rei modo altiùs, vel inferiùs.* Cætera verò dictorum recordatio, Oratoriſque prudentia dictabit.

CA-

CAPUT II.

DE ACTIONE.

OPus & hoc perdifficile; motus corporis mortuis regulare præceptis. Sed benè corpus movendi utilitas, ac neceſſitas, omni eſt majori difficultate ſuperior: *Actio* nanque * *indicendo una dominatur*. Ejus hinc ars (ut Quintilianus * notat) ab illis heroicis temporibus orta; & à ſummis Græciæ Viris; & ab ipſo etiam Socrate probata; à Platone quoque * in parte civiliū poſita virtutū; à Chryſippo in præceptis de liberorū educatione compoſitis nō omiſſa; plures habuit Cādidatos; Roſcios plures. Hos inter * Trachallus quidā eminere viſus: ea corporis ſublimitas in eo erat; is ardor oculorū; frontis auctoritas; geſtus præſtātia. Mirè tamen omnibus præcelluiſſe reliquis videtur P. Scipio Africanus. Huic enim excellentiori reſpondens animo eā vultus erat majeſtas: ut * in linternina villa occurrentes fortè ſævi latrones, aſpectum ejus admirati, ut Deū coluerint; ejúſque dexteram cupidè fuerint oſculati: quin & januæ poſtes, ceu religioſiſſimam arām venerati, ſanctúnque templum; quæ Diis ſacrari conſueverant, ante veſtibulum dona poſuerint læti; quòd Scipionem videre ſibi contigiſſet. Nec minoris eſt experimentum prodigii; quod de eodem Gellius * ſcribit. Cùm enim à M. Nænio Tribuno plebis accuſatus populi in ſe concitam indignationem ſentiret, nec apta ſibi defenſio ſuppeteret; argutiſſima tergiverſatione dixit: *Memoria, Quirites, repeto; diem eſſe hodiernum: quo Annibalem Pœnum Imperio noſtro inimiciſſimum magno imperio vici in Terra Africa; pacemque, & victoriam vobis peperi. Non igitur ſimus adverſus Deos ingrati. Et cenſeo; relinquamus nebulonem hunc; eamúſque nunc protinùs Jovi Optimo Maximo gratulatum.* Quòd tanta protulit dicendi vi, ac majeſtate; ut quæ ad ſententiam de eo ferendam convenerat univerſa Concio, relicto Tribuno, in Capitolium pergere incipientem Scipionem euſque comitata; atque indè in ejus ædes ſolemni cum gratulatio-

Cic. 3. de Orat.
inſt. 1. c. 18.
de Rep. 3.
de leg. 7.
Quint. inſt. 11. c. 3.
Valer. Max. l. 2.
Aul. Gell. noct. Att. l. 5. c. 18.

latione, & lætitia fuerit proſecuta. Et quidem; quantum habeat in Oratore momẽti Actio,ſatis vel ex eo patet:quòd æquivoca; aut indifferentia non rarò verba determinat. Sic cùm Centurio Cornelius pro Cæſare Conſulatum poſcens; non audiretur à Senatoribus; ſtricto gladii capulo ardenter, audactérque dixit: *Hic dabit: niſi dabitis*. Pleraque etiam citra verba ſignificat. Quippe non manus ſolùm; ſed nutus etiam noſtram declarant voluntatem; & in mutis pro ſermone ſunt. Imò animalium quoque ſermone carentium ira, lætitia, adulatio, & oculis, & quibuſdam aliis corporis ſignis deprehenditur. Quapropter non eſt nobis hìc diffidendum: ſed quæ non poſſunt ſingularibus regulis comprehendi; generali ſaltèm aliqua inſtructione conatibus omnibus dirigenda, ad ſpecialia quædam, quantùm erit poſſibile, deinde deſcenſuris.

Oportet autem prę omnibus advertere: non eundem cunctis in regionibus morem eſſe Oratoribus agendi. Galli nãque ſunt Italis in geſtiendo parciores: & his immobiliores Armeni. De quibus audiviſſe memini ab Illuſtriſſimo nunc Babylonenſis Eccleſię Pręſule D. Ludovico Pidù, ex noſtris tunc ad regiones illas Miſſionariis: ſacras ferè integras Orationes, in medio ſuggeſti ſtãtes,rectóſque eos proferre; manibus extenſis, lęva ad pectus, & ſuper hanc dextera: nec aliis uti geſtibus; niſi interpolatè nunc barbam extremis digitis aptandi; nunc impertiendi auditoribus benedictionem; ſimilibus interpoſitis verbis: *Deus vos benedicat, filioli*. Undè fit, non generales poſſe pro omnibus hac de re tradi regulas; ſed ab unoquoque ſuę regionis uſum conſulendum. Nobis tamen aliquid pro noſtra Italia è pręcipuis Latinę magiſtris Eloquentię petitum eſt dicendum.

RUDIMENTUM I.

Quæ in ſingulis corporis partibus obſervanda.

SI univerſale Actionis ſpectemus munus; pauciſſimis rem expediemus omnem; cum auctore ad Herennium * exigentes in vultu pudorem: & in geſtu, nec venuſtatem conſpicuam, nec turpitudinem; ne, aut hiſtriones, aut

lib.I.

ãbt operarii videamur eſſe. Sed tamen diligentiùs per ſingulas eſt corporis partes excurrendum: quæ niſi moderationis legibus regantur; deformiſſima abibunt in vitia: ut quotidiana docemur experientia. Monendum hìc verò præ omnibus cenſeo: ne in hac parte nimiùm ſcrupuloſi evadamus. Valet enim aliquátenus, quod ſuis dicebat Demoſthenes: fortunas Græciæ non pendere ex eo; an manum hanc, vel illam in partem inflecteret; vel hoc, aut illo verbo inter orandum uteretur. Undè meritò vitii taxatur Hortenſius. Plus enim * impendebat corpori; quàm dictioni: ut neſcires utrum cupidiùs;ad audiendum eum; an ad ſpectandum concurreretur. Quin & aliquando eò devenit: ut Collegæ de injuriis diem dixerit; quòd in anguſtiis obvius ſtructuram togæ fortuito offenſu ſibi deſtruxiſſet: capitale putans; quòd humero ſuo locum ruga mutaſſet. Quare * *Dionyſia ſaltatricula* vulgò dicebatur. *Val. Max. l. 8. c. 20.* *Macrob. Satur. l. 3. c. 13*

CAPUT autem in Oratione, ſicut in ipſo corpore, præcipuum eſt. Hoc,ex monitis * Quintiliani, ſit rectum oporteet; & ſecundùm naturam: nam & dejecto humilitas; & ſupino arrogantia; & in latus inclinato languor; & præduro, ac rigenti barbaria quædam mentis oſtenditur. Accipiat indè aptos ab ipſa Actione motus: ut cum geſtu concordet; & manibus, & lateribus obſequatur. Solo tamen Capite geſtum facere, etiam Scenici doctores vitium putarunt. Nec frequens ejus nutus caret vitio. Id denique jactare; & comam excutiendo rotare; phanaticum eſt. *inſt. 11. c. 3.*

VULTUS etiam ad geſtum, * quemadmodum geſtus ad vocem, accommodetur. Semper proinde * vertetur eódem, quò geſtus: exceptis, quæ damnare; aut non concedere; aut à nobis removere oportebit: ut idem Vultu videamur averſari; manu repellere. Dominatur autem maximè Vultus. Hoc enim ſupplices; hoc minaces, aut blandi; hoc triſtes, aut hilares ſumus; cæteriſque ſingulis moribus indulgemus. Hoc pendent homines; hunc intuentur; hunc ſpectant; etiam antequam dicamus. Undè gravis utplurimùm ſit; ſed non ſuperbus: ſempérque ferè verſus ad eos, quos alloquimur. Quòd ſi rem aliquam his oſtendere contingat; non omninò ab auditoribus avertatur; ſed dividatur utriſque prudenti viciſſitudine. Genis quoque, Vultus *Quint. inſt. 1 c. 18.* *ibid. l. 11. c. 3.*

ibid. non deſpiciendis partibus, quoddam * ineſt deſerviens affectibus miniſterium. Sanguis enim ille, qui mentis habitu movetur; & cùm infirma verecundia cutem accipit, effunditur in ruborem; cùm metu refugit, abit omnis, & pallore frigeſcit; temperatus medium quoddam ſerenum efficit. Naribus non ferè quidquam decenter oſtendimus: tamétſi deriſus, contemptus, faſtidium iis ſignari ſoleat. Corrugare autem nares; & digito inquietare; ac ejuſmodi cætera vitia penitùs fugienda: cùm emunctio etiam frequentior non ſine cauſa reprehendatur. Labiis nec aliquid ritè demonſtratur: eáque & porrigere; & ſcindere; & aſtringere; & diducere; & ad dentium uſque nuditatem contrahere; & veluti quodam faſtidio replicare; lambere quoque; & mordere deforme eſt. Imò in verbis efferendis modicus debet *Quint. inſt. 11. c. 3.* eorum eſſe motus: * *Ore enim magis, quàm Labiis loquendum eſt.*

Quint. ibid. OCULI præcipuę vultus partes: in quo plurimùm valet; cùm per eos * maximè emanet animus. Unde citra motū etiam; & hilaritate nitent; & triſtitia nubilum quoddam ducunt. Quin & lachrymas in iis mentis indices dedit natura: quæ aut dolore erumpunt; aut lætitia emanant. In Palpebris quoque nonnihil inſidet affectibus deſerviens. Superciliis tamen multò plus agitur: oculos enim formant; & fronti imperant: quæ iis modò contrahitur; attollitur modò, aut demittitur; ut nulla res in eà plus valeat. Iis utimur diverſimodè: contractis enim triſtitia; diductis hilaritas; remiſſis pudor oſtenditur: annuendi quoque, renuendíque ratione, aut demittimus, aut allevamus. Vitii notantur; ſi vel omninò immota; vel nimiùm mobilia; vel inæqualitate diſſidentia; vel contra ea, quæ dicuntur, efficta. Quod *inſt. 1. c. 18.* de quibuſdam ſe vidiſſe meminit * Quintilianus: quorum Supercilia ad ſingulos vocis conatus allevarentur: vel adeò inter ſe diſſentirent; ut cùm alterū ad verticem tenderet; altero penè Oculus ipſe premeretur.

MANUS; ſine quibus trunca eſſet Actio, ac debilis; vix dici poteſt, quot motus habeant: cùm penè ipſam verbo- *Quint. inſt. 11. c. 3.* rum ſequātur copiam. * *Nam cæteræ partes loquentem adjuvant: hæ (propè eſt; ut dicam) ipſæ loquuntur.* Non tamen æqua neceſſitas utriuſque. Læva nanque utplurimùm

ſupra

ſupra pectus, aut ſuggeſtum quieſcit: nec unquam ferè ſola movetur. Aliquando tamen dexteram adjuvat; cùm ſcilicet oportet plus aliquid exprimere: *Plus enim * affectus junctæ exhibent Manus*. Dextera verò motum ſemper habeat; ſed gravem. Nec diu otioſa ſit: nec continuo motu vexetur: ſed, quemadmodum vox, ſuas & ipſa reſpirationes obtineat: útque veteres monent artifices; cum ſenſu & incipiat, & deponatur. Alioquin, aut ante vocem erit geſtus; aut poſt vocem: quod utrunque deforme. Spatium porrò temporis, quo durare unicus geſtus poſſit, trium intervallo vocum ſubtiliter nimiùm aliqui ſunt metiti. Reverà enim non sẽper ſervari id poteſt: ſed in mediis tantùm rebus. In iis enim, quæ velociùs dicuntur; niſi velocitatem motus etiam celeri manu velimus deſignare; pauciores habeamus geſtus, neceſſe eſt, dum plura verba proferimus. Econtrà dum tardè loquimur; ſi verba vel ſingula peculiarem habent vim; peculiaribus ſunt motibus ſocianda. *Quint. ibid.*

Ut verò nonnulla circa ſpeciales, ſæpiúſque occurrentes geſtus innuamus. In diſtinguendo poſſumus ad partium numerum ſiniſtræ digitos extendere; eóſque extremis dexteræ digitis ordinatè numerare: vel, ſi duæ tantùm ſint partes, dexteram extenſam, cujus ſiniſtrum humerum reſpiciat palma, hinc indè movere. In oſtendendo, ac citando, reliquis à media junctura clauſis digitis, indice utemur extenſo. In aſſerendo, aliorúmve auctoritatibus referendis, indicis, ac pollicis conjunctas extremitates deorsùm versùs gravabimus: extenſis interim; ſed non omninò glutitatis invicem reliquis digitis. In interrogando dexteram ad eos, quos interrogamus, extrahemus: vola ferè tectum reſpiciente. In admirationibus, palmis auditores, digitíſque cœlum reſpicientibus, utranque manum, totúmque penè corpus aliquantulùm retrahemus. In exclamationibus vehementioribus juvat; quod * Cleon Athenienſis primus fecit: ſevulſo ſcilicet pallio, nudum femur percutere: modò naturaliter fieri videatur. Cùm autem proprius deerit geſtus; poterit huc, illuc dextera duci: modò non quieſcat; niſi in clauſulæ finem: tunc enim poterit ſupra ſuggeſtum reponi. Demum quandocunque moventur manus; ne liberiùs vagentur, quàm par ſit: neque, veluti manicis, al- *Quint. inſt. 11. c. 3.*

 ligen-

ligentur. Prius habent, quæcunque, aut ſupra humeros; vel etiam oculos elevantur; aut deprimuntur infra ſtomachum; aut extra latus oppoſitum exerrant. Poſterius verò ne habeant: extimæ veſtis, neque ſumma ſolertia ſit; qualis eorum, qui cuſpidibus, ne manum tegat, obfirmant: neque negligentia ſumma; qualis tectas, involutáſque ferè ſemper manus permittentium. Sed modò ſinatur uſque ad mediam manum excurrere: modò etiam uſque ad cubitum ferè retrahatur: modò altera teneatur manu pars ejus extrema; ut medium ſervans modum integrum revelet geſtum: nec non & ea ſerventur; quæ nunc de Brachiis.

BRACHIORUM moderata projectio continuos, & decurrentes locos maximè decet. At cùm ſpecioſius quid, uberiúſque dicendum eſt; expatiantur latiùs; & ipſis quoque ſe quodammodo fundit Oratio. Et hoc quidem, ſi eã moderemur partem; quæ humero, cubitóque interjacet. Atſi de ea ſit ſermo, cui manus adhæret; manum ipſam huic eſſe ſociandam, minimè dubitamus. Deformiſſima nanque ſemper eſt viſa in quibuſdam obſtinata ejus immobilitas: in aliis verò diſſentiens à manus diductione protenſio; ut immoto brachio, ruptíſque veluti compagibus, manus diſcuti videretur.

LATERIBUS etiam, HUMERISque modus eſt imponendus. Humerorum enim rarò decens allevatio, atque contractio eſt: habétque geſtum quendam humilem, atque ſervilem; imò & aliquando fraudolentum. Latera verò cũ geſtu conſentire fas eſt. Facit enim aliquid & totius corporis motus: adeò ut Cicero plus illo agi; quàm manibus ipſis putet. Undè apud Ciceronem Craſſus * præcipit: ut *3. de Orat.* Orator utatur Laterum inflexione: forti tamen, & virili: non à ſcena, & hiſtrionibus; ſed ab armis, aut etiam palæſtra. Cujus diſciplinæ uſum ad ſuam uſque ætatem ſine reprehẽſione deſcendiſſe, teſtatur * Quintilianus: lepidúnque in con- *inſt.1.c.18* firmationem alibi refert * C. Sicinii dictum. Aſſidente nan- *inſt.11.c.3.* que collega; qui, & propter valetudinem deligatus; & multis erat medicamentis propter dolorem artuum delibutus: cùm proximus Curio multùm ſe huc illúcque jactaſſet: *Nunquam*, inquit, *Octavi, collegæ tuo gratiam referes: qui niſi fuiſ-*

fuiſſet iſtic ; hodie te muſca comediſſent. ...

PEDUM, & Status obſervatur, & Inceſſus. Stare* prolato dextero; & eandem manum, & pedem proferre, deforme eſt. In dexterum interim incumbere datur; ſed æquo pectore: qui tamen comicus magis; quàm Oratorius geſtus eſt. Incedentibus procurſio quædam opportuna; ſed brevis, moderata, ac rara convenit. Deambulatio quoque nonnulla: tum ut elevantes quocunque ex motivo voces auditores expectemus; donec eas deprimant, auréſque nobis vacuas præſtent: tùm precipuè, ut plures ſuaſuri, quaſi ſingulis peculiariter inculcare geſtiamus. Hoc primus feciſſe dicitur* Cajus Gracchus: qui & togam primus ex humero diduxit. Sed ambulantes tamen: aut pectus Concioni demus omninò: aut ſaltèm ab ea diutiùs ne avertamus. Nimis diſcurrere vitioſum. Undè Flavius Virginius* urbanè de ſuo interrogavit antiſophiſte: *Quot millia paſſuum declamaſſet?* Loci ad ambulandum ſpatia tria mihi videntur diſtinguenda: lævum; medium; dextrum: ex altero quorum ad alterum ſit inceſſus.

Quint. ibid.

Plut. in Gracch.

Quint. inſt. 11. c. 3.

RUDIMENTUM II.
De apta Actionis Variatione.

NEque hìc recedendum ab ea; quam de vocis varietate partitionem adduximus: ut quarum ſingillatim motus deſcripſimus corporis partium; earundem actus decenter variare doceamus. *Cogitare* nanque (ut docet* Quintilianus) *debet Orator primùm quid; apud quos dicat; quibus præſentibus ſit acturus: tùm, qua de re dicat; & efficere quid velit?* Nam ut dicere alia aliis, & apud alios magis convenit; ſic etiam facere. Neque eadem in voce, geſtu, inceſſu; apud Principem, Senatum, populum, magiſtratum; publico, privato judicio; poſtulatione, aut actione ſimiliter decent. Quare Perſonarum habendus reſpectus eſt: deinde Rerum: Affectuum denique; qui & ipſi ſuas obtinebunt diſtributiones.

ibid.

PERSONARUM itaque tres attendendæ ſpecies: eorum ſcilicet, de quibus ſermo eſt: eorum, apud quos agimus: & noſtræ. Prima, ne aſperi ſimus omnibus, monet; neque

om-

omnibus dulces: ſed ea ſervemus; quæ de affectibus cuique inſidentibus notavimus, & modo eos proſequendi! Núnquid enim Reges timore potiùs; quàm honeſtatis amore ſuadebimus? Aut infimam plebem ſubmiſſionibus, obſequiſque magis; quàm objurgationibus; vel affabilibus, auctoritatis tamē plenis, cōſiliis trahemus? Secunda præſcribit; ut inferior coram ætate, doctrina, vel dignitate ſuperioribus orans tenuem; verecundánque Actionem adhibeat: ſuperior verò, vel æqualis gravem; aut mediam, quæ in ea re exprimenda decernatur. Undè ex * Quintiliano: *In Senatu ſervanda eſt auctoritas: apud populum dignitas: in privatis modus.* Tertia demum inculcat; ut meminerimus Oratoriæ dignitatis. Quare nimii ne ſimus in agendo: qualis apud Quintilianum * erat Manlius Sura multùm in agendo diſcurſans; ſaliens; manus jactans; togam dejiciens, & reponens. Quapropter ab Afro Domitiano venuſtè dicebatur: *Non agere: ſed ſatagere*; ideſt ſuprà, quàm par eſſet, agere. Modum autem habebimus primùm, ſi Actio naturalis erit: neque ſcilicet nimis retenta; neque nimis ſoluta: ſed quam in laudatiſſimis eo in genere obſervaverimus; vel etiam, quam in imaginum, ſtatuarúnque ab egregiis elaboratarum manibus ſituatione fuerimus mirati; vel demum, quam præaccenſus in nobis animus, modò prudens, dictaverit. *Quis enim* (inquit * Cicero) *neget, opus eſſe Oratori hoc Oratorio motu, ſtatuque, Roſcii geſtum, & venuſtatem? tamen nemo ſuaſerit ſtudioſis dicendi adoleſcentibus, in geſtu diſcendo hiſtrionum more laborare.* Habebimus deinde; ſi (quod prædictis affine eſt) affectationem penitùs fugiemus. Sunt enim; qui plauſus, vel ab auditoribus mendicantes; vel ſibi etiam ipſis quodammodo tribuentes; (ut Fabius * loquitur) pendent à laude: eánque laboris ducunt ſummam; atque circunſtantibus oſtentare volunt: nec pati poſſunt; & perire artem putant, niſi appareat: *Cùm tamen deſinat ars eſſe, ſi apparet.* Non ſic verò nos: ſed neque nimis neglecti ſimus in agendo; quò poſſimus inertiæ redargui: neque nimis exacti; ne Comœdos agere videamur. Quin & propria cujuſque inſpecta natura, non omnibus omnia ſunt apta. In quibuſdam enim, teſte * Quintiliano, virtutes non habent gratiam: in quibuſdam verò

ibid.

Inſt. 6. c. 4.

1. de Orat.

inſt. 4. c. 2.

inſt. 11. c. 3.

verò vel ipſa vitia non rarò delectant. Undè & manus jactare; & dulces exclamationes theatri cauſa producere; & in gradiendo ventū concipere veſte: neminem aliū, præter Demetrium, inter Comœdiæ actores ex maximis, decuit; quippe qui ſtatura in hæc omnia, & mira adjuvabatur ſpecie: quidquid verò horum alter feciſſet, fœdiſſimū videbatur. Prudentia itaque opus in primis eſt. Nec enim ex ſola imitatione, ſimiarum inſtar; nec ex communibus ſolummodo præceptis agendum: ſed, Fabio * concludente: *Norit ſe quiſque: & ex natura ſua capiat conſilium formandæ Actionis.* Attamen & hic regnet maximè modus: non enim Comœdum eſſe volumus Oratorem. *ibid.*

RES non omninò ſingulæ ſunt exponendæ geſtu: nec tamen majori ex parte Actione privandæ. Geſtus igitur à Cicerone * requiritur *univerſam rem, & ſententiam, non demonſtratione, ſed ſignificatione declarans: manus autem minùs arguta digitis ſubſequens verba; non exprimens.* In cujus doctrina duo videntur obſervanda: geſtū ſcilicet, Actionémque, & à rebus, non à verbis pendere; & res ipſas non omni, minutáque proſequi ſolertia. Utrunque Fabius * confirmat. Primum quidem, ubi monet, geſtum ad ſenſus potiùs, quàm ad verba accommodandum; eoquòd plurimùm abeſſe à ſaltatore debeat Orator. Secundum, ubi ſignatè rerum quaſdam prohibet imitationes: ut vacillantis ebrii motus; quem ſolis manibus leniter deſignari; non lateribus, præcipit: cæteráque ejuſmodi vitia reprehendit. Mitiùs tamen agit: & quædam etiam peculiari ſociare geſtu verba permittit; quæ ſcilicet notabilem habent vim. *Sicut enim*, inquit, *eſt vitioſa, ſi efficere omnia velimus, imitatio: ita quibuſdam, niſi ſua natura reddatur, vis omnis aufertur.* *3. de Orat.* *inſt. 11. c. 3.*

AFFECTUS non aſpernandam dant Actioni legem: quòd non tenuis ſit inter utraque connexio. *Omnes nutus ſunt animorum indices:* inquit * Ariſtoteles: ut enim ex corporibus actionum; ita ex motibus animorum argumentum, judiciúnque conficimus. Ut igitur ſingulos, quos præcedenti capite numeravimus, recenſeamus & hic: Sermonem; Contentionem; Amplificationem diſtinctiùs examinabimus. *4. Ethic. c. 8.*

SER-

SERMO itaque ſuavem, ac mediam exigit Actionem; ſicut & vocem: cujus tamen quatuor differentiæ; Demonſtratio; Narratio; Jocus; & Dignitas. Demonſtratio namque * paululùm corpus à cervicibus demittit: nam hoc eſt à natura datum; ut quàm proximè vultum admoveamus ad auditores, ſi quam rem docere eos, & inſtigare velimus. Undè etiam, ex * Quintiliano, *inclinari ad Judices, cùm docemus aliquod obſcurum, fas eſt*. Et tunc quidem ſedentes docebimus: hic eſt enim doctorum ſitus maximè proprius. Narratio maximè è rebus pendet, quæ narrantur. Sed quia docendi quædam eſt veluti ſpecies; geſtum prolata manu diſtinctum expoſcit; amictûque recidente, curam omnem in re exprimenda reponit. Jocus ſine geſtus commutatione vultus hilaritatem quandam expetit; ſed decoram. Dignitas * Oratores vult ſtantes in veſtigio: leni, dexteróque motu loquentes: hilaritate; triſtitia; mediocritate vultus ad ſermonis ſententias accommodata.

Herenn. l. 3. *inſt.* 11. *c.* 3. *Herenn.* 3.

CONTENTIO vehementiorem, & magis concitatam, præcipit omnibus penè corporis partibus Actionem. Undè vel pedis ſupploſio in Contentionibus, aut incipiendis, aut finiendis, opportuna cum Cicerone * videtur Quintiliano:* licèt rara: *Crebra enim inepti eſt hominis*. Irruptio porrò (Contentionis altera ſpecies; quæ ab auctore * ad Herennium Continuatio vocatur) brachio celeri; mobili vultu; acri utitur aſpectu. Arietatio verò (quæ & Diſtributio) celeri pariter porrectione brachii; ambulatione; pedis dexteri rara ſupploſione; acri denique, ac defixo agit aſpectu.

3. de Orat. inſt. 11. *c.* 3. *lib.* 3.

AMPLIFICATIO geſtum effuſiorem admittit: qui & tardior ſit; & magis, quàm aliàs expreſſivus. Cæterùm juxtà varios affectus, qui excitantur, adhibendus eſt motus. Irã excitantibus alicujus criminis exaggeratione, paulò tardiore, & conſideratiore utendum geſtu, monet * auctor ad Herennium. Miſericordiam idem movere docet fœmineo plãgore; & capitis ictu: nonnunquam ſedato, & conſtanti geſtu; mœſto conturbatóque vultu. Exclamandum quoties erit; laterum; non capitis ſit ille conatus: ait * Quintilianus. Indignantes, Iratos, aut vehementiori concitos af-

ibid. *inſt.* 1. *c.* 18.

ſectu geſtus nonnulli decent; qui ſecùs immoderati viderentur: ut femur ferire; vel etiam pedem ſupplodere; ac percutere frontem. Undè id in Callidio optabat * Cicero dicens: *Non frons percuſſa; non femur: pedum nulla ſupploſio: &c.* Indè, ſuum ut oſtenderet dolorem Jeremias, * inquit: *Poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* *in Bruto.* *c. 31. v. 19.*

Ad Actionem Amplificationi correſpondentem oſtenſiones quædam rerum attinent: putà imaginum Chriſti Domini flagellis cæſi; vel Cruci affixi; aut ſimilium. Hæ laudabiliter quidem fiunt, ſi non tam facilè fiant; & à ſumma dicentis efficacia animentur. Earum nanque rerum, ut Quintilianus * agnoſcit, ingens plerunque vis eſt, veluti in rem præſentem animos hominum ducentium. Undè populum Romanum in furorem egit pretexta C. Cæſaris prolata in foro cruenta. Sciebatur utique, interfectum eum: veſtis tamen illa ſanguine madens ita repræſentavit ſceleris imaginem; ut non occiſus eſſe Cæſar; ſed tum maximè occidi videretur. Et cùm Aquilium defenderet Antonius; * ſciſſa veſte, cicatrices, quas is pro patria pectore adverſo ſuſceperat, oſtendens, populo Romano vim attulit. Servius quoque Galba pro Gallo Sulpitio dicens; non ſuos modò liberos in medium produxit; ſed & ipſius filium ſuis circuntulit manibus miſerationem facturus. Sed requirunt hæc omnia cauſam vehementem; ſummánque neceſſitatem, quà veram, quà præſumptam. In parvis enim litibus, ait * Quintilianus, has tragœdias movere tale eſt; quale ſi perſonam Herculis, & cothurnos aptare infantibus velis. Malleorum quoque ſtrepitus; tubæ funeſtæ ſonum; atque hujuſmodi nonnulla, quæ apud nos ruſticis ſolent, & plebejis exhiberi; ſicut etiam alapas ſibi impingere, dum Malchi ſcelus in Chriſtum Dñm narratur; ſéque catenis, flagelliſq; coram auditoribus cædere; ubi talis viget conſuetudo: hæc omnia licèt contra decus, & Oratoriam videantur gravitatem; damnare tamen non audeo. Nec alia quidem ratione ducor: niſi quòd docuit quotidiana experientia; majores his mediis fructus; quàm aliis quibuſcúnque Eloquĕtiæ viribus colligi talium ex hominum cordibus: quibus magis ſenſus deſerviunt; quàm intellectus. Favétque nobis in ſua Concionandi Arte * pluribus eruditè confirmans noſter *inſt. 6. c. 2.* *Cic. 2. de Orat.* *inſt. 6. c. 2.* *lib. 4. c. 16.*

ſter Areſius. Abſtinendum tamen autumo à quibuſdam aliis oſtenſionibus; quarum praxis non penitùs à noſtra pendet induſtria; ſed aliorum eget cooperatione: ne hac *deficiente*, frigeſcamus. Cujuſmodi quid Oratori ſecùs diſertiſſimo contigit apud * Quintilianum: qui puellam in adverſa ſubſellia cùm proferret, tanquam adverſario fratri eam relicturus, qui ſororem eſſe negabat ſuam; iſque præmonitus iam deceſſiſſet: inopinatæ rei caſu turpiter obmutuit.

inſt. 6. c. 2.

Nec longè abſimile, quod alteri Patrono Glicon fecit: qui puer in jus productus cùm, quid fleret, interrogaretur; ex pædagogo ſe vellicari, reſpondit.

(†)

LI

LIBER SECUNDUS

DE PARTIBUS ORATIONIS.

E Voluptatis centro ad univerſam terrarum orbis faciem irrigandam perenni exuberans latice fons erumpebat. Inter virentes hortorum cunas vegetantibus undique ſmaragdis cōſitas, florúnque variis diſtinctas gemmis, aquæ deliciabantur. Exultantibus indè lymphis puber jam amnis incedebat: Paradiſique pomaria luſtrans inter dulciſſimas fructuum primitias verſabatur. At, viriles ubi nervos aſſumebat, & animos: uni tantùm prodeſſe terræ parti neſcius, quatuor in ingentia dividebatur flumina, omnibus facturus copiam ſui. Hàc Hevilaticam excurrit Phyſon regionem, aurum argentea diſſeminans ex omni latere manu; humoribúſque ſuis igneos accendens carbunculos. Illàc Æthiopica limpidiſſimis extergit undis arva Gehon, noxias & illuvies immenſū trudit in gurgitē. Rapido, vehementíque fluctu Aſſyrios impetit Tygris aggeres; ſaxáque pregrandia, modò calcata transgreditur, modò ſupereminentia ſcindit. Euphrates demum, ſui nominis fluvius, vitalibus permeans greſſibus arva læto vere circundat; & uberem circunſpergit autumnum: ut ritè, monente* Ambroſio, *Latinè fœcunditas, atque abundantia* nuncupetur. Habet quoque ſuos, quos irriget Paradiſos; ter-

* *de Parad. c. 3.*

terram habet, quam fœcundet, Eloquentia. Deliciarum hortus eſt Animus: Eloquentiæ flumen Oratio. Ea, dum primas agit Periodos, flores inter, & frondes placida *luſitat*. Ubi tamen incaleſcit, uberiórque diffluit; illicò partiri cupit, commoda non modica fluentis ſingulis elargitura. Modò enim agenda, imitandáve proponens; ſive emicantes inextinguibilis honeſtatis gemmas; ſive probatiſſimæ ſpargit aurum utilitatis. Modò, quà limpidiſſimis Introductionis inſinuata rivis; quà hilaribus Narrationis inundans effuſionibus; agro feracitatis primordia ſubminiſtrat. Ruit indè prævalido Confirmationum impetu:& objecta adverſantium argumenta Confutationibus; vel elidit; vel eludit. Innocua demum excutſans alluvione, Epilogo affectus omnes expurgat; ac vitioſas expellit paſſiones; purioribus ut animatos ſpiritibus ſurculos; ſuavioréſque virtutum fructus perſuaſus affatim animus valeat germinare.

Sunt igitur Orationi cuicunque partes aſſignabiles quinque: Exordium ſcilicet: Propoſitio: Introductio; cujus vices aliquando gerit Narratio: Probatio: & Peroratio: quas omnes invicem dextero vinciunt nexu Tranſitiones. De his omnibus hìc nobis ſermo; ubi propriam habent ſedem. Quanvis enim hæ, juxtà Quintiliani * monitum, poſſint & aliarum eſſe partium partes; ut ſi (quod paſſim habet in ſuis Orationibus Cicero) Exordium peculiaris argumenti præambulum facias: nunc tamen ad totam Orationem, ad cujus, vel eſſentiam, vel integritatem ſpectant, comparantur.

* *inſt.* 4. *c.* 1. & 2.

PARS

PARS PRIMA

DE EXORDIO.

CApuc hoc eſt univerſæ ſuaſionis: ut ante proponendum, quid probare velit, Orator viam ad Propoſitionem ipſam ſternat Exordio. Indè pars hæc nomen accepit Exordii; metaphora è textoribus tranſlata; qui operis ſui initia ab ordiendo deſumunt. Dicitur quoque Prooemium, ut Quintiliano * placet, & Caſſiodoro: * ſive à græca voce, quæ *Cantum* ſignificat; quaſi Citharœdos Orator imitetur, ad emerendum favorem, aliquot antequam legitimum inchoarent carmen, præcanentibus: ſive ab ea, quæ *Viam* denotat; quaſi univerſæ prævium Orationi. Definitur autem à * Tullio: *Oratio animum auditoris idoneè comparans ad reliquam dictionem*. Verùm hoc ut diſtinctiùs examinemus.

inſt. 4. c. 1.
Caſſ. Rhet.
Inv. l. 1.

CAPUT I.

DE MUNERE, ET NECESSITATE EXORDIORUM.

LIberalium artium argutiſſima, Pictura, ſuos antequam effundat colores, telam opportunis aptat impreſſionibus: ut, qualia receperit pigmenta, fideliſſimè ſervans, intentas ab artifice imagines repræſentet. Non obſcura Pictorem inter, & Rhetorem comparatio: colores quippe ſuos habet Oratio, & lumina. His Orator linire geſtit animos; quos alio cupit vultu, aliáque morum imagine lineatos. At opus an ſit animum comparare; & multiplici qua lege id poſſit; hoc ipſum eſt, quod inquirimus in præſenti.

RUDIMENTUM I.

Quot modis Animus comparetur Exordio.

OBvia cũctis eſt Exordiorũ omne munus paucis includens triplex illa comparandi animi ſpecies: qua is reddatur Benevolus; Docilis; & Attentus; *Nam ſi Judicem * Benevolum, Attentum, Docilem habeo; quid ampliùs debeam optare, non reperio*: Quintilianus * ait. Illóſque proinde redarguit: qui omne, quo cœperint, Prooemium putant; præſertim ſi aliqua ſententia blandiatur. Eſt tamen adhuc duplex hæc obtinendi modus: dividitur nanque ex * auctore ad Herennium, Cicerone, * & aliis, Exordium in Principium; & Inſinuationem. Principium, ut ait * Tullius, *Eſt Oratio perſpicuè, & protinùs perficiens auditorem Benevolum; aut Docilem; aut Attentum*. Inſinuatio verò: qua, ubi durior auditorum animus eſt; non eum apertis retibus venamur: ſed potiùs piſcatores imitati hamum eſca tegimus; & occulte per diſſimulationem eadem illa omnia conficimus, quæ Principio; ut ad idem commodũ in dicendo venire poſſimus.

inſt.4.c.1. *lib.1.* *Inv.1.* *ibib.*

BENEVOLOS autem faciemus auditores ſuſpicionem omnem averſam amovendo: aut cauſis occurrendo; quæ Orationis decurſu auditorum à nobis animos poſſent avertere. Nihil enim adeò ſuaſu difficiles reddit homines; quàm ſuſpicio, vel odium ſuadentis. Quæ verò conducunt, ſunt ea ferè omnia; quæ de favorabilium affectuum natura (putà Amoris, Miſericordiæ, & ſimilium) diximus in primo libro. Quorum tamen ut hìc brevis non deſit reminiſcẽtia; capita ſint precipua * Res; & Perſonæ. Et Perſonæ quidem: ſive eorum, pro quibus loquimur: ſive adverſariorũ: ſive auditorum: ſive noſtra.

Quint.inſt. 4.c.1.

Primò igitur; ex Cauſæ materia ſi continget haurire Benevolentiam; ejus aliqua in Principii uſum, * eáque nobis maximè favoribilia, quoad ſumma decerpemus capita; oſtendentes, utilia nos, vel auditoribus grata poſituros: Quò tendit illud * Ciceronis: *Huic ego cauſæ, Judices, cum ſumma voluntate, & expectatione populi Romani actor acceſſi; non ut augerem invidiam ordinis; ſed ut infamiæ*

Quint. ibid. *in Verr. 1.*

famiæ communi ſuccurrerem. Adduxi enim hominem: in quo reconciliare exiſtimationem judiciorum amiſſam; redire in gratiam cum populo Romano; ſatisfacere exteris nationibus poſſetis. &c. Quòd ſi Cauſa, pro qua dicemus, turpis, non, inquam, erit; (id enim Oratorem ſuadere, nefandum) ſed videbitur adeò; ut averſus ab ea ſit omninò animus auditorum: Inſinuationem tentabimus ad perſonarum honeſtatem confugiendo: indè pedetentim ejuſdem nos in Cauſam averſionis ſimulantes, quædam ſpargendo noſtrarum ſemina rationum; quæ dexterè, ac tectim animos auditorũ occupent: ac deniq; vel Cauſã examinaturos potiùs, quàm probaturos, agitare velle geſtiendo; vel clariùs innuendo, talem eam haud eſſe, qualis exiſtimatur. Indè, cùm pro Cn. Plancio ambitus à M. Juventio Laterenſi competitore in ædilitatis petitione accuſato dicturus Cicero, turpe futurum, animadvertat, ſi meritis clientem ſuum amiciſſimo Laterenſi præſtare contendat: à laude Plancii ſumit initium; quam etiam ſuæ gratia perſonæ apud Judices fulcire tentat: indè ſuæ periculum Cauſæ fatetur; & adverſariorum illi ſe non reſponſurum ſimulat interrogationi: ſed interim de meritis utriuſque competitoris aliquid indicat inferiùs examinandum. En quæ præſertim hęc claudunt Orationis illius electæ periodi: *Itaque non extimeſco; ne Cn. Plancio cuſtodia meæ ſalutis apud eos obſit; qui me ipſum maximè ſalvum videre voluerunt: quanquam mihi non ſumo tantum, Judices; neque arrogo, ut Cn. Plancium ſuis erga me meritis impunitatem conſecuturum putem. Niſi ejus integerrimam vitam, modeſtiſſimos mores; ſummam fidem; continentiam; pietatem; innocentiam oſtendero; nihil de pœna recuſabo. Sed mihi in Cauſa facili, atque explicata perdifficilis, Judices, & lubrica defenſionis ratio proponitur: in qua quædam hominum ipſorum videtur facienda eſſe contentio. Quærit enim Laterenſis; atque hoc uno maximè urget: qua ſe virtute; qua laude Plancius; qua dignitate ſuperarit? Ita aut amiciſſimi hominis exiſtimatio offendenda eſt; ſi illam accuſationis conditionem ſequar: aut optimè de me meriti ſalus deſerenda eſt. Sed ego, Laterenſis, cęcum me, & præcipitem ferri confitear; ſi te, aut à Plancio, aut ab ullo potuiſſe dignitate ſuperari, dixero. Itaque diſcedam ab ea contentione;*

ad

ad quam tu me vocas: & veniam ad illam; ad quam me Cauſa ipſa deducit. Quanquam nihil potes in te, Laterenſis, conſtituere, quod ſit proprium laudis tuæ; quin id tibi ſit commune cum Plancio. Sed totum hoc agetur alio loco. Nunc tantùm diſputo de jure populi: qui, & poteſt; & ſolet nonnunquam dignos præterire: nec ſi à populo præteritus eſt, quem, non oportuit; à Judicibus condemnandus eſt, qui præteritus non eſt.

Secundò ex eorum Perſona, pro quibus loquimur, Benevolentia petitur ea proponendo ſingula; quæ præconceptũ odium lenire, eóſque amicos auditoribus reddere poſſint. Undè Principium illud ſumit * Quintilianus: *Si juvenis innocentiſſimus, Judices, uti vellet ambitu triſtiſſimæ calamitatis; poterat allegare vobis amiſſam cum oculis cogitationum omnium temeritatem. Sed cùm oſtendere innocentiam ſuam moribus malit; quàm adverſis: æſtimate juvenem iis moribus; quibus videntem æſtimaretis; vita, pudore, pietate. Quæ ſi omnia, ut erunt promiſſa, conſtiterint; nullo terrebitur crimine.* Quòd ſi Perſonæ erunt penitùs irreconciliabiles auditores; Inſinuatio confugiet ad Cauſam: & indè ad animum eorum accedet commendatione æquitatis, ac virtutis; quæ in iiſdem ſingularis eſſe dicatur: vel etiam ſpe oſtendendi; non tales omninò eos, de quibus dicendum, eſſe; quales putantur. Ab Eloquentiæ magiſtro non recedemus: qui Regem Dejotarum conjurationis adversùs Cæſarem reum delatum, apud eundem Cæſarem purgaturus; primùm inſolentiam indicat judicii; accuſatorúmque indignitatem objicit; ad Imperatoris laudes indè progreſſus. Sunt autem hæ præcipuæ partes Exordii: *Primùm dico pro capite, fortuniſque Regis: quod ipſum etſi non iniquum eſt; tamen eſt ita inuſitatum, Regem capitis reum eſſe; ut ante hoc tẽpus nõ ſit auditũ. Accedit; ut accuſatorũ alterius crudelitate; alterius indignitate perturber. Fugitivi autẽ dominũ accuſâtis; & dominum abſentem; & dominũ amiciſſimum noſtræ Reipublicæ; cùm os videbam: non tam afflictam Regiam conditionem dolebam; quàm de fortunis communibus extimeſcebam. Perturbat me, C. Cæſar, etiam illud interdum: quod tamen, cùm te penitùs recognovi, timere deſino. Nam dicere de facinore apud eum, contra cujus vitam conſilium facinoris iniiſſe argua-*

Declam. pro cæto contra noverc.

Digitized by Google

arguaret; ſi per ſe ipſum conſideres, grave eſt. Sed tua, C. Cæſar, præſtans, ſingulariſque natura hunc mihi metum minuit &c. Quas ſingulas fuſiùs aliquantò Periodos protrahit, & confirmat.

Tertiò in adverſarios concitatum odium noſtræ conciliat Cauſæ Benevolentiam; ſive directè in ipſos dicamus; ſive nos, noſtráque ab eorum iniquitate defendamus. Contra Calpurnii Piſonis Conſulatum ſic Tullius incipit: *Jamne vides, bellua: jamne ſentis; quæ ſit hominum querela frontis tuæ? Nemo queritur, Syrum neſcio quem de grege noviciorum factum eſſe Conſulem: non enim nos color iſte ſervilis; non piloſæ genæ; non dentes putridi deceperunt.* Cunctáque ſucceſſivè corporis ejus, animíque vitia recenſet. Se ipſum verò contra Tribunos plebis defenſurus * hæc habet: *Commodiùs feciſſent Tribuni plebis, ſi quæ apud vos de me detulerunt; ea coram potiùs me præſente dixiſſent: nam, & æquitatem veſtræ diſceptationis; & conſuetudinem ſuperiorum; & jus ſuæ poteſtatis retinuiſſent.* Inſinuatione autem eſt opus; ſi valdè auditoribus amici, aut familiares deprehenduntur adverſarii. Ad quam; laudatis priùs, in quibus benè audiunt; dexterè quædam opponuntur capita diffidentiam inducentia, & animorum alienationem. Quare patronus P. Quinctii Cicero; cùm actorem Nævium omnibus gratum; ejúſque patronum Hortenſium adverteret eloquentiſſimum: ſic ferè incepit: *Quæ res in civitate duæ plurimùm poſſunt; eæ contra nos ambæ faciunt hoc tẽpore: ſumma gratia; & Eloquentia. Eloquẽtia Q. Hortenſii ne me dicendo impediat, non nihil commoveor: gratia Sex. Nævii ne P. Quinctio noceat; id verò non mediocriter pertimeſco. Non eò dico, C. Aquili: quòd mihi veniat in dubium tua fides, & conſtantia: aut quòd non in iis, quos tibi advocaſti, viris electiſſimis civitatis, ſpem ſummam habere P. Quinctius debeat. Quid ergo eſt? Primùm magnitudo periculi ſummo timore hominem afficit: quòd uno judicio de fortunis omnibus decernit. Deinde habet adverſarium P. Quinctius; verbo Sex. Nævium; reverà hujuſce ætatis homines diſertiſſimos, fortiſſimos, ornatiſſimos noſtræ civitatis: qui communi ſtudio, ſummis opibus. Sex. Nævium defendunt: ſi id eſt defendere; cupiditati alterius obtemperare; quò is faciliùs, quem velit, iniquo judicio opprimere poſſit.*

* *pro Leg. agr. cont. Rull.*

Quartò nobis ipſis amicos conabimur, & Benevolos reddere auditores: ſive honeſtate virtutum: ſive utilitate propoſita; quam iiſdem attulimus aliquando; vel afferemus.

pro Sylla. Utrunque Principium illud * Ciceronis habet: *Quanquam ex hujus incommodis magnam animo moleſtiam capio; tamen in cæteris malis facilè patior; oblatum mihi tempus: in quo boni viri lenitatem meam, miſericordianque notam omnibus quondam, nunc quaſi intermiſſam, agnoſcerent: improbi, ac perditi cives, edomiti, atque victi; præcipitante Republica, vehementem me fuiſſe, atque fortem; conſervata, mitem, atque miſericordem, faterentur.* Si tamen eò creverit uſque auditorum in nos averſio ob ea, quæ aliàs geſta, dictáve à nobis ſunt; vel id Cauſæ decurſu concitandum odium prævideamus; ut nulla ferè ſpes appareat eorum animos recuperandi: ad Inſinuationem confugiendum: quæ moratæ dictionis ſociata formuiis ejus averſionis origini cõtrariis; & præteritis ſatisfaciat; & Præmunitione futuris cauſis occurrat. Hujus itaque plura ſunt capita: quorum aliqua ſolùm hìc habebimus. Ratio igitur juſtæ commotionis, vel Orationis ejuſmodi, quæ auditoribus infenſa fuerit, aptè aſſignatur: præſertim ſi neceſſitatem; ſi munus; ſi ipsorúmmet utilitatem auditorum objiciamus. Sic Cicero pacem diſſuaſurus * irrepit:

Philipp. 7. *Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus; qui quantuluſcunque ſum (nihil enim arrogo) ſi ne pace civili certè non fuiſſem; periculosè dico: quemadmodum, P. C., accepturi ſitis, horreo. Sed pro mea perpetua cupiditate veſtræ dignitatis retinendæ, & augendæ, quæſo, oroque vos: ut primò, ſi erit, vel acerbum auditu, vel incredibile, à M. Cicerone eſſe dictum; accipiatis ſine offenſione, quod dixero: neve id, priuſquam, quale ſit, explicaverim, repudietis.* Translatio quoque culpæ in adverſarios refuſæ eſt opportuna. Qua utitur * Cicero vehementiæ ſuæ ream faciens Clodii impudentiam ſic:

de Aruſp. reſp. *Heſterno die; cùm me, & veſtra dignitas, & frequentia Equitum Romanorum, quibus Senatus dabatur, magnopere commoviſſet; putavi, mihi reprimendam eſſe P. Clodii impudicam impudentiam: cùm is publicanorũ Cauſam ſtultiſſimis interrogationibus impediret.*

Divin. in Verr. Commutatio perſonæ huic affinis. Qua idem Tullius; * Q. Cæcilium non ſe virum bonum negare; ſed Siculos id

ſuſpi-

ſuſpicari diſſimulat: *Hic de te plura non dicam. Unum illud, credo, omnes animadvertere: te adhuc à nullis, niſi à Siculis, potuiſſe cognoſci. Siculos hoc dicere; cùm eidem ſint irati; cui tu, te inimicum eſſe, dicis: ſe tamen, te actore ad judicium non adfuturos. Quare negent, ex me non audies: hos patet id ſuſpicari; quod neceſſe eſt.* Commendatio denique eſt apta; & amor in eos, quos impetit Oratio. Quare in Tuberonem plura dicturus * Tullius; ſæpiùs quid laudis præmittit: ut cùm ait: *Cujus ego induſtriæ gloriæque faveo; vel propter propinquam cognationem; vel, quòd ejus ingenio ſtudiiſque delector; vel quòd laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum aliquem fructum redundare; &c.* Ex quibus progreditur ad oſtendendum; & ipſum in Cæſarem aliquando gladium evaginaſſe. *pro Q. Ligar.*

Quintò demum; quorum ad Benevolentiam aſpiramus; eorum laus Principium exhibet opportunum: ſi præſertim eas commendamus virtutes; quæ pro noſtra faciunt causa: ut pro reis allegando miſericordiam; contra verò ſeveritatem. Hoc tamen *fieri cum modo debet*: * tum ad fugiendam adulationis notam: tum, quòd * in ingreſſu parciùs, & modeſtiùs eſt procedendum; & tantùm in Epilogo licet effundere affectus. Cicero ſit pro exemplo: * ubi Judicem ſic alloquitur: *Certè apud te, & eos, qui tibi adſunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulſa vi, & gratia; locum, ubi conſiſtat, reperire non poterit.* *Quint. inſt. 3.c. 10.* *Quint. inſt. 4.c.1.* *pro Quinct.*

ATTENTI fiunt auditores Utilitate; Jucunditate; Novitate rei: quarum Magnitudo quò creſcit; eò majorem exigit Attentionem. Rectiſſimè igitur Ariſtoteles * monet; Attentionem eſſe *propter res magnas, proprias, admirabiles, & jucundas.* Sed tamen de poſtremis tribus erit ſermo peculiaris. Et hæ quidem: vel ſuaderi facilè poterunt auditoribus; atque ſic apertè, de iis Orationem eſſe, ſufficiet admonere: vel ſi difficilè credentur adeſſe; ad Inſinuationem recurratur. Hoc autem duplici fieri via poteſt. Primò ſcilicet à re alia Jucunda, Nova, vel Utili incipiendo; quæ mentes colligat auditorum, & diſponat. Secundò verò (priori hac ſive adhibita; ſive omiſſa præventione) fatendo, rem aliquo ex iis commodis carere; ſed tamen, aliis redundare: puta triſtem; ſed Utilem eſſe, vel Novam, *3. Rhet. 16.*

In Verr. 4. Primò igitur Novitatem proponit illud Ciceronis * Principium: *Venio nunc ad iſtius, quemadmodum ipſe appellat, ſtudium: ut amici ejus, morbum; & inſaniam: ut Siculi, latrocinium. Ego, quo nomine appellem, neſcio. Rem vobis proponam: vos eam ſuo, non nominis pondere, penditote. Nego, in Sicilia tota, tam locupleti, tam vetere provincia, tot oppidis, tot familiis, tam copioſis, ullum argenteum vas &c.* Inſinuatione verò rem aliàs non novam; ſed tamen, quæ neceſſariò, & cum Reipublicæ utilitate repetenda ſit; fatetur eidem * falsò aſcripta reſponſio: *Scio me, P. C., in reſpondendo non habere magnam expectationem: quòd nullum vos ſciatis novum crimen in Salluſtium audituros: ſed omnia vetera recognituros; queis & meæ; & veſtræ jam; & ipſius aures callent. Verùm eò magis odiſſe debetis hominem. Quòd ſi vita iſtius memoriam vicerit: illam, P. C., non ex Oratione; ſed ex ipſius moribus ſpectare debetis. Jam dabo operam, quàm maximè potero; ut brevi id faciam. Neque hæc altercatio noſtra vobis inutilis erit. Plerunque enim Reſpublica privatis creſcit inimicitiis: ubi nemo civis, qualis ſit vir, poteſt latere.*

Reſp. in Criſpũ Salluſt.

Secundò Jucunditatem offert Jejunii, de quo facturus erat verba, Chryſoſtomus; * eam, vel in ipſo Principii veſtibulo, ſic teſtatus: *Jucundum quidem eſt nautis ver; jucundum etiam agricolis: ſed neque nautis, neque agricolis jucundum ita eſt veris tempus; ut his, qui philoſophari volunt, jucundi ſunt jejuniorum dies, ſpirituale animarum ver, & fideliſſima tranquillitas.* Feſſis verò quòd nihil Orationis brevitate jucundius; eam apertè pollicetur; & Inſinuationis cuniculis Cauſæ, quæ remanebat, momentum ſuggerit * Demoſthenes: *Æquum eſt, Athenienſes; cùm penès vos ſit, ex his, quæ dicuntur, eligere, quod maximè probatis; omnes audiri. Etenim ſæpè uſuvenit; ut idem homo in alio erret; in alio rectè ſentiat. Tumultuando autem, & celeriter faſtidiendo, fieri poteſt; ut multis utilibus conſiliis fraudemini. At ſi modeſtè, taciteque audietis: tùm officio planè fungemini: tùm, ſi quis delirare videbitur, negligetis. Ego verò multa verba facere neque ſoleo; neque, ſi hactenus ſolitus fuiſſem, nunc facerem.* Quin & aliquando * fertur; cùm in Philippum dicens, diſtractos eoſdem adverteret Athenienſes; notam illam de um-

hom. 2. in Gen.

Exord. 5.

Plut. in Vit. Demoſth.

umbra aſini fabellam propoſuiſſe: eáque auditorum mente revocata; eorum otium perſtrinxiſſe; quòd levioribus attendentes, de ſalute Reipublicæ non curarent.

Tertiò momentum Cauſæ vel in ipſo proponit limine, idem, qui ſuprà, Græcæ fulmen Eloquentiæ: * cujus hoc Principium: *Cùm & gravibus vos, Athenienſes; & Reipublica neceſſariis de rebus delibare putem: operam dabo; ut ea dicam, quę è Republica eſſe arbitror.* Humilitatem verò Cauſæ; quam Patrum Attentio dedignari videbatur; Inſinuatione adjuvat Cicero: * de parvis quidem Orationem fore confeſſus; ſed non tamen adeò inutilibus; ut eorum animũ non mererentur: *Parvis de rebus; ſed fortaſsè neceſſariis; conſulimur, P. C. De Appia via, & de moneta Conſul: de lupereis Tribunus plebis refert. Quarum rerum etſi facilis explicatio videtur: tamen aberrat animus à ſententia ſuſpenſus curis majoribus. Adducta est enim, P. C., res in maximum periculum; & in extremum penè diſcrimen. &c.*

Demosth. Or. 4. in Phil.

Philipp. 7.

DOCILES & hæc ipſa præſtat auditores Attentio; ut docet * Fabius. Sed eſt & duplex alia Docilitas hujus propria loci: qua vel excipientium mentes ad intelligendum, quod dicimus; vel animos ad iis aſſentiendum, quæ evincimus, præparamus. Illud obſtaculum nullum habebit; ſi benè pertractabitur: cùm ad explicationis lumen continuò obſcuritates, & tenebræ diſſolvantur. Hoc verò, obicem ubi reperit, non adeò facilè vincit; niſi cuniculos Inſinuationis adhibeat. Sufficientibus nanque probationibus attendens animus, neceſſitate quadam rationis inflectitur: at ne iis attendat, ineluctabiliter penè facit adverſantium argumentorum præoccupatio.

Inſt. 4. c. 1.

Principium igitur controverſiæ ſtatum, & proprium quæſtionis punctum, ubicunque opus erit, aperiet. Ut enim Ariſtoteles * monet: *Proœmii maximè neceſſarium, ac proprium munus est, finem institutæ Orationis aperire.* In eo verò diſcrimen illud agnoſcimus à Propoſitione, & Narratione inferiùs explicandis: quòd Narratio, quid factum ſit; Propoſitio, quid de ſubjecta materia ſit probandum, oſtendit: at verò Principium hoc ſummã (ut Quintiliano * libet) rei indicat, de qua debeat ab auditore cognoſci; & innuit breviter, dilucidè, & univerſaliſſimè, de quibus ſit dictu-

3. Rhet. c. 16

inst. 4. c. 1.

rus

pro A. Cluent. rus Orator. Exemplum eidem commendatiſſimum ſit * ex Tullio: *Animadverti, Judices, omnem accuſatoris Orationem in duas diviſam eſſe partes: quarum altera mihi niti, & magnoperè confidere videbatur invidia jam inveterata judicii Juniani: altera tantummodo conſuetudinis cauſa timidè, & diffidenter attingere rationem veneficii criminum: qua de re lege est hac queſtio conſtituta.*

Inſinuatio verò multiplicem hìc habet ſubrependi modū. Aptiſſimum enim eſt imperterritum animum ſimulare, & ad occurrendum objectionibus ſingulis paratum. Hoc enim non parùm derogat æſtimationi preconceptæ de adverſantium rationibus: ſi tamen citra jactantiam. Undè præallato Principio Inſinuationem illicò ſubnectit hanc Cicero: *Itaque mihi certum eſt, hanc eandem diſtributionem invidiæ, & criminum, ſic in defenſione ſervare: ut omnes intelligant, nihil me, nec ſubterfugere voluiſſe reticendo; nec obſcurare dicendo.* Opportunum interim difficultatem propriæ cauſæ auditoribus ipſis concedere: ſed illicò auditorum laudibus intermiſta eorum in animis initia quædam diſſeminare dubitationis. Sic ibidem poſt pauca: *Equidem, quod ad me attinet, quò me vertam, neſcio. Negem, fuiſſe illam infamiam judicii corrupti? Negem, illam rem agitatam eſſe in Concionibus; jactatam in judiciis; commemoratam in Senatu? Evellere ex animis hominum tantam opinionem; tam penitùs inſitam; tam vetuſtam; non eſt noſtri ingenii. Veſtri auxilii eſt, Judices, hujus innocentiæ ſic in hac calamitoſa fama; quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma, atque communi incendio ſubvenire.* Inculcare demum Orator poterit; quanto jure petat quiſque judicandus audiri: quantòque rationabili auditori non ſit, niſi rationi, credendum. Quod ibidem proſequitur: *Quamobrem à vobis, Judices, antequam de ipſa Cauſa dicere incipio, hæc poſtulo. Primùm id, quod æquiſſimum eſt: ut ne quid huc præjudicati afferatis: etenim non modò auctoritatem; ſed etiam nomen judicum amittemus; niſi hìc ex ipſis Cauſis judicabimus; ac ſi ad Cauſas judicia jam facta domo deferemus. Deindè ſi quam opinionem veſtris jam mentibus comprehendiſtis: ſi eam ratio convellet; ſi Oratio labefactabit; ſi denique veritas extorquebit; ne repugnatis. &c.*

RUDIMENTUM II.

De Neceſſitate Exordiorum.

SEvera nimiùm Areopagi ſanctione prohibebantur Oratores; ne quidquã dicturi Exordio præloquerentur: ut ea lex præſertim locum adagio fecerit: *Areopagita taciturnior*. Iiſque favere videtur * Cicero. Quęenim alii Principiorum præcepta eſſe voluerunt; & nos hactenus recenſuimus: ea totis in Orationibus, ait, conſervanda. Faciliùs autem Benevolum auditorem fieri putat in Orationis decurſu; quàm, cùm omnia ſunt inaudita. Docilem quoque reddi; non cùm nos pollicemur demonſtraturos; ſed cùm reipſa docemus. Attentum verò crebrò tota actione excitando mentes; non prima duntaxat enunciatione; effici poſſe. Favere quoque videtur Ariſtoteles * & ipſe monens; Attentos auditores facere, omnium eſſe partium; cùm opus eſt: quòd alibi magis, quàm initio, remittant animos. Undè & alibi * abſolutè pronunciat: *Sunt Orationis partes duæ: neceſſe eſt enim rem primò, de qua agitur, exponere:* (quod eſt Propoſitionis munus) *deinde illam argumentis confirmare.*

2. de Orat. *3. Rhet. c. 16.* *3. Rhet. c. 15*

Sed obſtat apertiſſimè * Fabius: cui ſemper Exordium eſt neceſſarium. *Nec enim abruptè; nec undelibet incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum*. Conſonat & * D. Auguſtinus: ubi Hermagoræ opinioni; qua ſuſtinebat, in bonis Cauſis nullum remanere locum Benevolentiæ captandæ; reſpondet: nihil mali eſſe, benignos Judices benigniores reddere præfando: vel ſaltèm aulœdos, citharœdóſque pręcanentes (quanvis nihil polliceantur) imitari; ne curta, & ſine capite ſit Oratio. Undè ſummo vir ingenio, & eruditione Polybius Exordiorum afferturus momentum argutè dicere conſueverat: fieri non poſſe; ut finem conſequatur; qui Principium non rectè fuerit auſpicatus.

inſt. 3. c. 10. *princ. Rhet.*

Neque reverà favent Areopagitis Cicero, & Ariſtoteles. Tullius enim non omninò id muneris Principiis denegare cenſendus: cùm & ipſe paſſim utatur; & doceat, quomodo ſit iis animus obtinendus: ſed, quod ſemel inceptum

eſt

eſt Exordio; id dimittendum Orationis decurſu non eſſe, & velle, & monere. Ariſtoteles verò de eſſentialibus partibus ea verba facit: & ſolùm Attentionem faciendi munus excludit; ubi ad hoc venerint auditores; ut audiant. Nos verò de integrantibus loquimur partibus: & Exordiorum expendimus munera, ut Quintilianus* edicit; *Non quia* *Inſt.4.c.1.* *iſta per totam actionem cuſtodienda non ſint; ſed quia in initiis præcipuè neceſſaria.*

Duplex igitur Exordiorum uſus diſtingui debet: Neceſſitatis ſcilicet; & Ornatus. Neceſſaria autem Exordia voco; ſine quibus inutilis prorsùs ad ſuadendum foret Oratio. Ornantia verò; quibus orbata, ſufficiens quidem foret; ſed deformis. Cùm enim Cauſa, ex * Cicerone, auctore ad Herennium, * & aliis, ſexuplex eſſe auditoribus poſſit: *Inv.l.1.* *ib.1.* indè fit; ut ex Cauſa ipſa modò neceſſaria ſint Exordia; modò poſſint omitti, aut ad ornatum ſolūmodo adhiberi. Sunt enim Cauſarum ſpecies Honeſta; Admirabilis; Anceps; Humilis; Obſcura; & Turpis: quæ ſcilicet talis appareat; non quæ ſit: verè etenim Turpem, utpotè Oratoria indignam probitate, penitùs excludimus. Honeſta autem Cauſa ſolùm de victoria laborat: & Exordia nunc præfert; nunc non curat. Admirabilis tamen (quam ſcilicet, qui defendant, adeſſe, primò mirantur intellectu auditores) Attentionem; & aliquando etiam Benevolentiam exigit; ſive Principio; ſive, ſi difficiliùs obtinenda ſit, Inſinuatione. Humilis Attentionem unicè expoſcit utravis Exordii ſpecie captandam. Obſcuræ Docilitatem denegaturum, puto, neminem; & hanc Principio neceſſariò præmittendam: quin, ubi claritas opportuna nullátenus ſit habenda; Attentionē ex ejus momento, jucunditate, alióve capite Inſinuatione tentare, aptiſſimum exiſtimabo. Anceps; quæ dubiam habet judicationem; ab ipſo dubio petit Principium: & Benevolentiam præ cæteris expetit. Idque, ſive dubium in auditoribus ſit: ſive Cauſæ inſit. Prioris ideā habes in cunctis deliberativi generis Cauſis. Poſterioris exemplum affert Aulus Gellius * de muliere: quæ veneno maritum, fi- *l.12.c.7.* liúmque cùm ſuſtuliſſet, quòd hi prioris mariti necaſſent filium; idque ingenuè fateretur; ad Areopagitas dimiſſa, ſic ab iis damnata eſt; ut abſoluta pariter fuerit: pœnam

ſci-

ſcilicet poſt annos centum ſubitura. Quòd ſi dubia ſit: quòd partim honeſta; partim turpis appareat: tunc captata altero Exordii genere Benevolentia, ab honeſta parte ducendum actionis initium; à qua fiat ad aliam inſenſibilis Inſinuatio. Turpis denique apparens undèlibet Cauſa Inſinuationi innititur: qua Benevolentia captata; & æſtimationē turpitudis minuat; & Attentionem, ac Docilitatem concilier ex eo præſertim; quòd non ſit, niſi ex audiendis rationibus, judicandum.

Neceſſitatem igitur non habent Exordiorum ſolæ primi generis Cauſæ, quantùm attinet ad eſſentiam. At acephalas ideò noſtras aſtruemus Orationes? Certè * Ariſtoteles; 3.Rhet.c.16 cùm Exordia, quæ neceſſitas exigit, ab iis diſtinxiſſet; quæ recipit ornatus, explicuiſſet; concludit: *Horum igitur gratia deliberationes Proœmio indigent: vel ornatus cauſa. Nam, niſi Proœmium habuerit, videtur temerè, ſubitoque effutita Oratio*. Ejúſque criminis reum facit Gorgiæ encomium in Elienſes. Eſt igitur, quantùm ad Cauſas attinet, ſemper incipiendum ab Exordio. *Nihil enim* * *eſt in natura rerum* Cic. 3. de Orat. *omnium; quod ſe univerſum profundat; & quod totum repentè avolet. Omnia, quæ fiunt, quæque aguntur acerrimè, levioribus principiis natura ipſa prætexuit*. Priuſquam fructibus oncretur arbor; floſculos exerit; levéſque aperit frondes. Aurora flagrantiſſimos Solis prævenit radios. Fulmina; quæ totum penè orbem terrent, excutiunt, diſcerpunt, non niſi à tenuiſſimis halitibus initia recognoſcunt. Atque (ut 2. de Orat. ad rem noſtram propiùs exemplo Ciceronis * utar) *Si in ipſo illo gladiatorio vitæ certamine; quo ferro decernitur: tamen ante congreſſum multa fiunt; quæ non ad vulnus; ſed ad ſpeciem valere videantur: quantò hoc magis in Oratione expectandum eſt; in qua non vis potiùs; ſed delectatio poſtulatur*.

Non me hìc latet; aliquando (ex Fortunatiano, * & Fa- Fort.Rhet.l. 2. bio, *) Exordiis, ne quidem volentes, uti poſſe: cùm ſcilicet *Judex occupatus: cùm anguſta ſunt tempora: cùm major* Quint. inſt. 4.c.1. *poteſtas ab ipſa re cogit incipere*. Verùm id non evenit ex Orationis natura; ſed, ex circumſtantiis auditorum. Nos verò de eo locuti hactenus ſumus; quod ratione Cauſæ, viſũ eſt expetendum; ut æquè, ac corpus, Oratio caput habeat.

CAPUT II.

DE INVENTIONE, ELOCUTIONE, ET PRONUNCIATIONE EXORDIORUM.

HActenus ex ſupradictis in præcedenti libro univerſalibus Rhetoricæ præceptis ea libavimus Exordiis applicantes; quę ad caput de Affectibus obtinendis faciebant. Procedendum hinc ad cæteras Inventionis leges; necnon & Elocutionis, Virtutes Exordiorum, & Vitia continentis; atque Pronunciationis ſumma quædam præcepta: cùm de Diſpoſitione, & Memoria nihil nos maneat peculiare.

RUDIMENTUM I.

Undè eruantur Exordia.

ad Alex.c. 37. DE tempore, quo ſint Exordia reperienda, non diſputo. Apertè enim monere videtur * Ariſtoteles: inveniendum priùs, ac diſponendum ſecundùm omnem artis diſtributionem; quid primum; quid ſecundum; aut tertium ſit tractandum: demum ea præparanda, quæ circa auditores attenduntur; de quibus docuerat in Exordiis.
2.de Orat. Nec obſcurè apud Tullium * fatetur Antonius: omnibus, quæ ad Cauſam attinent, conſideratis; tum deniq; id, quod primum eſt dicendum, ſe conſiderare poſtremò; quo ſcilicet utatur Exordio: & ſi id aliquando primum invenire voluerit; nullum ſibi occurriſſe; niſi, aut exile, aut vulgare, aut nugatorium. Undè putarem; Exordia poſt cæteras inveniri partes; ante cæteras verò Elocutione donari commodè poſſe. De Locis igitur, undè peti valent, præſens nobis eſt ſermo. Quæ, certum eſto, eadem prorsùs eſſe; ac, quæ toti aſſignantur Orationi. Sive enim neceſſitatis cauſa ducantur: ſive ornatus, & conſuetudinis: communia nunquam reſpuunt loca. Quapropter hìc breviter ſingula percurremus genera, digitum in eas ſolùmmodo locorum ſpecies intendentes; è quibus ſua, videmus, Exordia clariores Rhetores eduxiſſe. Sunt autem Intrinſecùs alia;

alia; quæ EX VISCERIBUS CAUSÆ dicuntur: alia verò Extrinſecùs educta.

A NOMINE incipit Tullius * explicans; quid tumultus; quid bellum ſit: ſuámque ſtrictiſſimè ſententiam aperiens, ad quæſtionem de re circa Cauſam eandem tranſiturus. Cujus hæc ſumma: *Victa eſt igitur propter verbi aſperitatem, te auctore, noſtra ſententia. At in quo fuit controverſia? Belli nomen ponendum quidam in ſententia non putabant: tumultum appellare malebant; ignari non modò rerum; ſed etiam verborum. Poteſt enim eſſe bellum ſine tumultu: tumultus eſſe ſine bello non poteſt. Quid eſt enim aliud tumultus: niſi perturbatio tanta; ut major timor oriatur? undè etiam nomen ductum eſt tumultus. Sed nimis multa de verbo: rem potiùs videamus, P. C. &c.* *Philipp. 8.*

EX ABUNDANTI ductum, ſpecies eſt quædam Exordii ab Enumeratione Partium eruti; quod alii vocant à Diviſione. Hoc plura, teſtabimur, de re prædicabilia nobis occurrere; quàm ferre poſſint temporis brevitas, noſtrarúnque tenuitas virium; aut fas, alia quavis ratione, ſit explicare: omnibus proinde relictis; de altera ſolùm parte nos eſſe dicturos. Quæ interim relinquere dicimus; ea ſilentio tradere poſſumus; vel meliùs per ſumma libare capita; aut præteritione, aliáve ſimili formula breviter indicare. Exemplum habet * Tullius idem: *Multa mihi neceſſariò, Judices, prætermittenda ſunt; ut poſſim aliquando de iis rebus, quæ meæ fidei commiſſæ ſunt, dicere: recepi enim Cauſam Siciliæ: ea me ad hoc negotium provincia attraxit. Quò mihi maturiùs ad Siciliæ Cauſam veniendum eſt, relictis ejus ceteris furtis, ac flagitiis: ut, & viribus quàm integerrimis agere; & ad dicendum temporis ſatis habere poſſim.* *in Verr. 2.* Verùm hic locus; quòd omnium facillimus; (utpotè Inventionem haud aliam ab Orationis ipſius Sylva requirens) quódque ob id jam tyronibus nimiùm valdè familiaris; putere jam cœpit: proindè à bono Oratore, quò fieri poteſt, rariùs adhibeatur. Uſitatior tamen Sacris eſt Oratoribus huic ſimillimus locus ex iis petitus; quæ Paraphraſim continent Evangelii; alteriúſve Scripturæ textus, ſuper quem erit dicendum: quo pluribus indè moralibus erutis punctis; cætera relinquantur omnia breviter ſolùm indicata; altero in

Thema ſelecto: quod genus à Diviſione malunt alii nuncupare.

A THESI; propoſitione ſcilicet univerſali Genus *com-*plectente; Exordium fit; à quo ad particularem ſpeciem, Propoſitione, quæ Hypotheſis dicitur, deſcendatur. Univerſalem autem propoſitionem appellavi Theſim; licèt non leſint; qui traditam hanc à celebrioribus Rhetoricæ Artis præceptoribus explicationem inficientur: quibus tamen ſatisfacturum me ſpero parte ſequenti; cùm de Propoſitione totius Orationis erit ſermo. Interim ejus generis Exordiorum illud ſit normę: quo Cicero * reum omnium criminum accuſaturus Verrem, ex ea cunctis communi lege Oratoribus; qua jubentur, ne quo ſunt ipſi noxii crimine, alios reprehendant; gradum his ferè tendit ad indicandũ, quanta ſibi morum irreprehenſibilitate opus eſſet; qui reatuum omnium adverſarium arguebat: *Omnes; qui alterum, Judices, nullis impulſi inimicitiis, nulla privatim læſi injuria, nullo præmio adducti, in judicium Reipublicæ cauſa vocant; providere debent, non ſolùm; quid oneris in præſentia tollant; ſed etiam quantum in omnem vitam negotii ſuſcipere conentur. Legem enim ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium; qui ab altero rationem vitæ repoſcunt. Etenim; non modò accuſator; ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is: qui, quod in altero vitium reprehendit; in eo ipſe deprehenditur. Ego in uno homine omnia vitia, quæ poſſunt in homine perdito, nefarioque eſſe, reprehendo. Ego in iſto reo legem hanc, Judices, mihi statuo; vivendum ita eſſe; ut iſti, non modò factis, dictiſque omnibus; ſed etiam oris, oculorumque illa contumacia diſſimillimus eſſe, ac ſemper fuiſſe videar.*

in Verr. 3.

A SIMILI quod petitur, Exordium multiplex eſſe poteſt. Primùm enim obſervanda, ad quam viam ſternit, Propoſitio totius Orationis. Ea nanque vel eſt Metaphorica; & conſequenter tota Actione per Allegoriam eſt continuanda Similitudo ſemel aſſumpta: vel non ita. Metaphoricam deinde ad Propoſitionẽ duplicis generis Similitudo Exordio eſt. Modò enim Deſcriptio Allegoriæ præmittitur: cujus applicatio à Propoſitione indicata amplificanda tota ſervetur dictione Confirmationis loco. Cujus generis Exor-

dia Italicis Sacræ Eloquentiæ profeſſoribus valdè familiaria: apud antiquiores tamen, quà Sæcularis, quà Sacræ Orationis auctores, adhuc non licuit invenire. Modò verò Cauſę Adjuncta cum Metaphoræ Circunſtantiis conferuntur: ut è duplici loco; præſenti ſcilicet, & inferiùs explicando; ſcateat Exordium. Cujus idem eſt cum cæteris, quæ ſequentur, Exordiis à Simili reliquum omne artificiũ. Ut tamen meliùs dignoſcatur: en aureum à D. Jo: Chryſoſtomo,* Apoſtolum Solem appellante, ex ſuimet perſona ductum exemplar: *Sæpè fulgido cæli globo delectatus oculus, ad ſpectaculum oppoſiti è regione luminis ſeſe violenter intendit: & licèt ſentiat, aciem ſuam imparem radiorum eſſe certamini; deſiderio tamen illius pulcherrimi luminis intendi libenter inacceſſibili radiantis orbis reluctatur coruſco. Tale igitur quidpiam ego ipſe perpetior: qui, cùm videam, propriè mentis oculos ex radiis Apoſtolici ſplendoris hebetari; cupio tamen Pauli animum miro fulgore virtutum rutilantem, velut eminùs intueri; & contra importabiles Solis micatus contentioſa ſubire certamina. Sol enim, quidam eſt hominibus Paulus &c.*

de laud. S. Pauli hom. 8.

Quæ autem alienam à Propoſitionis Metaphora Similitudinem habent Exordia: vel immiſtam eam cum applicatione continent: vel ab ea ſeparatam. Immiſta applicationi Similitudo cõſtituit hoc ejuſdem Chryſoſtomi* Principium. *Nihil prorsùs erraverit; qui pratum inſigne quoddam virtutum, & paradiſum ſpiritalem Pauli animum nuncupaverit: tam mira enim gratia floruit; tanque, huic gratiæ congruente vitę perfectione, reſplenduit. Quoniam enim Vas electionis effectus eſt, & benè ſeipſum emendare curavit; largiſſimè in eum Sancti Spiritus munus effuſum eſt. Undè & mirabiles nobis fluvios genuit: non ſecundùm paradiſi fontes, quatuor; ſed multò etiam plures, & quotidie fluentes: nec terram rigantes; ſed animas hominum ad producendum virtutum germina ſuſcitantes.* Atque indè progreditur ad afferendũ; omnia, quæ ſunt cunctis in hominibus, bona, unam Pauli animam poſſidere. Sejunctim verò Similitudinem ab applicatione continentis exemplum Prooemii eſſe idem poterit; quod ſuprà ad Allegoricam duxit Propoſitionem, Solem eſſe Apoſtolum, aſſerentem.

de laud. S. Pauli hom. 1.

AB EXEMPLO quoque (quod; ſive Hiſtoria perhibeat; ſive Fabula; Similitudinis quoddam genus eſt) Exordium fit; ſi Exemplum non Confirmationem præfert; ſed tantùm viam aperit Propoſitioni. Tale eſt Initium ſecundi libri de Inventione: quo narrans Cicero Zeuxis ſolertiam in ornando Junonis templo à Crotoniatis extructo, Helenæ imagine ex pulchrioribus ejus urbis excepta puellis: indè progreditur ad ſuum aperiendum inſtitutum; exhibendi ſcilicet Oratoriæ Artis imaginem è melioribus ejus præceptoribus deductam. Tale quoque videtur eſſe illud D. Baſilii * in laſcivientes oculos his incipientis: *Alexander ille Rex Macedonum, cùm filias Darii in poteſtatem redegiſſet ſuā; quæ egregia forma, ac admiranda fuiſſe feruntur; ne aſpicere quidem eas voluit: turpe eſſe, inquiens; eum, qui viros vicisſet, à mulieribus ſuperari. Hoc equidem haud diſſimile eſt illi mandato Chriſti: Quiſquis fœminam ſic aſpicit; ut eam concupiſcat; jam adulterio ſe inquinavit.*

Or. 8. de Temper. & Incont.

AB OPPOSITIS quocunque oppoſitionis genere ritè fit Exordium; ſi, ut ad Propoſitionem gradus fiat; vel de eodem ſubjecto; vel de diſparatis ita oppoſitum afferatur: ut vim rationis illativam non habeat; ſed ſolúmmodo paret viam. Quare de oppoſito ſubjecto contraria prędicare periculoſum eſt: cùm argumentum potiùs; quàm Exordiū videatur. Porrò cùm de eodem contraria dicuntur: vel diverſitas circunſtantiarum eſt in Propoſitione oſtendenda, quæ Oppoſitiona inducit: vel in Oratione reddenda eſt ratio Oppoſitionis. Rationem habet illud Magni Alexandri * profectionem ad extremas Indiæ partes potiùs; quàm in patriam reditum ſuis militibus ſuadentis: *Magnitudinem rerum, quas geſſimus, Milites, intuentibus vobis, minimè mirum eſt, & deſiderium quietis, & ſatietatem glorię occurrere. Itaque, ſi crederem, ſatis certam eſſe poſſeſſionem terrarum, quas tanta velocitate domuimus; ego verè, Milites, ad Penates meos, ad parentem, ſororeſque, & cęteros cives, vel renitentibus vobis, erumperem: ut ibi potiſſimùm parta vobiſcum laude, & gloria fruerer; ubi nos uberrima victorię prēmia expectant; liberorum, conjugum, parentumque lętitia; pax; quies; rerum per virtutem partarum ſecura poſſeſſio. Sed in novo, & (ſi verum fateri volumus) precario Imperio; adhuc jugum ejus rigida*

Ap. Curt. l. 6. n. 3.

gida

gida cervice ſubeuntibus barbaris; tempore, Milites, opus eſt. &c. Cùm verò diſparatis Oppoſitio ſubjectis tribuitur; ſufficit eorum diſcrimen indicare. Quod in eo ad Apoſtolos ſermone * Æterni Patris Sapientia ſic præſtitit: *Reges Gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos; beneſici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis; fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt; ſicut miniſtrator.* Undè progreditur ad Confirmationem ex proprio ſubtexendam exemplo. *Luc. 22. v. 25.*

AB ADJUNCTIS utplurimùm ordiuntur Cicero, Demoſthenes, aliique Oratoriæ Artis Roſcii: & præſertim à Perſona, ſive propria, ſive auditorum, aut adverſariorum. Sic (ut unum legamus Tullium) à Loco Principium ducit Latinus Orator pro Dejotaro: à Tempore pro Cœlio: à Cauſa finali de Divinatione in Q. Cæcilium. Atque (ne per ſingula vagemus) in forum lectica vectus, ut Milonem defenderet: diſpoſitos ubi toto vidit foro milites: Circunſtantias omnes ferè perluſtratus, illicò protulit. *Quis* enim eſſet dicturus; examinavit: quiſque defendendus? *Quid* novum illud judicii genus à priſtina abhorrens forma? *Ubi* præſidia: in foro ſcilicet; & propè templa. *Per quæ?* Pompeji nempè juſſa. *Cur?* ad juſtitiam ſcilicet tuendam, non oppugnandam. &c. En ejus verba: *Etſi vereor, Judices; ne turpe ſit, pro fortiſſimo viro dicere incipientem timere; minimeque deceat; cùm T. Annius Milo ipſe magis de Reipublicæ ſalute, quàm de ſua perturbetur, me ad ejus Cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe: tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos: qui quocunque inciderint, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum minimè vident. Non enim corona conſeſſus veſter cinctus eſt; ut ſolebat: non uſitata frequentia ſtipati ſumus. Nam illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſunt; afferunt tamen Oratori aliquid: ut in foro, & in judicio; quanquam præſidiis ſalutaribus, & neceſſariis ſepti ſumus; tamen ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus.* Quò etiam accedunt Paraphraſes quædam Evangelii factum aliquod per ſingulas deſcribentis Circunſtantias: ex quibus omnibus, vel ſaltèm pluribus, Exordio allatis Sacri Oratores Propoſitiones ſuas deducere conſueverunt.

AB

AB AUCTORITATE DIVINA; tanquam ex eo loco, quem inter Extrinſecos primum exiſtimo numerandum. Exordium materiam habet duplicem. Aliquando enim ſententia quævis in Thema totius Orationis è Sacra Scriptura aſſumpta, Paraphraſi per ſingulas partes amplificatur: ut non ſuper alteram ſolùm; (quod ex Abundanti ſuggerit locus) ſed ſuper omnes ſimul fundetur Propoſitio. Non rarò tamen venuſtiſſimum dat Initium Sacrum aliquod dictum inſtar Apophtegmatis aſſumptum; ad Propoſitionē haud attinens; viam tamen ad eam faciens. Undè populum * exhortaturus D. Baſilius ad placandum Deum; ex illo incipit Amos * Propheta: *Leo rugiet: quis non timebit? Deus locutus eſt: quis non prophetabit?*

Hom. 8. ad pop.

Amos 3.

A JURE nuncupo locum Legem continentem, Conſuetudinem, Prejudicia, Pactum, cæteráque omnia, cùm de Topica Inventione, à nobis enumerata: quæ opportunum ſubminiſtrare ſolent Exordium Orationi. A Lege ſimul, & Conſuetudine Tullius * inſolentiam judicii ſic incipit excuſare: *Si quis, Judices, fortè nunc adſit ignarus legum, judiciorum, conſuetudiniſque noſtræ; miretur profectò; quæ ſit tanta atrocitas hujuſce Cauſæ: quòd diebus feſtis, ludiſque publicis; omnibus negotiis forenſibus intermiſſis; unum hoc judicium exerceatur: &c.* A Præjudiciis quoque idem ſic alibi * ſumit Exordium: *Audita vobis eſſe arbitror, Quirites; quę ſint acta in Senatu; quę fuerit uniuſcujuſque ſententia. Quamobrem (quod quęſivit ex me P. Apulejus; homo, & multis officiis mihi, & ſumma familiaritate conjunctus; & vobis amiciſſimus) ita reſpondebo; ut ea, quibus non interfuiſtis, noſſe poſſitis.* A Pacto verò Demoſthenes * viam carpit ad oſtendendum; fœdus eſſe ab Alexandro violatum: *Vehementer Athenienſes probandi ſunt, qui exhortantur, & jubent, ut pactis, & conventis ſtemus; ſi ita ſentiunt, ut loquuntur: liberum enim populum nihil perinde decere exiſtimo, ut æquitatis, & juſtitię precipuum ſtudium.*

pro M. Cæl.

Philipp. 6.

de fæd. Alex.

A DICTO CELEBRI (ſive Adagium ſit; ſive Apophtegma) ſententioſum eruitur Exordium. Quale illud eſt Minutii equitum magiſtri: qui * apud Livium; quòd ſervatus à Fabio fuerit ex ingenti, in quod injecerat ſuas militares copias, diſcrimine; milites hortaturus, ut ob id

lib. 22. n. 29.

Fa-

Fabii caſtris ſe jungerent; ſic ordiebatur: *Sæpè ego audivi, Milites; eum eſſe virum; qui ipſe conſulat, quid in rem ſit: ſecundùm eum; qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere, nec alteri parere ſcit; eum extremi ingenii eſſe. Nobis quoniam prima animi, ingeniique negata ſors est; ſecundam teneamus, &c.*

A FAMA ſuæ Benevolos Cauſæ, ac Dociles reddit Judices * Tullius objiciens; quæ opinio vulgi teneret communem animum: nullum ſcilicet Romæ pecunioſum hominem, quantunvis noxium, poſſe damnari. Idémque * Oratione ſequenti invidiam facit Verris impudentiæ ſic: *Neminem veſtrum ignorare arbitror, Judices; hunc per hoſce dies ſermonem vulgi, atque hanc opinionem populi Romani fuiſſe: C. Verrem altera actione reſponſurum non eſſe; neque ad judicium affuturum. Quæ fama, non icircò ſolùm emanaverat; quòd iſte certè ſtatuerat, ac deliberaverat, non adeſſe: verùm etiam; quòd nemo; quanquam audacem; tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur; qui tam nefariis criminibus; tam multis teſtibus convictus; ora Judicum aſpicere; aut os ſuum populo Romano oſtendere auderet: Est idem Verres, qui fuit ſemper; ut ad audendum projectus, ſic paratus ad audiendum. Præstò est: reſpondet: &c.* *in Verr. 1.* *in Verr. 2.*

AB OPINIONE AUDITORUM validiſſimum ad cōciliandos animos ducitur Exordium: Opinionem ſcilicet eorum, (ſive quæ ſciatur, ſive præſumptam;) ſi nobis proſit, ſequendo; ſi obſit, ei ſub initio occurrendo. Indè cùm Opinio varia præſumi in auditoribus poſſit juxtà conditionem Cauſæ, & Circumſtantiarum diverſitatem; infinita propemodum Exordia præſenti è loco excerpere, cuilibet integrum * aſſerit Hermogenes. Et quidem huc ferè colliniaſſe cuncta Ciceronis, Demoſthenisque Principia videntur. Ex pluribus tamen unum exemplo ſufficiat ex * Demoſthene: *Arbitror, vos, Athenienſes, magnæ prolaturos pecuniæ rationem; qua explicetur, quid in hoc negotio ſit è Republica futurum; de quo nunc deliberatis. Quòd cùm ita ſit: æquum eſt; ut ultrò, & alacriter eos, qui conſilium dare volunt, audiatis.* *I. Inv. c. 10.* *Olynth. I.*

A QUÆSTIONE INSIGNI materia quoque hauritur Exordiorum: cui modò aſſentiens Orator; modò diſſen-

tiens; aut (ſi anceps eſt Quæſtio) pro altera decernens parte; ſuam efferet Propoſitionem; aut rem, de qua ſit acturus, inculcabit. Sic Cicero primi de Inventione libri ducit Exordium: *Sæpè, & multùm hoc mecum cogitavi; bonine, an mali plus attulerit hominibus, & civitatibus copia dicendi, ac ſummum Eloquentiæ ſtudium. Ac me quidem diu cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimùm ſententiam ducit; ut exiſtimem: Sapientiam ſine Eloquentia parùm prodeſſe civitatibus: Eloquentiam verò ſine Sapientia nimiùm obeſſe plerunque; prodeſſe nunquam. Qui verò ita ſeſe armat Eloquentia; ut non oppugnare commoda patriæ; ſed pro his propugnare poſſit: is mihi vir, & ſuis, & publicis rationibus utiliſſimus; atque amiciſſimus civis fore videtur.*

In his tamen omnibus, cæteríſque pluribus Exordiorum locis monendum: ne iis ad inducendam conſequentiæ vi Propoſitionem utamur: útque Prooemia à Confirmationibus diſcriminentur. Erunt igitur Exordia (undecunque eruantur) prodromi quidam futuræ Orationis. Quòd ſi vim aliquam probandi præſeferent: ſolùm Benevolentiam, Attentionem, aut Docilitatem, triplicem ſui muneris ſcopũ, evincent.

RUDIMENTUM II.

Quæ Virtutes; Quæ Vitia; Quæ Pronunciatio Exordiorum?

QUanvis Exordiorum Vitia octo enumerent communiter; Virtutes verò perpaucas ſparſim innuant Rhetores: ut tamen ſub ordinationibus redigantur capitibus; ſex recenſere Virtutes; totidénque Vitia ſubdere judicarem. Sunt autem Virtutes, quas recenſeo, Aptitudo; Brevitas; Verecundia; Conjunctio; Proprietas; Ornatus.

Herenn. 1. Quibus illa ex auctore ad Herennium, * Cicerone, * Quin-
Cic. Inv. 1. tiliano, aliíſque tradi ſolita opponam Vitia: ob quæ evadit
Quint. inſt. 4. c. 1. Exordium Contra præcepta; Translatum; Longum; Inverecundum; Separatum; Vulgare; Commune; Commutatum.

APTUM id voco; quod munus exequitur ſuum. Animum

mum ſiquidè auditorum eo, quo opus eſt, captat aucupio: ac Benevolum modò reddit: modò Attentum, aut Docilem; modò verò pluribus; aut etiam omnibus animi diſpoſitionibus, prout occaſio ſuggerit, inſervit. Vitium huic duplex opponitur ſub Inepti genere Exordii à nobis conſtitutum, CONTRA PRÆCEPTA nanque dicitur; * quod nihil eorum præſtat; quorum cauſa de Exordiis præcepta traduntur: aut (quo profectò nihil pejus eſt) ut contrarium habeat, facit. TRANSLATUM verò; quod unum pro altero munus exequitur;atque(ut Tullius * loquitur)aliud cōficit, quàm genus Cauſæ poſtulat: ut ſi quis Docilem faciat auditorem, cùm Benevolentiam Cauſa deſiderat; aut ſi Principio utatur, cùm Inſinuationem res poſcit. *Cic.Inv.* 1. *ibid.*

PROPRIUM eſſe toti Cauſæ debet Exordiū;ut non aliis valeat accommodari. Ut enim, ſui temporis morem ex omni occaſione Procœmium extrahendi memoratus, ait * Quintilianus: *Exordia multa ſine dubio ex aliis partibus ſunt; aut aliis partibus communia: nihil tamen in quoquam meliùs ducitur; quàm, quod æquè benè dici alibi non poſſit.* Vitioſum proinde quodlibet Improprium eſt: ſive quòd Vulgare; ſive Commune ſit; ſive Commutabile. VULGARE autem * eſt; quod in plures Cauſas poteſt accommodari; ut convenire videatur: eáque propter à quibuſdam, Sulpitio * teſte, Galeatum dicitur; quòd, inſtar galeæ, omnibus accommodari poſſit. COMMUNE id; * quo nihilominus poteſt adverſarius uti pro ſua Cauſa: quod conſequenter immutatum æquè contrariis poteſt Propoſitionibus adhærere. COMMUTABILE verò Communi affine eſt: eo quòd, levi tantùm mutatione facta, poteſt ab adverſario pro contraria Cauſa retorqueri. *inſt.* 4.*c.* 1. *Cic. Inv.* 1. *& Quintil. inſt.*4.*c.* 1. *Sulp. Rhet. Cic. & Quint. loc. cit.*

CONJUNCTUM quoque decet Exordium eſſe Cauſæ; & * ita conſequenti Orationi connexum; ut non tanquam citharœdi affixum aliquod; ſed cohærens cum omni corpore membrum eſſe videatur. Proinde ex ipſis rebus, de quibus Cauſa eſt; aut ex iis, quæ licèt extrinſecæ, Cauſæ tamen aliquatenus hærent, educendum. Vitio quod huic opponitur; SEPARATUM eſt: quod ſcilicet (ut Tullius * loquitur) non ex ipſa Cauſa ductum eſt; nec ſicut aliquod membrum annexum Orationi: ſed, Samnitum inſtar, qui *Cic.de Orat.* 2. *Inv.* 1.

vibrabāt ante pugnam haſtas, quibus inter pugnandum nihil utebantur; ipſum quoque ſententiis præludit: quæ nihil prorsùs ad Cauſæ contentionem faciant; ſed earum omninò liceat oblivìſci.

BREVE cùm Exordium præcipitur; habendus totam ad Orationem reſpectus. Quare videntur Quintiliano * *Ridendi; qui velut leges Proœmiis omnibus dederunt; ut intra quatuor ſenſus terminarentur.* Nonnulli proinde octavam totius actionis partem abſolutè decernunt: undecimam verò Panigarola. Uſus quoque celebriorum varius Oratorum: ſtrictior enim ſuis in Exordiis Demoſthenes: fuſior Tullius. Sed fortè neque ſemper eadem ad corpus Orationis proportio: ſed pro Cauſarū diverſo genere & ipſa varia. *Nam brevius ſimplices: longius perplexæ, ſuſpectæque, & infames deſiderant:* ut idem præmonet * Quintilianus. Mediam ſi tamen licet ſtatuere magnitudinem: congruum videtur; quòd, ſi omnibus ferè Rhetoribus caput Orationis eſt Exordium; proportionem humani (quod perfectius eſt) capitis ad reliquum ſervet corpus; ſitque proinde pars ſeptima totius Orationis. Si tamen ab hac menſura recedendū: brevitate nimiâ potiùs; quàm longitudine in Exordiis cuperem laborare. Vitioſum ea propter LONGUM ſolummodo memorant Rhetores; immodicè breve non arguentes. Cujus ſe Exordiorum genere notatum fatetur * D. Jo: Chryſoſtomus: quanvis, ſi præſens reſpiciatur mos, potiùs fuerit brevior. Et quidem id habendum præ oculis: ne tempus, ubi breve eſt, Exordium abſumat: aut ne auditores adeò fatiget; ut cogatur deinde Orator potiores rationum nervos celeriter expedire. Ut enim Machabæorum hiſtoriographus * teſtatur: *Stultum eſt, ante hiſtoriam diffluere; in ipſa verò hiſtoria ſuccingi.*

Inſt. 4. c. 1.

ibid.

Hom. de ferend. repreh.

Machab. 2. v. 2.

VERECUNDUM etiam ſit, & ab omni alienum jactantia. Nihil enim eſt, quod ita auditorum animos captet; ut verecundia dicentis: nec aliquid pariter eſt, quod magis avertat; quàm jactantia. Indè veterum illa circa occultandam Eloquentiam ſimulatio hìc maximè tenenda eſt, multùm ab aliquorum jactatione diverſa: qui, vel turgentibus Exordiis; vel tumidis operum frondibus; dum Oratorium aliquod opus aſtruunt; veluti magnificam januam parvæ ape-

aperiunt caſæ quæ non deformitatem modò; ſed & ruinam inducat ædificio. Vitium huic oppoſitum Virtuti id habet, quod Inverecundum viſum eſt appellare: quo, vel dicendi modo, vel expreſſis oſtendunt verbis non pauci; quam de ſe ſupra cæteros æſtimationem habeant. Hoc non modicum affert audientibus faſtidium; imò & odium. Hoc invident humiliores: qui nec cedere volunt; nec poſſunt contendere. Hoc rident Superiores. Hoc improbant boni. Reprehenſus hac in parte * Cicero, ſe ipſum purgare conatur pro Domo dicens ſua ad Pontifices. Adeò nempè deforme videbatur Vitium in eo: qui non jam Eloquentiæ;(quæ & ipſa ſumma erat) ſed actorum pro Republica, ſuos defenſurus coadjutores, aut hoſtes accuſaturus, gloriabatur. Quid igitur de quibuſdam eſſet (ut Fabius * loquitur) arrogantibus: quorum plerunque fallacem de ſe opinionem deprehendas? *Quint. inſt. 11.c.1.* *ibid.*

ORNATUM prima facie eliminādum cuipiam ab Oratione videbitur Exordium. Si enim auctori ad Herennium * des aures: *In exordienda Cauſa ſervandum eſt; ut lenis ſit ſermo, & uſitata verborum conſuetudo: ut non apparata eſſe Oratio videatur.* Si verò Quintilianum * audias: diligenter, ne ſuſpecti ſimus, vitandum: propter quod oſtentari cura in Exordio non debet; quia videtur ars omnis dicentis cōtra Judicem adhiberi. Quare frequentiſſimè Procemium decere putat, & ſententiarum, & vocis, & compoſitionis, & vultus modeſtiam: adeò ut etiam indubitabili in genere Cauſæ fiducia nimiùm adhiberi non debeat: *Odit enim Judex litigantis ſecuritatem; cumque jus ſuum intelligat; tacitus reverentiam poſtulat.* Quibus & conſonare quodammodo geſtit * Auguſtinus: ex quo in Humili dicendi genere Principia; neque ſententiis altè petitis, neque verbis ultra modum ornatis; neque ſtructura graviore; ſed quaſi reſoluta gaudent, & ſimplici: vis autem omnium ſententiarum, quam his Principiis adhibemus, ea debebit eſſe; ut rem à proprietate revocet ad communitatem. Et in exemplum adducit Africanus Doctor Exordia Demoſthenis in libris idioticis; & Ciceronis pro Archia. *lib.1.* *inſt.4.c.1.* *princ. Rhet.*

Reverà tamen non adeò decernendum abſolutè; ut ab omni penitùs Exordiorum genere Ornatus eliminetur. Apertiſſi-

vibrabāt ante pugnam haſtas, quibus inter pugnandum nihil utebantur; ipſum quoque ſententiis præludit: quæ nihil prorsùs ad Cauſæ contentionem faciant; ſed earum omninò liceat obliviſci.

BREVE cùm Exordium præcipitur; habendus totam ad Orationem reſpectus. Quare videntur Quintiliano * *Ridendi; qui velut leges Proœmiis omnibus dederunt; ut intra quatuor ſenſus terminarentur.* Nonnulli proinde octavam totius actionis partem abſolutè decernunt: undecimam verò Panigarola. Uſus quoque celebriorum varius Oratorum: ſtrictior enim ſuis in Exordiis Demoſthenes: fuſior Tullius. Sed fortè neque ſemper eadem ad corpus Orationis proportio: ſed pro Cauſarū diverſo genere & ipſa varia. *Nam brevius ſimplices: longius perplexæ, ſuſpectæque, & infames deſiderant:* ut idem prænonet * Quintilianus. Mediam ſi tamen licet ſtatuere magnitudinem: congruum videtur; quòd, ſi omnibus ferè Rhetoribus caput Orationis eſt Exordium; proportionem humani (quod perfectius eſt) capitis ad reliquum ſervet corpus; ſitque proinde pars ſeptima totius Orationis. Si tamen ab hac menſura recedendū: brevitate nimiâ potiùs, quàm longitudine in Exordiis cuperem laborare. Vitioſum ea propter LONGUM ſolummodo memorant Rhetores; immodicè breve non arguentes. Cujus ſe Exordiorum genere notatum fatetur * D. Jo: Chryſoſtomus: quanvis, ſi præſens reſpiciatur mos, potiùs fuerit brevior. Et quidem id habendum præ oculis: ne tempus, ubi breve eſt, Exordium abſumat: aut ne auditores adeò fatiget; ut cogatur deinde Orator potiores rationum nervos celeriter expedire. Ut enim Machabęorum hiſtoriographus * teſtatur: *Stultum eſt, ante hiſtoriam diffluere; in ipſa verò hiſtoria ſuccingi.*

Inſt. 4. c. 1.

ibid.

Hom. de ferend. repreh.

Machab. 2. v. 2.

VERECUNDUM etiam ſit, & ab omni alienum jactantia. Nihil enim eſt, quod ita auditorum animos capteret verecundia dicentis: nec aliquid pariter eſt, quod magis avertat; quàm jactantia. Indè veterum illa circa occultandam Eloquentiam ſimulatio hic maximè tenenda eſt, multùm ab aliquorum jactatione diverſa: qui, vel turgentibus Exordiis; vel tumidis operum frontibus; dum Oratorium aliquod opus aſtruunt; veluti magnificam januam parvæ ape-

aperiunt caſæ: quæ non deformitatem modò; ſed & ruinam inducat ædificio. Vitium huic oppoſitum Virtuti id habet, quod Inverecundum viſum eſt appellare: quo, vel dicendi modo, vel expreſſis oſtendunt verbis non pauci; quam de ſe ſupra cæteros æſtimationem habeant. Hoc non modicum affert audientibus faſtidium; imò & odium. Hoc invident humiliores: qui nec cedere volunt; nec poſſunt contendere. Hoc rident Superiores. Hoc improbant boni. Reprehenſus hac in parte * Cicero, ſe ipſum purgare conatur pro Domo dicens ſua ad Pontifices. Adeò nempè deforme videbatur Vitium in eo: qui non jam Eloquentiæ; (quæ & ipſa ſumma erat) ſed actorum pro Republica, ſuos defenſurus coadjutores, aut hoſtes accuſaturus, gloriabatur. Quid igitur de quibuſdam eſſet (ut Fabius * loquitur) arrogantibus: quorum plerunque fallacem de ſe opinionem deprehendas? *Quint. inſt. 11.c.1.* *ibid.*

ORNATUM prima facie eliminādum cuipiam ab Oratione videbitur Exordium. Si enim auctori ad Herennium * des aures: *In exordienda Cauſa ſervandum eſt; ut lenis ſit ſermo, & uſitata verborum conſuetudo: ut non apparata eſſe Oratio videatur.* Si verò Quintilianum * audias: diligenter, ne ſuſpecti ſimus, vitandum: propterquod oſtentari cura in Exordio non debet; quia videtur ars omnis dicentis cōtra Judicem adhiberi. Quare frequentiſſimè Procemium decere putat, & ſententiarum, & vocis, & compoſitionis, & vultus modeſtiam: adeò ut etiam indubitabili in genere Cauſæ fiducia nimiùm adhiberi non debeat: *Odit enim Judex litigantis ſecuritatem; cunque jus ſuum intelligat; tacitus reverentiam poſtulat.* Quibus & conſonare quodammodò geſtit * Auguſtinus: ex quo in Humili dicendi genere Principia; neque ſententiis altè petitis; neque verbis ultra modum ornatis; neque ſtructura graviore; ſed quaſi reſoluta gaudent, & ſimplici: vis autem omnium ſententiarum, quam his Principiis adhibemus, ea debebit eſſe; ut rem à proprietate revocet ad communitatem. Et in exemplum adducit Africanus Doctor Exordia Demoſthenis in libris Idioticis; & Ciceronis pro Archia. *lib.1.* *inſt.4.c.1.* *princ. Rhet.*

Reverà tamen non adeò decernendum abſolutè; ut ab omni penitùs Exordiorum genere Ornatus eliminetur. Apertiſſi-

2. de Orat. tiſſimè nanque Tullius * Prooemium exigit Accuratum ; Acutum ; Sententiis inſtructum ; Verbis aptum ; Illuminatum. Neque ii ſunt præcitati Rhetoricæ magiſtri ; qui omne prorsùs Exordio denegent Ornamentum. Fabius enim, & D. Auguſtinus manifeſtè de Oratione loquuntur : quæ, ſive ex ipſa Cauſa, ſive ex audientium auctoritate, (nempè Judicum) ſtyli poſcit, vel animi humilitatem. Cæterùm prior hic teſtatur * protinùs ; quidquid de Prooemio docu rat, aliquàtenus temporum ratione mutari : quia jam quibuſdam in judiciis, maximéque capitalibus, ipſi Judices accuratas actiones, & ſollicitas exigebant ; contemni ſe credentes, niſi in dicendo etiam appareret diligentia; nec doceri tantùm volentes, ſed etiam delectari. Poſterior verò in bonæ opinionis Cauſis * utendum Principiis docuerat erectioribus paulò, & confidentioribus; *& plenis dignitatibus ſine jactantia.*

Quint. inſt. 4. c. 1.

D. Aug. princ. Rhet.

Quoniam igitur ex modò paſſim Oratoribus Cauſæ ſunt, eóque ſeſe dicentis extulit auctoritas ; ut, præter Tenuem dicendi ſtylum à venuſtate, & tumoribus abhorrentem, deceat Magnificus, Mediúſque : vigeat inculcata ſæpiùs Tullii doctrina : habeátque Exordium * *Sententiarum, & gravitatis plurimum ; & omninò omnia, quæ pertinent ad dignitatem : propterea, quòd id optimè faciendum eſt; quod Oratorem auditori maximè commendet.* Veſtibulum enim quoddam (ut Ariſtoteles ait) Orationis Exordium eſt : non igitur omninò negligendum. Caput eſt : omnem igitur expoſcit artem, pictorum inſtar, atque ſculptorum ; quibus in capitibus elaborandis, & vultibus, tota deſudat frons. Vacuum prævenit animum auditorum : tale ergo ſeſe huic, debet ingerere; qualem univerſam credi cupit Orationem : ſemel enim imbuta recens ſervabit odorem teſta diu. Specimen (ut Ciceroni * placet) totius Orationis eſt : Orationis igitur ſpecimen reddat. Id tamen fit ; ut majeſtatem præferat venuſtati : cùm hæc affectata non parùm illi præjudicet. Atque, monente * Tullio, ſplendoris, & feſtivitatis, & concinnitatis nõ nimiùm contineat: quòd ex his ſuſpicio quædam apparatioris, atque artificioſę diligentię naſcitur; quæ maximè Orationi fidem ; Oratori adimit auctoritatẽ. Breviùs ut omnia dicam. Vultus, qualis virum deceat; non ca-

Cic. Inv. 1.

Orator.

Inv. l. 1.

calamiſtris refertus; non ceruſſatus ad muliebrem vanitatem: ſed virili ſic pulchritudine; virili majeſtate decorus.

Quę tamen, inquies, virilis hæc pulchritudo? Quòd aptum Exordiis virile hoc Ornamentum? Id equidem Figuras reſpicit; verborum ſignificationem; & Periodum: circa quæ omnis ferè noſtra eſt de Elocutione tractatio verſata. Periodum ſolis majorum Cauſarum aptam eſſe Proœmiis; ubi ſollicitudine, ac commendatione res eget; docuit* Quintilianus: paſſim verò Exordia variè; atque, ut eorum ſenſus exiget, componenda. Verba quoque idem alibi* ſic taxat ex pręceptis veteribus: ut ne quod inſolens verbum; ne audaciùs tranſlatum; ne ab obſoleta vetuſtate, aut poetica licentia ſumptum, in Principio deprehendatur. *Nondum enim*, inquit, *recepti ſumus: & cuſtodit nos recens audientium intentio. Magis conciliatis animis, & jam calentibus, hæc libertas feretur.* Figuræ verò omnis generis, tùm medium obtinent Exordii; tùm initium: ſed vehementiores tamen rariùs; & nonniſi ſumma cum prudentia ſunt adhibendæ. Medium itaque Proœmiorum motus quilibet, ſeu formula decet voluntatem inflectens. Et plures quidem congerit ejuſmodi figuras Reginæ Palatium Eloquentiæ:* quas huc non vacat adducere. Undè, ex Quintiliani* monito, faciunt favorem illa penè communia; non tamen omittenda; optare, abominari, rogare, ſolicitum agere: quia plerúnque attentum Judicem faciunt; ſi res agi videtur nova, magna, atrox. Decet & omnis generis ad cognitionem excitans figura; ſi idem inſpicias Palatium; eidénque Fabio* credas. Urbanitas enim opportuna reficit animos: & undecunque petita Judicis voluptas levat tædium. Apoſtrophes etiam has inter enumeratur: licèt enim à quibuſdam in totum ab Exordio ſubmoveatur; quòd naturalius ſit, ut eos alloquamur potiſſimùm, quos conciliare ſtudemus; attamen poteſt aliquando Cauſa ſenſum acriorem expoſcere; quem certè reddit ad alios converſio ſermonis. Sic in Oratione Tullii pro Ligario: *Habes igitur Tubero; quod eſt accuſatori maximè optandum; confitentem reum: ſed tamen &c.* Initium quoque Exordiorum eædem valent occupare formulæ; ſed tamen cautiùs: nec nunquam Apoſtrophes ipſa recipitur; aut alia ex figuris vehementioribus.

inſt.9.c.4.

Quint.inſt. 4.c.1.

Exerc.5. de Exord.

inſt.4 c.1.

ibid.

Digitized by Google

EX ABRUPTO igitur incipere opportunum; cùm vehementi aliquo affectu concitati meritò videri volumus; vel in ipſo aggreſſu Principii in Interrogationes, Exclamationes, aliáſve ex robuſtioribus formulis erumpendo. Sic Tullius * Catilinam conjurationis reum, & Reipublicæ ſævam minitantem cladem, primò oppugnaturus, Apoſtrophi Interrogationem annectit; ſic vim, nervóſque congeminans: *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? Quandiu nos etiam furor iſte tuus eludet? &c.* Et certè (ut Fabius * ait) quandocunque ſenſus aliquis eſt Exordio neceſſarius: quo jure; aut qua tanta ſuperſtitione prohibemur dare per hanc figuram ſententiæ vires? Cùm enim iſtud artium ſcriptores; non quia non liceat; ſed quia non putent utile, vetent; ſi vincet utilitas; propter eandem cauſam facere debebimus; propter quam vetamur. Non tamen, (quod eſt ejuſdem ſubſequens monitum nunc apprimè neceſſarium) *Non hæc; quia poſſunt fieri aliquando; paſſim facienda ſunt: ſed quoties præceptum vicerit ratio.*

in Catil. 1.

inſt. 4. c. 1.

PRONUNCIATIO nunc Exordii remanet brevibus inſtituenda: quæ & Vocem reſpicit; & Actionem. Voce ſedata, ac leni incipiendum: quòd * ſic maximè confirmentur; lędantur verò econtra arteriæ, ſi antequam leni voce permulſæ ſint, acri compleantur clamore: tùm quòd nihil inſuavius; quàm clamor in Exordio Cauſę, atque * agreſte quiddam, à principio clamare: nihil verò * ad conciliandū gratius verecundia. Actionem ab impudentia abhorrentem adeò vult * Cicero; ut ad timorem potiùs, & perturbationem deflectat; ne accidere poſſe putat; ut qui ornatè, ac facilè dicit, non timeat: quòd, ut quiſque optimè dicit; ita maximè difficultatem, varióſque eventus pertimeſcit Orationis; atque intelligit, nonnunquam ſummis Oratoribus non ſatis ex ſententia eventum dicendi procedere. Ipſe quoque ſic de ſe fatetur, ſummiſque Oratoribus illis, quibúſcum ſe ſimulat confabulari: *Equidem, & in vobis animadvertere ſoleo; & in me ipſo ſæpiſſimè experior: ut exalbeſcam in principiis dicendi; & tota mente, atque omnibus artubus contremiſcam.* Hanc tamen (prudentis licèt ingenii ſequentem ductum) potiùs naturalem paſſionem coercendam; quàm fovendam artis virtutem judicarem. Modeſtam,

Herenn. 3.

Cic. 3. de Orat.

Quint. inſt. 11. c. 3.

3. de Orat.

ſtam, ac verecundam Actionem; ut alibi ſemper; in Exordiis maximè commendo: timorem verò, atque tremorem illum ægrè fero. Non enim ego * nolo; eum, qui ſit dicturus; & ſolicitum ſurgere; & colore mutari; & periculum intelligere: quæ ſi non accidant; etiam ſimulanda erunt. *Sed intellectus hic ſit operis; non metus: moveamurque; non concidamus*. Indè Orationis, quæ à ſtante ſolet ferè tota recitari, nunquam permittit Exordium; ut ſedeat Orator: licèt permittant partes aliæ mitiores. Indè quoque tardiorem, ad Prolationis menſuram, motum, geſtúnque petunt Exordia; una ferè ſemper contenta dextera: eáque, nec omnia, quę in reliqua dictione; nec adeò vivaciter exprimente. Indè nullam deambulationem admittunt; ſolo ſuggeſti medio occupato ſitu: ſtatutam verò erectiorem: omnésque demum corporis partes exigunt moderatiores.

Quint. inſt. 12. c. 5.

PARS SECUNDA

DE PROPOSITIONE.

VIx eſt; in quo magis recentiorum mos Oratorum ab antiquiorum Rhetorum legibus, uſque primę vę illius Artis diffideat; quàm in Propoſitione adhibenda. Sed nihil ſanè mirum, noſtros ab iis diſſentire; qui & inter ſeſe non minùs diſcordes, varias in ſententias abiere. Congruúm indè reor; antequam noſtratum explicem mentem; quid illi de Propoſitione cenſuerint, examinare.

CAPUT I.

DE PROPOSITIONE EX PRISCIS RHETORIBUS.

NOn unum partis hujus omnibus nomen: Propoſitionem etenim alii Propoſitum; Expoſitionem alii nuncuparunt. Quid tamen in nomine laboremus, ſi de re quoque non omnibus una mens? Sed verò: ut, Cicerone verſato, Quintiliano, Ariſtotele, cæteriſque nonnullis; quantum fas erit, aliquid ex ſingulis unum colligamus: non ſine eruditionis fœnore quædam præmittemus de Status (cui noſtra Propoſitio reſpondet) origine: quam ex Cauſæ, Quæſtionis, atque ad hanc attinentium explicatione deducemus.

RUDIMENTUM I.

Quid, & Quotuplex antiquis Rhetoribus Cauſa, Quæſtio, Ratio, Judicatio, Firmamentum, & Status, ſeu Conſtitutio?

CAUSA generaliſſimum nomen eſt: eſt quoque peculiare. Univerſim etenim Cauſa ex vi ſui nominis (quod ex græcis deſumſit latini Rhetores) eſt velut Origo, & fons, undè emanat Quæſtio: ac ratio, quare Oratio inſtituatur. Simplex modò eſt: modò Conjuncta. Prior abſolutam in ſe unam continet Quæſtionem: ut ſi quæratur: *Corinthiiſne indicendum bellum?* Poſterior verò ex pluribus Quæſtionibus coaleſcit: ut ſi verſetur in Cauſa: *Utrum Carthago diruenda; aut reddenda Carthaginienſibus; aut ex ea Colonia deducenda?* Quòd ſi peculiarem ad ſignificationem Cauſæ reſtringatur nomen: tunc ſpecies altera Quæſtionis importabitur mox exponenda.

QUÆSTIO autem, varios inter aliorum loquendi modos, aptiſſimè à Quintiliano * finitur: *De qua in utranque partem; vel in plures dici credibiliter poteſt*. Omnis enim inter-

Inſt. 3. c. 13.

Interrogatio diſcutienda, quam gignit Conflictio Cauſarũ, Quæſtio eſt. Sit pro exemplo Conflictio Ciceronem inter* ſuſtinentem; quòd *Jure Clodium occidit Milo*: & adverſarios obſiſtentes: *Non jure occidit*. Quæſtio hinc emanans eſt: *An Clodius jure cæſus à Milone ſit?* Duplex eſſe communiter dicitur: Infinita ſcilicet; & Definita. Infinita Theſis grecè vocatur: latinè Propoſitum, Conſultatio; Quæſtio Univerſalis, aut Generalis; vel abſolutè Quæſtio; prout cuique ſuo loqui modo libuerit. In re ta men omnes conveniunt; eam nullis alligari temporibus, locis, perſonis, aut alterius cujuſque generis circunſtantiis: ut inquirat, exempli cauſa: *Sitne pro Patria moriendum?* Definita verò Hypotheſis grecè: latinè dicitur Particularis Quæſtio; Controverſia; vel Cauſa: certiſque circunſtantiis definitur. *pro Mil.*

THESIM etiam partem Cauſæ autumnant: eo quòd, in qualibet finita Quæſtione infinitam, utpotè in ſpecie genus, contineri, neceſſe eſt. Duplicem eam faciunt: aliam quæ ad puram conducat rerum cognitionem; cujus finis Scientia eſt: alteram, quæ ad agendum inſtruat; vel civilibus inſerviat Cauſis. Prioris exemplum hoc affert * Tullius: *A naturane jus profectum ſit: an ab aliqua quaſi conditione hominum, ac pactione?* Poſterioris quoque ibidem exemplum: *Sitne ſapientis ad Rempublicam accedere?* *Topic.*

CAUSAM verò, quæ Hypotheſis eſt, cenſerem, Apollodorum definiiſſe verbis illis: *Negotium, cujus finis eſt Controverſia: omnibuſque ſui partibus ſpectans ad Quæſtionem.* Negotium enim vocat Congregationem perſonarum, locorum, temporum, cauſarum, modorum, caſuum, factorũ, ſermonum, &c. De hac etiam intelligendus Tullius: * ubi ait; Cauſam certis perſonis, locis, temporibus, actionibus, negotiis cerni: aut in omnibus; aut in pleriſque eorum. Hanc Peripatetici (vel, ut alii vocare malunt, Academici) Lite, putant; Deliberatione, & Laudatione contineri. Sed malè mediuſfidius. Quidni enim virtus, quæ alios laudabiles facit, laudari poterit; quin in aliquo determinato ſubjecto inſpiciatur? Quidni prima, ſummáque rectę rationis dictamina, & è circunſtantiis omnibus abſtrahentia ſuaderi? Eſt itaque diſparata à pręſenti; quam in tria ge- *ibid.*

nera ſequenti trademus libro; Cauſæ diviſio nunc acerbè nimis ab Academicis aſſignata.

Inv.1. RATIO; vel (ut Cicero *loquitur) Ratio Cauſæ; ipſam dicitur continere Cauſam. Eſt enim propria defenſoris aſſignantis: quare, quod actor intendens criminatur, deneget, & depellat. Ea proinde ſublata; nihil remanet diſcutiendum in Cauſa: negare enim haud ſufficit ſine Ratione. Sic in Cauſa; qua Oreſtes matricidii culpatur; conceſſo facto, pro ſe ſubdet Oreſtes: *Jure feci: illa enim patrem meum occiderat.* Ubi prius illud Depulſio erit: poſterius hoc Ratio. Huic Infirmatio occurret adverſarii Rationem hanc evertere contendentis: qui dicet, exempli cauſa: *At non abs te filio matrem necari oportebat: potuit enim ſine tuo ſcelere illius factum puniri.* Et hæc quidem omnia etiam ad deliberandum valent conducere; vel laudandum. Quidquid enim, quale fuerit, quæritur: de eo queri etiam, antequam fuerit factum, poterat; quale futurũ, ſi fieret. Nec laus aliqua, aut bonitas reperitur: quę nullis ſit obnoxia aculeis Zoilorum, & conſequenter defenſoris indigens Ratione.

JUDICATIO quædam eſt Cõtroverſia ex Infirmationis, Rationiſque prædictarum orta Conflictione. Contendente enim cum Accuſatore Patrono de necis juſtitia, vel injuſtitia; & aſſignata ab utriſque proprii Confirmatione aſſerti; nova ſuboritur ejuſmodi Quæſtio: *Rectumne fuerit, ab Oreſte matrem occidi; quòd illa Agamemnonem Oreſtis patrem occidiſſet?* Sed, univerſaliùs ut loquar: Judicatio peculiaris eſt ea Quæſtio; circa quam omne judicium verſari debet.

FIRMAMENTI nomen duplicem apud eundem Tullium
Cic.Inv.1. obtinet ſignificationem. Primò nanque * Firmamentum vocat firmiſſimam defenſoris argumentationem, & ad prædictam Judicationem aptiſſimam. Ut ſi diceret Oreſtes: rectè à ſe matrem conjugalis ream ſanguinis occiſam: quòd ejuſmodi animum in patrem habuerit ſuum; in ſeipſum, ac ſorores; in regnum; in famam generis, ac familię: ut ab ea pœnas liberi ſui potiſſimùm petere debuerint. Atque hic totam ſiſtere putat Quæſtionem: ſive quia, ut cenſeo, non aliud altercandi tempus dabatur accuſatori: ſive, quia non ſecundam Rationem, aut tertiam; ſed poſtremam ex pluribus, quæ Conflictione continua naſci poſſent; adeó-
que

que firmam, ut nihil in eam valeat adverſarius, vocat Firmamentum. Secundò Firmamentum id nuncupat; quod nos diximus Infirmationem: quaſi quod Rationem evertens, labantem penè accuſationem firmet, atque conſolidet. Ait enim in Partitionibus: *Firmamentum autem; quod contrà ad labefactandam Rationem refertur: ſine quo accuſatio ſtare non poteſt. Ex Rationis autem, ac Firmamenti Conflictione, & quaſi concurſu Quæſtio exoritur quædam; quam Diſceptationem voco: in qua, quid veniat in judicium, & de quo diſceptetur, quæri ſolet.* Nos verò Infirmationis nomine retento; prius illud ſolúmmodo Firmamenti nomine intelligemus.

STATUS ab aliquibus Conſtitutio; Quæſtio ab aliis cum Apollodoro, & Hermagora nuncupatur. Theodorus omnia, quæ dici Oratione poſſunt, ad capita referens; quidquid probandum erit, Caput appellat: ſed ex pluribus majus ſeligit, ac ſummum aliquod; ad quod minora cætera referuntur: quod proinde Summam vocat Quæſtionem; noſtro utique Statui reſpondentem. Et quidem plura ſæpè dicit Orator contra adverſarium: quæ, licèt ad ſummam Cauſæ faciant; non tamen partes ſunt Cauſæ; nec ipſa Cauſa. Undè poſtquam ea probaverit; adverſario permittit ad Summam Quæſtionem deſcenſurus. Sic Cicero pro Milone plures Quæſtiones excutit: non tamen eatenus conflixiſſe Cauſam, ſentit * Quintilianus; benè verò; ubi totis viribus inſidiator; ideóque jure interfectus Clodius demonſtratur. Proinde in ſimplici quoque Cauſa plures aliquando Quæſtiones eſſe dicuntur: & ex Quæſtione Quæſtiones oriri convenit; (ut notat * Quintilianus) & Cauſa quoque ex Cauſa naſci videtur. Quæ utique ſuum ſingulæ Statum habent. Non tamen ſimplicis Cauſę Statum; de quo pronuncietur; & quod unum Orator præcipuè ſibi obtinendum, & Judex ſpectandum, intelligit; pluſquam unum eſt invenire.

Eſt igitur Status, ex Cicerone: * *In quo primùm inſiſtit, quaſi ad repugnandum congreſſa, defenſio; ſeu refutatio accuſationis, in qua depulſio eſt criminis.* Quin & non criminis modò depulſio; neque ſolius defenſoris refutatio Statum habet. Nam *& in Deliberationibus, & Laudationibus iidem exiſtunt Status;* (ſubdit Tullius) ut ſi factibile negetur eſſe;

inſt. 3. c. 6.

ibid. c. 13.

Topic.

ſe id, quod ſuadetur: aut id, quod laudatur, eſſe honeſtum. Neque ſolius eſt defenſoris Statum facere: ſed (ut variis inter ſententias probat * Quintilianus) pro Cauſarum multiplici conditione, modò rei; modò actoris eſt munus; prout eorum alterutri probandi onus incumbit. Itaque fallitur Hermagoras: cùm primam accuſatoris confirmationem, vel defenſoris depulſionem Statum vocat. Fallitur quoque ad Herennium auctor: * dum utranque eam ſimul Statum nuncupat. Neque ipſe ſcopum feriit, junior adhuc, Tullius: * ubi è præceptoribus ſuis plura congerens, Statum dixit primam Cōflictionem Cauſarum ex depulſione intentionis (criminationis ſcilicet refutatione) profecta. Non horum aliquid Status eſt: tùm propter hactenus dicta: tùm quia præſertim; quemadmodum, ſi quis diceret, ſonum eſſe duorum inter ſe corporum conflictionem, erraret: non enim conflictio; ſed ex conflictione eſt ſonus: ita, quæ ex Conflictione naſcitur Quæſtio; in ea Status eſt. Sic accuſatore intendente: *Milo Clodium occidit*: & depellente defenſore: *Non occidit*: Status in eo eſt: *An occiderit?* Quæſtio nanque ibi conſiſtit: & ex eo apparet; qua ſpecie Quæſtionis ex modò enumeratis quærendum ſit. Unde rectè Fabius * concludit: *In eo Status eſt; quod ſolum dicerem; ſi mihi pluſquam unum dicere non liceret.*

Inſt. 3. c. 6. · *lib. 1.* · *Inv. 1.* · *Inſt. 3. c. 6.*

Dividitur Status à Cicerone, * & Quintiliano * plures aliorum referente à ſe rejectas enumerationes: aliúſque Conjecturalis eſt: Definitivus alius: alius verò Generalis. Juxtà quam diviſionem partiri & Quæſtio poteſt: quatenus (ſive Rationem ſolam habeat, ſive etiam Judicationem) aut in Conjectura Quæſtio eſt: aut de rerum Definitione, ac nomine: aut de Genere ad finem concernente Orationis.

2. de Orat. · *inſt. 3. c. 6.*

Conjecturalis eſt in Controverſia facti: quia tunc conjecturis firmatur Cauſa. Putà in Judicialibus; cùm quæritur: *Occideritne matrem Oreſtes?* In Laudativis: *An verè; cùm Achilles ſodali ſuo Patroclo opitulatus eſt; ſciret, ſe ea de cauſa moriturum?* in Suaſoriis verò; in quibus de futuris Deliberationibus agitur: *Futurumne ſit; ut ſervent fidem Samnites; ſi Romani depoſuerint arma?*

Definitivus factum ſupponit, vel factibile id; de quo quæritur: & totus in nomine eſt indagando, definiendóque;

non

non vanæ vocis aucupio; ſed, ut indè faciliùs inferat, quidquid de re tali notata nomine indubia fatentur, aut denegant argumenta. Sic in foro convictus aliquis; quòd pecuniam è templo ſubripuerit: adhuc controvertet: *An hoc ſacrilegium ſit?* & conſequenter; ſacrilegiine pœnis ſubjectum. Sic etiam Haloneſum è latronum manibus ereptum, ut jam ſuum, Athenienſibus ſe daturum; non redditurum, ut alienum, promittente Philippo: orta eſt Controverſia: pro qua de nomine differens Demoſthenes * ſuadebat; Haloneſum ut acciperent Athenienſes, ceu proprium; non, quaſi Philippi eſſet; reciperent. Et de Mucio, quòd furtim in hoſtium penetraverit caſtra gladio Porſennam Regem confoſſurus; diſceptari poſſet: *Temeritaſne; vel imperterriti virtus animi id fuerit?* *Or. de Halon.*

Generalis de nomine nihil curat. Sed eo, vel non examinato; vel permiſſo: cùm de facto quoque conveniat: facti qualitatem inquirit. Inveſtigat enim: an tale ſit; quale ad finem ſuæ Cauſæ faciat: juſtúmne ſcilicet, vel injuſtum; in Judiciis: utile, aut honeſtum; noxiúmve, aut turpe; in Suaſionibus: & in Exornando; turpéne; vel honeſtum. Indè cum hoc præcedentem confundere Statum videntur Archidemus, & alii apud * Quintilianum. Prior enim Generalem omnem ad Definitivum reducit: quaſi idem ſit quærere; an aliquid æquum ſit? ac, quid ſit æquitas, ſciſcitari. Cæteri verò cunctam dant Quæſtionis vim Generali; quem Juridicialem contra communem loquendi modum appellant: Definitivum autem ſub Juridicialis genere, ceu ſpeciem, conſtituunt: quaſi in eo diſputetur; an æquum ſit, id, de quo agitur, hoc, illóve nomine nuncupari. Nunc verò ſint Generalis exempla. In judicio contendit Cicero * meritò Cn. Plancium ædilitatem petiiſſe: nec ejus proinde ambitum puniendum. Et ex ejuſdem Oratione * pacem Antonio deneganre ſi tertiam demas partem impoſſibilitatem pacis ejus afferentem; habes in Quæſtione Generali Statum circa honeſtatem, utilitaténque ipſius (quæ ſunt bonæ ſuaſionis duo cardines) ſe vertentem ſic: *Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt: Quia periculoſa.* *Inſt. 3. c. 6.* *pro Cn. Planc.* *Philip. 7.*

Tranſlativum his addit * Cicero: qui in ea ſit Quæſtione; in qua non is agere videatur, quem oportet; aut non *Inv. I.*

cum

dum eo; eo tempore, ea lege; eo crimine; quibus oportet. Tunc enim actio Translationis indiget, & Commutationis. Qui proinde Status proprius eſt defenſoris. Hujus inventor Hermagoras creditur: non, quòd veteres Oratores eo non ſint uſi; ſed, quòd ex Artis ſcriptoribus is primus eum animadverterit. Is tamèn à pluribus reprehendi-
inſt.3.c.6. tur: quos inter, ingenuè ſe retractans, * Quintilianus. Non enim, inquit, eſt in Translatione Quæſtio: ſed in eo, propter quod transfertur actio. Sic ſi quis ita contendat: *Non debes apud prætorem petere fideicommiſſum; ſed apud Conſules: major enim prætoria cognitione ſumma eſt*; quæritur, an major ſumma ſit; & in facti Controverſia Status eſt. Siquidem, an quis habeat jus actionis; ad eventum pertinet; & judicis eſt id videre: quare verò habeat jus, vel careat; indè Quæſtio naſcitur, & Status. Quidquid tamen de hoc ſit: etiam Laus, & Suaſio ſimiles huic Status habent. Ut ſi quis alium vituperaret; quòd Reipublicæ quidem jura defenderit, aut in hoſtium irruerit copias; ſed non eo tempore, quo oportebat: aut ſi quempiam, ne hujuſmodi quidquam agat, dehortaretur.

RUDIMENTUM II.

Quid penès antiquos Rhetores Propoſitio?

1.Rh.c.11. OMnium latiſſimè Propoſitionem explicat * Ariſtoteles: cùm ſibi perſpicuum aſſerat; non poſſe quodpiam è vulgatis illis tribus generibus (Laudativo ſcilicet, Judiciali, & Suaſorio) tractari ab eo; qui Propoſitiones iis proprias; item & utrique generi communes alias non haberet: Propoſitiones verò Rhetoricas eſſe proprias rerum notas, & veriſimilia ſigna; ex quibus omnis conſtat Syllogiſmus; & conſequenter etiam (quod Syllogiſmus quidam
Inv.1. eſt) Enthymema. Strictiùs aliquantò loquitur * Tullius, Propoſitionem; non totius Orationis; ſed peculiaris cujuſlibet Syllogiſmi *Summam argumentationis* exponentem appellans. Propiùs tamen ad rem accedit * auctor ad He-
lib.2. rennium: & dum perfectiſſimæ argumentationis partes enumerat; integram ideare videtur Orationem, quatenùs munus habet intellectum ſolùmmodo convincendi. Argumentatio

Digitized by Google

ratio igitur apud ipſum quinque diſtribuitur in partes. Propoſitio nanque præcedit: per quam ſummatim oſtendimus; quid ſit, quod probare volumus. Ratio cōſequitur, ſeu cauſa: quæ id verum eſſe, quod evincere volumus, brevi ſubjectione demonſtret: cui conſequenter totum fidei faciendæ pondus innititur. Confirmatio rationis tertium habet locum: quę breviter expoſitam rationem pluribus corroboret argumentis. Exornatio ſuccedit: qua pluribus ad probationis robur conducentibus quidem; non tamen neceſſariis; honeſtamus, atque locupletamur Cauſam. Complexio poſtrema eſt: quæ partes omnes colligens argumentationis, breviter concludit. Quarum omnium ſingula ſi cōſiderentur attentè: poſtremum hoc Enumerationis infrà explicandæ (quæ in Epilogo locum habet) munus eſt: media Confirmationis continent ſeriem: primum verò eſt ipſiuſmet, quam nunc inquirimus totius Propoſitionem Orationis. Id apertiſſimè docuit * Quintilianus inter peculiarium quæſtionum, argumentorúnque; & ſummæ illius quæſtionis Propoſitiones ſic diſtinguens: *Propoſitio videtur omnis Confirmationis initium: quod, non modò in oſtendenda quæſtione principali; ſed nonnunquam etiam in ſingulis argumentis poni ſolet.* Quibus ex omnibus id commune licet colligere: Propoſitionem Expoſitionem eſſe brevibus ſummam continentē quæſtionis alicujus: ſive ſcilicet univerſalis; ſive etiam peculiaris. *inſt. 4. c. 4.*

Dividitur ab eodem Fabio * dupliciter Propoſitio. Primò nanque alia Nuda eſt; qualis in cauſis conjecturalibus, ut: *Furtum obiicio*: alia Ratione ſubjecta; qualis in aliis cauſis omnibus eſſe poteſt: ut: *Majeſtatem Cajus Cornelius minuit: nam Codicem Tribunus plebis ipſe pro concione legit.* Secundò utraque ſimplex eſt; vel multiplex. Simplex unum duntaxat aliquid confirmandum aſſumit: cujuſmodi ambæ ſunt mox in exemplum adductæ. Multiplex duo, pluráve colligit, & exponit: quod & ipſum multipliciter evenit. Proponuntur enim aliquando plura ſeorſim, ſingula ſuis rationibus confirmanda: ut cùm Sacri Oratores Scripturæ exponentes locum aliquem; indè plura moralia ducunt punčta brevibus roboranda. Aliquando verò ex pluribus una fit Propoſitio: ſive, quòd plura illa partes hujus evadant: *ibid.*

ſive, quòd rationes quædam ſint ad unum hoc propoſitum collimantes: quas nos fuſiùs ſequenti exponemus capite; noſtris cuncta Propoſitionibus applicantes.

ibid. At verò: qui in Oratione locus, inquies, apud antiquos Rhetores Propoſitioni? Pluries utillimam aſſerit * Quintilianus. Primò enim utilem dicit; ubi factum in conſpectò eſt; & Finitione res agitur: ut in eo; qui pecuniam ſuſtulit de templo privatam: proponere enim ſic juvat: *De Sacrilegio cognoſcitis.* Secundò, cùm obſcura, & multiplex Cauſa eſt: clarior enim, & efficacior erit hujuſmodi Propoſitio confertim omnia in modum unici perhibens argumenti; cujus indè ſint infrà partes ſingulæ confirmandæ: *Lex apertè ſcripta eſt; ut peregrinus, qui murum aſcenderit, morte mulctetur: peregrinum te eſſe; certum eſt: quin aſcenderis murum; non quæritur: quid ſupereſt; niſi ut, te puniri, oporteat?* Hæc enim confeſſionem adverſarii premit: & quodámmodo judicandi moram tollit: nec indicat quæſtionem; ſed adjuvat. Tertiò, cùm adeò breves Cauſæ ſunt, ut potiùs Propoſitionem habeant; quàm Narrationem: ſatis enim, inquit, eſt dixiſſe: *Certam pecuniam creditam peto ex ſtipulatione*: vel: *Dico, ab Horatio ſororem ſuam interfectam.* Quod & in ſcholaſticis Declamationibus addit evenire: ubi cùm certa ſint, & pauca, quæ verſentur in Cauſis: exponuntur facillimè ante Declamationem; quæ Themata græcè vocantur; à Cicerone verò Propoſita: totúnque uno verbo crimen, in qualibet actionis parte poſito, ſatis indicatur. Ex quibus uni non acquieſco; quòd ſcilicet Propoſitionem loco Narrationis ſubſtituat: cùm potiùs Narratio cum Introductione conveniat; ut videbimus. Sed modò patior; atque diſſimulo.

Inſt.4.c.4. Ad Neceſſitatem interim Propoſitionis gradiamur. Non ſemper eam neceſſariam cenſet * Quintilianus. Aliquando enim putat; ſatis ex ſe manifeſtum eſſe; quid in quæſtione verſetur: putà cùm ibi Narratio facti, ſupra quod inquiritur, finem habet; ubi initium quæſtio. Aliquando verè etiam ad uſque finem totius circa factum argumentationis vult poſſe differri; facta jam ſummæ collectione: ut: *Hæc, ſicut expoſui; ita geſta ſunt. Inſidiator ſuperatus: vi victa audacia eſt.*

Ac

Attamen neutrum approbandum cenſeo. Non poſterius quidem: quia ſummæ collectio prędicta apertiſſima eſt Enumeratio ad Epilogum attinens; poſt quem nullus eſt locus Propoſitioni. Neque prius: quia nihil magis profiguum, aptiúſve puto; quàm prolixæ Narrationis ſummam colligere; de qua reliquum ſit futurum Orationis. Et is utique ibidem collectionem hujuſmodi minimè reſpuit: qua (ut ipſe loquitur) rerum ordine expoſito, ſubjicimus: *De his ergo cognoſcitis*. Ut ſit hæc commonitio Judicis: quò ſe ad quæſtionem acriùs intendat; & quodam veluti tactu excitatus, finem eſſe Narrationis, & Probationis initium, intelligat: & nobis Confirmationem ingredientibus; ipſe quoque quodámmodo novum audiendi ſumat exordium. Sed hanc interim vim Propoſitionis habere, fatetur: Propoſitionem verò per ſe eſſe, inficiatur. Quidni tamen & huic animadverſioni ſummorum recordationem capitum Propoſitione ſubnectere permittetur? Accedit quoque auctoritas Ariſtotelis: qui (ut is idem alibi * teſtatur) Propoſitionem ſubjungit Procemio: *Quia Propoſitio genus; Narratio ſpecies videtur: & hac non ſemper; illa verò ſemper, & ubique, credit, opus eſſe.* *Quent. inſt. 3 c. 11.*

Non ideò tamen inficior Quintiliano; * fallendum non raró auditorem, & variis artibus ſubeundum: ut aliud agi putet; quàm, quod nos petimus. Eſt enim aliquando dura Propoſitio: quam ſi providet; non aliter reformidat; quàm qui ferrum medici, priuſquam curetur, aſpexit: at ſi re non antè propoſita, ſecurum, ac nulla denunciatione in ſe converſum intrarit Oratio; efficiet id; quod promittenti non credetur. Sed non idcirco aliorum morem approbo: qui ne in redigendis variis, quæ ſunt ſine lege dicturi, ſub unica Propoſitione, laborent; ſolam innuẽtes materiam; de qua futura Oratio ſit, principalem; ſpecialem nullam aſtruunt Propoſitionem. Aliud nanque eſt; quod aliquando utilitas exigit: aliud; quod ſępè ſegnities indicit. *inſt. 4. c. 5.*

CAPUT II.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE PROPOSITIONE EX RECENTIORIBUS.

CLauditur ritè Exordium; ut communior fert recentiorum uſus Oratorum; proponendo totius Orationis aſſumptum: quanvis placuerit quibuſdam poſt Introductionem potiùs ſubdere Propoſitionem. Quidquid de hoc tamen ſit: à dictis in præcedenti capite minimè recedendum arbitror: & Propoſitionem eſſentialem Orationis partem eſſe pronunciandam. *Neceſſe enim eſt,* * *primùm rem exponere; de qua: deinde demonſtrare.* Undè ſummæ Quæſtioni, ſeu ſtatui Cauſæ, cum Areſio, reſpondentem aſſero Propoſitionem. Stabilito igitur Themate; (quod ſcilicet auditoribus ſuadere geſtit) & poſtquam principaliora invenerit argumenta ad id conducentia:horum concluſiones omnes mutuò conferens; ad unam Generalem Propoſitionem ea reducat, Orator, neceſſe eſt; quæ talis ſunt capacia reductionis. Aliàs quoque breviori via, (ſi id proprii felicitas ingenii, materięque fœcunditas permittet) illicò poſt præfixum ſibi finem; conſideratánque materiæ, circa quam Oratio debet eſſe, naturam; (putà Charitatis proprietatum, Clodii necis, aut ſimilium) efformari Propoſitio poterit ad eum, quem intendimus, conducens finem: quam indè per communia verſantes loca, argumentis pluribus fulciamus.

Ariſt. 3. Rh. 15. Art. pred. l. 1. c. 7.

Ut verò ad utrumlibet hoc (qualecunque ſit; ſemper tamen difficile) commodior aperiatur via; per aliquas perfectę Propoſitionis virtutes diligentiùs excurram. Sunt autem Unitas; Univerſalitas; Claritas: quibus addi in quarundam ornatum Novitas poteſt.

RUDIMENTUM I.

De Unitate, & Univerſalitate Propoſitionis.

UNam eſſe Propoſitionem debere, pro ſimplicibus innuit Cauſis * Quintilianus: ex quo *hoc inter omnes convenit; in Cauſis ſimplicibus ſingulos ſtatus eſſe Cauſarum*. Quin & pro quibuslibet apertè id ratio docet. Secùs enim, vel multiplex erit Oratio; ſi Propoſitiones confirmabuntur ſingulæ: vel defectuoſa; ſi alterius carebit probatione. Quòd ſi Horatius de poemate diſſerens; in quo variæ debent hominum actiones repræſentari; hanc exigit unitatem dicens: Inſt. l. 3. c. 6.

Denique ſit quodvis ſimplex duntaxat, & unum:

quò ea magis in Oratione requiretur: in qua repetiti rationum ictus, ſi unam conferantur in Propoſitionem; acriùs intellectum evincunt, movéntque fortiùs voluntatem? Non ideò tamen nego, locum aliquando futurum neceſſitati plura diſparata, nec unibilia themata præcipienti: qualia forte ſunt apud D. Jo: Chryſoſtomum * Juramentum, & toleranda Paupertas. Sed tamen aliud eſt, quod Ars præcipit: aliud, quod exquirit neceſſitas; quæ, ut ajunt, legem non habet. Quin & Ars quoque dictat; ut ratione potiſſima ſuadente, Ars ipſa deſeratur. hom. 28.

Ad hanc verò Unitatem, non unicum modò ſubjectum Panigarola requirit; ſed & unicum quoque prædicatum. Et pro ſe tùm Ariſtotelem* adducit unum exigētem poema; quod ſcilicet unam exhibeat actionem: tùm exemplum Homeri ſolam Achillis iram Iliade; ſolúmque Ulyſſis iter Odyſſea canentis. Sed verò, Areſium * ſecutus, non video; quare meliorum uſus Oratorum in hoc reprehendendus: qui non Unitate ſolùm ſimplicitatis, tùm ſubjecti, tùm prædicati Unitatem requirentis; ſed & Unitate compoſitionis plura prædicata in unum quid congerentis ſuas donant Propoſitiones. Et quidem citatus Stagirita earum ſolùmmodo pluralitatem actionum excludit: ex quibus una nunquam actio mutua dependentiæ connexione fiet. Undè eos damnans; qui, vel Heracleida, vel Theſeida confinxere de uno Theſeo, vel Hercule varia prædicantia: Homerum Poet. c. 6. Art. pred. l. 1. c. 7.

rum laudat? quòd de uno Ulyſſe, unóve Achille non omnia dixerit; *quorum cùm alterum evenerit, minimè neceſſarium fuit, vel veriſimile, eveniſſe & alterum*. Concludit perinde id caput aſſerendo; decens eſſe; uniuſcujuſque fabulæ *ſic rerum inter ſe partes cohærere: ut ne illa quidem, vel transferri, vel ſubtrahi queat; quin totum illud varietur, planeque immutetur*. Cæterùm idem ipſe paulò inferiùs;* fabula diviſa in Simplicem, & Implexam; ad hanc perfectiùs habendam peripetiam requirit; contrarias ſcilicet actiones; mutationéſque oppoſitas: quas tamen ita aſtruendas monet: *ut ex his, quæ priùs acta fuerint, neceſſariò ſequi; aut certè veriſimiliter agi videantur*. Nos itaque plurium quoque partium connexionem requirentes; quomodo multiplices habere Unitates Propoſitio valeat, ut videamus; ſingulorum genera Topicorum perluſtrabimus: ut undè probationum emergit multitudo; indè quoque earum connexio in Propoſitionem Unicam hauriatur.

*Ariſt. Poet. c.9.

THESIS in primis Unitatem dat Propoſitioni: cùm peculiares multæ non rarò poſſint in unam communem, & à dividentibus particularitatibus abſtrahentem adunari. Eam locus ſubminiſtrat à Genere, & Specie: vel (ut alii malunt) à Partibus utcunque componentibus, & Toto. Theſim enim nunc dico Propoſitionem; non, quæ àbſolutè omnibus circunſtantiis ſit immunis: (quis enim univerſaliſſimam Propoſitionum omnium adinveniet unquam?) ſed quæ relatè ad peculiares in ea convenientes univerſalis ſit. Sic proponere ex Genere poſſem: *Veram ab hoc mundo felicitatem exulaſſe*: probaturus; divitias non ſatiare; non beare delicias; nullam inveniri in dignitatibus felicitatem; &c. Sic etiam ex Toto poſſem dicere: *Mundum hiſce temporibus verè poſitum in maligno*: cunctas mundi partes Orationis decurſu malignitatibus obnoxias oſtenſurus.

Ad reliqua verò loca quod attinet. Nomen unicum plura congeret; ſi exempli cauſa, quis diceret: *Fures homines à Canibus mordentur*: terreſtribus ſcilicet in rabiem actis; ac marinis naves, & littora aggredientibus. Comparatorũ Similitudo ſubminiſtrat pluribus Unitatem. Eſt autem aliquando hujuſmodi convenientia plurium immediatè inter ſe: ut quam exhibuit ingenioſiſſimus quidam de Sancto

noſtro Patriarcha verba facturus Dominica infra ejuſdem octavam die; qua feſtum incidebat Divi Laurentii; illud aſſumens * utrique applicabile: *Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.* Aliquando verò convenientia eſt cujuſdam cum pluribus inter ſe diſparatis: ut cùm D. Jo: Chryſoſtomus * Paulum Apoſtolum aſſerit virtutum Paradiſum omnia continentem bona; quæ ſparſim pluribus in viridariis animarum reperiuntur. Oppoſitio quoque,ſi aptè adhibeatur,Unitatem præbet: ut ſi quis probandum ſuſciperet; *Chriſti legem onus eſſe; ſed leve*: tùm onera allaturus, quibus ſubjacere Chriſtianus debet; tùm levamina, quibus ad id ferendum oneris allicitur.

Pſalm. 111. *v.*9.

*Hom.*1. *de laud. Pauli.*

Circunſtantias etiam, ut pertranſeamus. *Quis?* Cauſam unicam plurium effectuum præcipit inquirendam: ut, cùm noſter, & Eloquentia, & infula Illuſtriſſimus, D. Placidus Carafa * pœnas à Deo obſtinatis incuſſas in hoc mundo ad unam cauſam; Juſtitiam ſcilicet, reducit,proponens;Temporalem Dei Juſtitiam manifeſtari ex iis;quas hactenus inflixit; quas actu exequitur; quas fulminare poteſt in populum quemlibet contumacem. *Quid?* pluribus ex cauſis procedentem unicum Effectum innuit indagandum: ut ſi virtutum omnium commoda redigeres ad unum, dicens; ſpiritualem vitam eſſe cœleſtis, ſummíque Theſauri feliciſſimam mercaturam. *Ubi?* quæ eodem eveniunt in loco; Unitatem ab eo recipere commonſtrat: cujuſmodi ſunt quælibet Topographica: eorum ſcilicet hiſtoriæ; quæ, licèt diverſa tempora, & perſonas reſpicientes; in eodem tamen aliquo loco contigere. *Per quæ?* ejuſdem Medii terminum multiplicem unificari poſſe deſignat: ut ſi Achillis enumeraturus palmas, de ejus haſta; vel integram enarraturus liberati Iſraelis ex Ægypto hiſtoriam, de Moyſis virga te dicturum proponeres. *Quoties?* in unum redigi monet; quæ ſemel ſunt facta: quod certè rariſſimum eſt; ſed eo tamen uti evenit aliquandò: ut ſi illud Pſalmiſtæ aſſumas: *Semel locutus eſt Deus: duo hæc audivi; quia poteſtas Dei eſt; & tibi Domine miſericordia: quia tu reddes unicuique ſecundum opera ſua*: amplificaturus ſimpliciſſimæ hujus loquelæ multiplices conceptus; Omnipotentiæ ſcilicet; Miſericordiæ; ac Juſtitiæ divinæ. *Cur?* ad unicum plura reduci poſſe

*Fer.*4. *poſt Dom.*1. *Quadrag.*

*Pſalm.*61. *v.*12.

Finem

Art. pred. l. 1. c. 9. Finem, oſtendit: ut ſi cum Areſio * pro die Cinerum propo-
neres Expugnationem humani cordis à Deo tentatam fame
imperati Jejunii; aggreſſionibus indictæ Pœnitentiæ, me-
moriæque Mortis; ac ſuaſionibus; & promiſſis Theſauri
non deficientis in Cœlis. *Quomodo?* ea congregat; quæ u-
niuſmodi ſunt; unde noſter Carafa in ſuis Quadrageſima-
Fer. 2. poſt Dom. 1. Quadrag. libus Orationibus de extremo Judicio * verba facturus; ſi-
mul iis de Paſſione Domini nonnihil inſerit ſub ea Pro-
poſitione: quòd ſcilicet Chriſtus Dominus tunc ſibi in Paſ-
ſione illatas ulciſcetur injurias; eo homines modo judican-
do; quo fuit ab hominibus judicatus. *Quando?* ex Tempo-
re Unitatem ſubminiſtrat: quod præſtant Chronicæ; nem-
pè variorum hiſtoriæ locorum, quæ in pluribus accidere
locis, ſub unius temporis capite adunantes: hiſtoriæ nan-
que & ipſæ Orationes ſunt; quanvis imperfectę: &, ut ſuo
dicetur loco, nec Exordio carent; nec Propoſitione.

Extrinſecis porrò ex locis ſolam explicabo ex Auctorita-
te Divina, quam Sacra Scriptura continet, Unitatem. Ita-
que, qui exponitur Sacræ Scripturæ textus; (exempli cauſâ,
Evangelium) vel unicum aliquid ſubminiſtrat; vel plura.
Unum ſi præbet: jam ſatis ex eo *Propoſitionis* Unitas ha-
betur; ut proponere ſufficiat; de lachrymis, exempli gra-
tia, Magdalenæ futuram Orationem. Plura verò ſi dat: tunc
ad omnia recurri poteſt hactenus expoſita loca; è quibus
eorum repetatur Unitas. Nec nō etiam ipſius Unitas Evan-
gelii, cujus continua paraphraſis ſit Oratio, ſatis erit; ſi
ipſi magis, quàm rebus ab eo narratis aptetur Propoſitio:
ut ſi diceres pro Feria quarta Cinerum; Evangelium ejus
diei Lydium eſſe lapidem veram à falſa juſtitia diſcernen-
tem; atque à fugacibus opibus aurum diſcriminantem per-
ennium divitiarum. Quin ex pluribus Evangelii partibus
Art. pred. l. 1. c. 9. rationes nonnunquam erui docet * Areſius: quæ in una ali-
qua ligentur concluſione; ſive à nobis poſita; ſive ex Evan-
gelii ipſius verbis eruta. Dátque exemplum ex Evangelio
de inimicorum dilectione: circa quod erit Propoſitio: Re-
ctè à Chriſto exigi, ut diligatur inimicus; quia ſic erimus
filii Patris, qui in cœlis eſt; ſecùs verò nullam mercedem
habebimus: vel diligendos inimicos; tùm quia Chriſtus
hoc nobis dicit; tùm quia ſic filii cœleſtis erimus Patris;

tùm

tùm quia ſecùs non aliam, quàm Ethnici, mercedem recipiemus. Quæ etiam valere puto in conciliandis verbis ex pluribus Evangeliis, aliiſve Scripturæ locis deſumptis.

Accedit his quoque Unitas; quam ex plurium locorum immiſtione colligunt ingenioſè nonnulli Propoſitiones aſtruentes: quæ vel plura Scripturæ occurrentia loca concilient; ut putà duplex eodem propoſitum die Evangelium: vel plures rerum, perſonarúmque circunſtantias adunēt: ad quæ etiam componenda eadem ſupradicta loca conducunt. Prioris exemplum audiri paſſim occurrit à Sacris Oratoribus: ut cùm die Cinerum coaleſcentia Themata proponūt ex Evangelio, Epiſtola, ac verbis illis ab Eccleſia propoſitis: *Memento homo &c.* Poſterioris verò ingenioſiſſimum illud ex Apocalypſi * petitum, de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento propoſitum in Eccleſia, cui nomen ex monte: *Et vidi: & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion.* *Apoc.* 14, v. 1.

Id demum his omnibus pro Unitatibus adverto: undè eæ petuntur; id Propoſitionis objectum eſſe principale conſtituendum. Sic ubi D. Paulum laudare voluit Chryſoſtomus * ſuprà relatus; non ſe virtutum omnium flores in unà Pauli anima, tanquam in Paradiſo, oſtenſurum promiſit; ſed potiùs Paradiſum virtutum omnium Apoſtoli animam indicavit. Non tamen huic officit animadverſioni; quòd obliquam tale hoc obtineat inflexionem: ut æquè potuerit dicere Chryſoſtomus; ſe unius Pauli animæ, tanquam florentis Paradiſi, varia virtutum germina deſcripturum. *Hom.* 1. *de laud. Pauli.*

UNIVERSALIS porrò debet etiam eſſe: non, quòd pluribus exigatur aptabilis Orationibus, & communis: ſed quia omnia complectens requiritur; quæ integra Oratione ad eam collimantia dicentur. Duo ad hoc faciunt. Alterum; ne ſterilem eligamus Propoſitionem: & ſi ſterilis fuerit; ut ad circunſtantias recurrendo, vel ad genera ſubjecti, prædicati, adjunctorúmque cæterorum, fœcundemus. Alterum; ne Orationis decurſu Propoſitionis obliviſcamur; ſed omnium, quæ dicimus, unicum ſignum ſit; id ſaltèm mediatè, probare; quod ſemel propoſuimus: ne, ut vulgò dicitur, ab incendio incipientes proſequamur cum tempeſtate.

RUDIMENTUM II.

De Claritate Propoſitionis: ubi de ejus Diviſione.

CLARITAS omnium Oratoriæ Artis gratiſſima virtutum ex brevitate potiſſimùm, verborúmque candore audientium apto capacitati, in Propoſitione reſultat. Simplices inde Cauſæ Propoſitiones clariſſimas admittunt; quòd nihil breviùs re ſimplici exprimatur: ut ſi Deum amabilem ſuper omnia; virtutem expetendam; atque hujuſmodi proponas. Difficiliùs miſta Cauſa virtutem hanc Propoſitioni permittit. Sed præſtò tamen modus eſt eam illuſtrandi Diviſione: quam Partitionem appellat Quintilianus: unde * multiplices Cauſas, ſi conjungantur in unicam Propoſitionem, in Partitionem cadere expreſsè docet. Divus tamen Auguſtinus,* Ciceronem * ſecutus, Partitionem duplicem facit: Secernentem alteram id, in quo cum adverſariis convenimus, ab eo, in quo diſcrepamus; quod ad Introductionem attinere, infrà monſtrabimus: alteram verò Diſtribuentem; partes ſcilicet Propoſitionis enumerantem; de qua nunc ſermo.

inſt.4.c.4. *Princ. Rhet.* *Cic.Inv.1.*

DIVISIO igitur, ſeu ſpecies hæc Partitionis; utillima, non uſu modò, tùm principaliorum antiquæ ætatis Oratorum, tùm Sacræ profeſſorum Suadæ comprobatur: ſed & confirmatur ratione. Opportunè ſiquidem habita (ut Tullius,* Fabiúſque * conſentiunt) plurimum Orationi lucis confert, & gratiæ; totámque reddit illuſtrem, & conſpicuam: rebus veluti ex turba extractis, & in conſpectu poſitis, dociliores faciens auditores. Quo ex capite laudatiſſima eſt Ciceronis * illa Diſtributio: *Intelligo, Judices; tres totius accuſationis partes fuiſſe: & earum unam in reprehenſione vitæ; alteram in contentione dignitatis; tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam.* Auget quoque in auditoribus attentionem; eos videlicet à tædio levando: reficit enim audientem certo ſingularum partium fine; non ſecùs, ac facientibus iter notata ſcriptis in lapidibus ſpatia multum detrahunt fatigationis: nam & exhauſtis laboribus noſſe menſuram voluptati eſt; & hortatur ad reliqua fortiùs exequenda ſcire, quid ſuperſit. Quandoquidem nihil

Cic.ibid. *Quint.inſt.4 c.5.* *pro Murena*

lon-

longum videri neceſſe eſt, in quo, quid ultimum ſit, certum eſt. Inſuper: quæ, Partitione non præmiſſa, probantur: in iis evenit pluries; ut id argumentum poſtremum eſſe putet auditor; cui altero ſubrogato, nauſeat veluti prolixam Orationem. Quod ſemper vitatur; ſi ſciat præmonitus, quę Propoſitionis partes adhuc remaneant confirmandæ. Quin & non rarò neceſſaria omninò eſt; cùm Propoſitionis unitas non eſt realis: undè non habet veriſimilitudinem; niſi Diviſio intercedat ſignificationis, in qua ſumitur. Sic ſi probaturus ſis; Peccatum eſſe animæ venenum, & corporis: non ſufficit proponere venenum: ſed diverſitas inter proprietatem, & Metaphoram, enumeratione eorum, quæ venenum hoc inficit, innuenda.

Hæc verò pauci quidā inficiantur, periculoſam eò Diviſionem aſſerentes: quòd ſoleant nonnunquam; aut excidere, quæ promiſimus; aut, quæ præterivimus, occurrere. Verùm his plenè Quintilianus * ſatisfacit: eveniri iis ſolùm hæc poſſe, docens: qui planè nullo ſint ingenio; vel ad agendum nihil deferant præmeditati. Potiùs omitti Diviſio poteſt: ſive, ut gratiora fiant; quæ, veluti ſubitò inventa; nec domo allata, inter dicendum adduntur non prævisa: ſive, ut levia, & infirma argumenta, quæ ſcrupuloſæ Diviſionis ſolertia disjuncta non urgent, turba valeant, & eruptione: ſive, ut nimis averſus rectis artibus ſubeatur auditor; ut animum ſibi feriri ſentiat, ictum verò minimè prægnoſcat. *Inſt. 4. c. 5.*

Locus, qui Diviſioni tribuitur, eſt, vel Exordii finis in ipſa Propoſitionis exhibitione: vel in Introductione; cùm ante Confirmationis initium Propoſitio ipſa reperitur: vel inter confirmandum; quoties ſcilicet rationum aliæ Propoſitionem in confuſo ſumptam utrique communem evincunt parti; aliæ verò alteram ſolùmmodo confirmant partem; quibus proinde ille præmittuntur: tunc enim, prioribus abſolutis, ad poſteriores Diviſio viam facit. Nonnunquam etiam Introductionis vice Diviſio ſubrogatur. Quod facit in ſuis Quadrageſimalibus Concionibus * Juglaris: ubi miſeriarum duplex pro Introductione genus diſtinguit; quorum utroque miſerum eſſe, qui talis eſſe velit, ſe probaturum, oſtendit. Imò Principium ipſum à Diſtributione, & *Fer. 6. poſt Dom. 1. Quadrag.*

 or-

pro A. Cluent. ordine dicendorum Tullius * habet ſic : *Animadverti, Judices ; omnem accuſationis Orationem in duas diviſam eſſe partes : quarum altera mihi niti, & magnoperè confidere videbatur invidia jam inveterata judicii Juniani : altera tantummodo conſuetudinis cauſa timidè, ac diffidenter attingere rationem veneficii criminum; qua de re lege eſt hæc quæſtio conſtituta. Itaque mihi certum eſt ; hanc eandem diſtributionem invidiæ, & criminum ſic in defenſione ſervare : ut omnes intelligant ; nihil me, nec ſubterfugere voluiſſe reticendo; nec obſcurare dicendo.*

Virtutes autem bonæ Diviſionis quinque aſſignātur. Debet enim eſſe Integra; ſed Brevis : quod poſtremum potiſſimùm obtinebitur ; ſi erit Immediata ; Neceſſaria ; Diſtincta. INTEGRAM eſſe oportet; & quæ totam adæquet Propoſitionem, nihil ejus relinquens: ne quid non propoſitum videatur Oratio probatura. Omnes enim Enumeratione per Diviſionem factæ acquieſcunt. Undè malè quis diceret : oſtenſurum ſe ingentia bona ; quæ ex virtute proveniunt : bonam ſcilicet famam ; bonáque ſpiritus. Ubi enim reliqua ſunt corporis bona ? BREVIS, tùm quoad voces ſit ; tùm quoad res. Quoad voces utique ; quatenùs nullo
Quint. inſt. 4. c. 5. ſupervacuo oneretur verbo: * *Non enim, quid dicamus ; ſed, de quo dicturi ſimus, oſtendimus*. Quoad res verò ; quòd partes quò pauciores exhibeat. Has tamen, qui ultra tres enumerare, cum auctore ad Herennium, veluti inviolabili vetant lege; non audiendi. Ultrò nanque fateor : quæ nimiùm multiplex eſt ; memoriam fugere judicis, intentionémque turbare : illóſque & ipſe reprehendo; qui (apud * Fabi-
ibid. um) *cùm fecerant mille particulas ; in eandem incidunt obſcuritatem, contra quam Partitio inventa eſt*. Quid enim turpiùs ; quàm, id obſcurum eſſe : quod in eum præcipuè adhibetur uſum ; ne cætera ſint obſcura ? Sed tamen ; an tres, pluréſve facere partes liceat ; res ipſa potiùs ; quàm Ars ulla decernet. DISJUNCTA quoque ſit; ne cujus poſueris genus; ejus ſecum aliquam partem ponas; unam proinde Diviſionis partem includens in altera. Quem in erro-
Inv. 1. rem incideres, ex * Cicerone ; ſi proponeres : *Propter audaciam ; & cupiditatem ; & avaritiam adverſariorum ; omnia incommoda ad Rempublicam perveniſſe*. Genus enim eſt libidi-

bidinum omnium cupiditas: cujus profectò pars eſt avaritia. IMMEDIATA quoque: ut non ad ſpecies quaslibet deſcendat; ſed genera ſolùmmodo quærat; in quæ primùm dividitur Propoſitio. Cui legi contrarius eſſet, qui diceret: in illud * Sapientiæ: *Venerunt mihi omnia bona pariter cū illa* bona, tùm fortunæ; tùm famæ; tùm naturæ; tùm animæ Sapientiam comitari. Satis enim eſt dicere, bona tùm animæ; tùm corporis afferre ſecum Sapientiam: bona verò corporis in ea, quæ famę, fortunę, aut naturę ſunt, partiri; cùm ad poſterius exponendum genus fuerit in Confirmatione perventum. Undè Q. Hortenſio (licèt ex diligentia partiendi non parùm laudis excipienti) leviter irridet * Cicero ob conciſam nimium, & in digitos diductam; atque articuloſam Diviſionem. Nam & auctoritati plurimùm detrahunt minuta illa; non jam membra; ſed fruſtra: & quæ natura ſingularia ſunt; ſecant: nec tam plura ſunt dividentia; quàm minora. NECESSARIA demum eſto: quæ ſcilicet non eas partes contineat; quarum altera ſi probaretur ſatis; nihil cæteris opus eſſet. Quo ex capite non defuerunt apud * Quintilianum; qui Ciceronis illam pro Cluentio Diviſionem improbarint: qua, ſe dicturum eſſe, promiſit: primùm, neminem majoribus criminibus; gravioribus teſtibus in judicium vocatum; quàm Oppianicum: deinde, prejudicia eſſe facta ab iis ipſis judicibus; à quibus condemnatus ſit: poſtremùm, judicium pecunia tentatum; non pro Cluentio; ſed contra Cluentium. Tertium enim ſi probari potuiſſet; nihil certè neceſſe, dicere priora. Non ideò tamen excludo probandi genus ad abundantiam: quo ſtabilita, quantùm licuit, noſtra Cauſa; iis deinde adverſariis permiſſis; aliquid ultrà addamus. Quod Fabius * in Cicerone * commendat: ubi inſidiatorem primò Clodium oſtendit: tùm addit; etiamſi is non fuiſſet; talem tamen civem, adeóque Reipublicæ infenſum, ſumma virtute interfectoris, & gloria, necari potuiſſe. Aliud nanque eſt ſuperflua vero quæſtionis ſtatui longiùs præmittere: aliud ſtatum ipſum; ſi fortè cuique non ſatis videretur ſolidum; ulteriori ex capite roborare. Illud inſipientis eſt, tempus, (ut dicitur) & aquam perdere geſtientis: hoc prudentiæ dictamen. Ut enim certa manus uno

Sap. 7.

pro Quinct.

inſt. 4. c. 5.

Quint. ibid.

Cic. pro Mil.

poſſit

poſſit eſſe telo contenta: incertæ tamen plura ſpargenda, ut ſit & aliquis fortunæ locus. Inſuper diverſum quid eſt, Cauſæ plures facere partes apto diſtributas ordine; quod ſępiùs probo: ac Diſtributionem ipſam in limine proponere; cui non idem ſemper eſt locus.

Inv. 1. Ordo porrò Diſtributionis partibus, ex Cicerone, * is detur; qui retinendus in Probatione erit. Tùm, quia ſic, non eum dicentis libertas; ſed rerum natura, quæ legem Probationibus ponit, etiam videbitur in Propoſitione expetiſſe. Tùm, ne, quæ ſecundo loco ſunt propoſita, eo probari nō cognoſcens auditor; cùm ad ea, quæ tertium habebant locum, ſit perventum; in oblivionis, aut inſidiarum incidat ſuſpicionem.

Denique: ne eodem ſemper modo propoſita Diviſio vileſcat: Novitatem aliquam, ac varietatem à figuris quibuslibet porrectam induet: præſertim verò à moventibus potentias cognoſcitivas. Sic Interrogatione, & Reſponſio-
Philipp. 7. ne Tullius * dividit: *Cur pacem nolo? Quia turpis: quia periculoſa: quia eſſe non poteſt*. Nobis verò ad ipſius Propoſitionis oportet deſcendere Novitatem diſtinctiùs explicandam.

RUDIMENTUM III.
De Novitate Propoſitionis.

Nihil adeò bonum eſt; nihil adeò magnum: quod non uſus contemnat. Quid enim majus, ac mira-
Aug. ſerm. 4. in vig. Nat. Dom. Bern. in Nat. Dom. Matth. 6. v. 29. bilius unquàm, Auguſtino teſte, * & Bernardo; * quàm, ex minimis granulis tot, tantarúmque meſſium ſegetes germinari? Quid; quàm, aves, & lilia, proprio nullo ſtudio, pennis, foliiſque, mira colorum admiſtione veſtiri; ut * *Nec Salomon in omni gloria ſua coopertus, ſicut unum ex iſtis*, fuerit unquam? Quid; quàm elementa perenni commutatione deficientia refici: oriri ſolem jugiter, & occidere, certis periodis: errantia ſidera immutabili lege percurrere: cœlos harmonica vertigine circumvolvi? Hęc tamen omnia nobis aſſiduitate, ac largiori ſui copia viluere. *Naturale nanque eſt*, (ut advertit * Seneca) *magis nova, quàm*
7. qu. nat. c. 1. *magna, mirari*: & quandiù ſolita decurrunt; magnitudinem

re-

rerum conſuetudo ſubducit. Sed parùm tamen eſſet, magna conſuetudine deſpici; niſi & bona quoque uſu trita faſtidium generarent. Ea ſiquidem eſt hominibus nauſea ſuper iis, quæ uſus familiaria reddidit; quanvis utilliſmis: ut niſi veritati varietatem ſocies, & ornatum; cuncta faſtidiant: quibus ſola viciſſitudo eſt jucunda.

Ideóque cæteras inter dotes; de quibus hactenus dictum eſt; aliquam exigit Propoſitio Novitatem. Hanc verò recipere quidē poteſt nō modicam à figurarū omnium diverſitate. Sed breve ornamentum: & quod ultra Propoſitionis ipſius verba ſeſe minimè extendat. Nos verò durabilem quandam inquirimus Novitatem; quæ totum Orationis tegat corpus, & ornet. Quare principaliora, quæ adduci ſolent, capita ad quatuor reducam modos aliquid aſſerendi; præter ſimplicem illam, & incomptam, abſolutámque Propoſitionem: qui generaliſſimas omnes cognoſcendi, loquendíque formulas amplectuntur. Quidquid enim occurrit: vel de eo dubitamus: vel enunciamus aliquid. Quidquid verò enunciamus: vel de eo, prout in ſe eſt, dicimus: vel cùm alio comparando. Inſuper: vel, quale eſt, proferimus: vel præterquam ſit credibile, innovamus. Utrumlibet verò modò propriis vocibus: modò tranſlatis exprimimus. Ex quibus omnibus Problematicæ; Comparativæ; per modum Paradoxi; vel Metaphoricæ fiunt Propoſitiones.

PROBLEMATICA igitur Propoſitio rem ad modum ſimplicis quæſtionis exhibet diſcutiendam; verbi cauſa: Plúſne utilitatis; an perniciei mundo attulerit aurum? Feliciórne fuerit Diogene Alexander? &c. Cùm enim quæſtio inter oppoſitas ſemper verſetur partes: & oppoſitio, modò prædicatorum eſſe poſſit; modò etiam ſubjectorum: alterutrum ſemper venire poteſt in ancipitem quæſtionem. In hujuſmodi Propoſitione confirmanda, utraque pars oppoſita rationibus fulcienda eſt: ne gratis inſtituta videatur quæſtio. Sed tamen ſolet multipliciter agitari. Libet enim aliquibus indeciſum relinquere Problema: ubi exercendi potiùs ingenii ſtudio, quàm aliquid ſuadendi, Academicis vacant dicacitatibus. Quod tamen neque probandum duxerim; nam alteram tueri quæſtionis partem; & majoris

ris acuminis indicium eſt; & exercitationem verò reddit certamini aptiorem. Qui verò partem decernunt alteram: modò à probando oppoſitam ducunt initium: modò verò à propria confirmanda ſententia; cui indè adverſa opponentes argumenta confutant. Sed hoc communius: illud verò conformius Problematicæ Propoſitioni. Aptior igitur hujuſmodi Propoſitioni rationum diſpoſitio eſſet argumẽta pro reprobanda parte præmittere: quibus everſis, altera confirmetur. Vel ſecundò efficaciùs continua ſuſtentatione probationes pro alterutra parte, earúnque ſolutiones, diſceptationis inſtar, intexere permiſtas: quæ ſolidiori claudatur electę à nobis partis confirmatione. Non deſunt tamen; qui poſt ductum tota ferè Oratione Problema, utranque concilient partem. Et quidem opportunè; ſi utilitatem aliquam ejuſmodi ſuaſio promittat Oratoris propriã. Sed hæc nimiùm rara.

COMPARATIVA præcedenti eſt affinis: tùm, quòd duas partes & ipſa continet; de quibus, utra pręvaleat alteri, diſceptatur: tùm, quòd & eadem ferè methodo poſtulat cõfirmari. Sed à Problematica tamen in eo differt: quòd Problematis nulla pars ab initio determinatè proponitur: quod tamen fit Comparatione. Sic in præallato Problemate, licèt Comparativo, dubium primo eſt intuitu: felicior uter ſit: Diogenes; an Alexander? Si verò proponeres illicò; Feliciorem eſſe Diogenem Alexandro; Comparativam haberes Propoſitionem. Indè hujus Propoſitio generis Confutationem admittit; ſive priorem; ſive poſteriorem Confirmatione; ſive eidem intermiſtam: quanvis prior, poſtremáque methodus ſint ad ſtabiliendum fixiùs auditorum animum aptiores.

PARADOXUM quæ habet; laudatiſſima Propoſitio. Ea præter opinionem exhibet veritatem aliquam ſibi ipſi, ut apparet, repugnantem; ob ſimulatam prædicati cum ſubjecto oppoſitionem; vel plurium attributorum, quæ in eadem Propoſitione vinciuntur. Idque dupliciter evenit. Primò nanque aliam ſubjectum; aliam verò prędicatum acceptionem habet, ac reſpectum: qua ſtante varietate, componi invicem valent; quod ſecùs non poſſent. Sicque de Sancto meo Patriarcha dicere quiſque poſſet: Ducem exper-

pertum Cajetanum, ſe intra clauſtra recipiendo, Eccleſiaſticorum ſui temporis licentias ſtrenuiori robore imperitas proſtraviſſe. Receptus enim corporis fuit: aggreſſio moribus, & exemplo. Secundò non ſemel verum utrunque retinet ſenſum: ſed cui tamen non facilè attendunt auditores. Sic D. Jo: Chryſoſtomus, * neminem unquam lædi, proponit; niſi à ſeipſo. Atque hæc quidem ſunt vera Paradoxa. Ad quorum tamen imitationem aliqua ex oppoſitione formantur: ubi oppoſitum utrunque de eodem enunciatur: (in quo cum veris conveniunt Paradoxis) ſed tamen hoc ipſum non incredibile apparet. In his enim ipſamet Propoſitio diverſitatem acceptionum ſupradictam oſtendit: ſive quòd facilè ad eam advertatur: ſive quòd intermiſceatur expreſſè; ut ſi proponerem; Chriſti Domini mortem noſtram fuiſſe vitam animarum. *Hom. Nemo læd. niſi à ſe ipſo.*

METAPHORICAM demum; ſeu (ut alii loquuntur exactiùs) Allegoricam Propoſitionem Inventionem vulgus appellat. Habetur autem; quoties, proprietate relicta vocum, metaphoricum ſubjecto tribuimus prædicatum. Cujuſmodi eſt illa D. Joannis Chryſoſtomi * toties commendata: qua Divi Pauli animam Paradiſum facit. Reduci huc etiam poſſent ex ſimilitudine ductę quęcunque reliquę Propoſitiones. Sic Typum aliquem è Scriptura deſumens, Job commendandum quis proponet, de Patientię laude dicturus: Sic etiam Moyſem alterum ingenioſus quidam dixit D. Cajetanum, hujus vitæ illius aptans prodigia. Sic demum Avaritiam vituperaturus D. Bernardus, uſus veluti Emblemate, famoſam illam conſtruxit, propoſuitque Quadrigam Avaritiæ quatuor innixam vitiorum rotis; puſillanimitati ſcilicet, inhumanitati, contemptui Dei, mortis oblivioni; & à duobus vectam jumentis, tenacitate, ac rapacitate; ambobus aurigante habendi ardore. Hoc Propoſitionis genus à Chriſtiana adinventum Eloquentia, ac penè in cunabulis emortuum excitavit feliciter ætas noſtra; ac reddidit familiare. Sed ne ſibi notam inducat; cùm præſertim à multis canitiem potiùs, quàm magnitudinem in rebus admirantibus vocetur ad criſim; aliqua ſunt notanda. Primò nanque; ne evadat impoſſibilis prędicatio; aliquo debet epitheto, vel appoſito explicari: ut ſi dicas; D. Cajeta- *de laud. Pauli hom. 1.*

num fuiſſe propitiã ſtellam Eccleſiæ navi in ejus tempeſtatibus præfulgentem. Secundò ex rebus eſt præclariſſimis deſumenda: quarum proprietas ſi non erit valdè nota; commodè explicari poterit in Exordio. Tertiò nunquam relinquenda ſemel aſſumpta Metaphora: ſed ſub ſimilitudine principaliorum, quę utrique inſunt ſubjecto, qualitatum per Allegoriam jugiter protrahenda. Quartò non adęquatus eſſe debet Propoſitionis finis ipſa Metaphora: ita ut Orationis decurſu non ſatis Oratori ſit proportionem oſtēdere inter Propoſitionis ſubjectum, ejuſdēmque Metaphoricum prędicatum; in hoc enim Oratorio muneri, nempè ſuaſioni, inutilis ingenii ſola relucet oſtentatio: ſed vel ad laudem; vel ad hortationem ornandam aſſumatur. Demum cavere oportet; ne in frigidas quaſdam, & impertinentes Metaphoras erumpamus. Quis enim cujuſdam non ſtomachatus ſimilitudinem fuiſſet proponentis; D. Joannem Evangeliſtam fuiſſe alteram Beatiſſimam Virginem?

PARS TERTIA

DE INTRODUCTIONE, ET NARRATIONE.

Utranque pars hęc complectitur: quòd Narratio locum ubi peculiarem obtinet, & non per totam fluit Orationem; Introductio quędam eſt: ut rectè docet * Areſius; & ex utriuſque munere palàm fiet. Itaque; ut in re hac ordinatè procedamus.

* *Art. pred. l. 2. c. 11.*

CA-

CAPUT I.

DE INTRODUCTIONE.

POſt cōparatum Exordio auditorum animum; quamlibet Orationis primam periodum Introductionem utcunque vocant recentiores Oratores : quaſi quæ , janitoris inſtar, aulæo ſublato; ad commodiorem Probationis tractationem introducat. Hanc nullam antiquiores Eloquentiæ magiſtri apertè poſuere à Narratione diſtinctam: medii temporis præceptores ferè cum Exordio confundūt: alii priorem Confirmationis partem Introductionem dicere non dubitarunt. Sed quàm longè utrique aberrarint ; ſatis ipſa munerum, partiúnque indiſcretio demonſtrat. Quòd ſi Oratorum uſus inſpiciatur; nihil (ut verum fatear) ex eo certi deduci valet ; cùm in re difficillima , nec ſemper neceſſaria ; facilè credantur , ſive quod volentes non fecere, ſive quod noluerunt, perfeciſſe . In tanta igitur diverſitate nulla penè ſpes nobis cùm remaneat in aliorum auctoritate, quæ ſemper cordi fuit ; rationis ductu, quantùm licebit , aliquid diſcurremus.

RUDIMENTUM I.

De Neceſſitate, & Munere Introductionis.

ASſtruo primùm duo: nec procul ullo prǫludio à Propoſitione incipiendum Oratori : nec Introductionem ullam habere vim debere inferendi Propoſitionem ipſam ad modum conſequentis . Quàm rudis enim , & incomptus nobis videretur Orator ; qui ſuggeſto vix aſcenſo, talibus ſolveret verbis linguam : Huc veni, Auditores , probaturus ; ſequenda vobis veſtigia virtutum ! Apage dura ruſticitate incultum Oratorem ! Ecquę igitur Exordiorum ætatum omnium Oratoribus neceſſitas ; ſi hoc licet ? At verò ; ſi immaturus hic non arridet incipiendi modus: quomodo præludium illud , quod Propoſitioni viam ſternit ,

partem Probationis facere licebit? Vel enim hujuſmodi poſt præloquium primò in medium exit Propoſitio; quod Introductiones habebāt apud primævos Oratores, Judiciariæ inſtar Orationis è Narratione quæſtionis ſtatū eruētis: vel (ut nobis in uſu eſt) poſt Exordium præexhibita Propoſitio, poſt præfatum id iteratur. Hoc ſi eligas: non hæc, quam putas, Propoſitio eſt; ſed concluſio ex præſumptis illata. Ut ſi cujuſdam utereris exemplo hoc: *Quidquid à Chriſto præceptum eſt, ſervari debet: ergo & Chriſtianus præceptum dilectionis debet ſervare*. Nam ſecùs, quandocunque ſingula poſt argumenta aſſumpti ejuſdem Propoſitio reſumitur; ea non ampliùs argumenta dicerentur; ſed Introductiones. Quòd ſi non adhuc exhibita Propoſitio ſupponatur: quid hoc ineptiùs; quàm quod non adhuc in lite eſt; ejùs abruptam intentare Probationem: cùm, vel ipſis Philoſophis; qui ſtatim aggredi adverſarios plùs cæteris profitentur; nefas ſit argumentis armare manum; quin expreſsè priùs, quid evincere intendant, propoſuerint? Hoc ſanè proditoriam aggreſſionem ſapit: mentémque ambiguam auditoris obtenebrat, quod ſignum id feriat, neſcientis. Undè meritò; qui hujuſmodi Introductionibus delectantur, ab Areſio * deridentur Italico illo carmine:

Art. pred. l. 2. c. 14.

Gente, à cui ſi fà notte avanti ſera.

Benè, inquis, factum. Sed: Exordiúmne erit præludium hoc; an, de qua modò loquimur, Introductio? His ut ſatisfaciam; multiplicem in re hac Oratorum obſervabo Diſpoſitionem: res enim non modò ab Exordii, Introductioniſque (neceſſaria ubi ſunt) natura; ſed & à dicentium arbitrio; ornatúſque cupidine dependet. Sunt itaque duplicem qui præmunitionem habentes hujuſmodi; quà Propoſitionis interpoſitione, quà temporis in proferendo mora interjecta, quáve in exarando ſigno quopiam appoſito; diſtinctam unam apertè volunt ab altera, velut Exordium ab Introductione: benè ſemper, an malè; ipſi viderint. Accedit quoque Exordii natura Docilitatem, Attentionem, Benevolentiam comparantis: cui ſi quid annectitur ante Propoſitionem; ejus ornatus potiùs, quàm Introductio reputatur. Ubi verò unicum præludium eſt; & nec Oratoris voluntas, nec Procemii characteriſticon rem decernit: vel omni-

omninò arbitrarium unicum illud eſt præloquium;& de hujus nomine diſceptare vanum eſt: vel id neceſſitas indicit; & hæc Introductionis duntaxat munus appellat, & nomen.

Munus igitur;quod neceſſitas Introductioni prĕſcribit;eſt quædam prĕſupponere Probationem Cauſæ non componĕtia; ad eam tamen ex ipſius intrinſecis neceſſaria, eíque connexa. Idque ad Exordii differentiam: quod neceſſariũ quandoque ad Cauſam eſt, ejúſque Probationem: non tamen ex Cauſæ natura; ſed ex audientium diſpoſitione animorum: qui ſi benevoli eſſent, dociles, & attenti; nihil Exordio opus eſſet. Duplex verò præſuppoſitionis ejus eſt genus. Alterum innuit * Cicero Partitionem explicans, quã vocat Secernentem:ejúſque eſt, quid cum adverſario cõmune ſit; & quid in controverſia relinquatur, oſtendere: ac proinde non eátenus conſtitutum; ſed indicatum ſolúmmodo Cauſæ ſtatum aperire. Et ejus ſit, ex Tullio eodem, * exemplum: *Inſidias factas eſſe conſtat; & id eſt, quod Senatus contra Rempublicam factum judicavit: ab utro factæ ſint; incertum eſt. De hoc igitur latum eſt, ut quæreretur.* Alterum de quæſtione docet * Quintilianus: quo ſcilicet plura probamus, pluréſque parvas de Cauſa quæſtiones inſtituimus: quibus deinde auditoribus permiſſis; unicam noſtram ſtatuimus Propoſitionem vehementiùs confirmandam. Permittimus autem, ſive Conceſſione; ſive Præteritione; aliáve Rhetorica figura. Sed tamen non ob hæc reſtat; quin etiam, inſtar Exordii, poſſit abſque neceſſitate intrinſeca ad ornatum adhiberi Introductio. Qui mos receptus creditur à communi noſtri temporis Oratorum: qui ſemper Introductiones, vel præmittunt; vel certè præmittere arbitrantur. Eſt in hoc quoque utilitas non deſpicienda: cùm remaneat hæc ſemper habentibus campus, Introductionis omiſſione quandoque ſtatim in argumenta erumpendo, propoſitæ rei oſtendendi pondus, & momentum.

Inv.1.

oro Mil.

inſt.3. c.6.

RU-

RUDIMENTUM II.

Undè Introductiones eruantur: & quæ earum Virtutes; ac Pronunciatio?

UNiverſum his Introductionis artificium continetur: quibus Inventionem ejus, Elocutionem, ac Pronunciationem (quæ ſolæ peculiaris ſunt capaces induſtriæ) breviter inquiremus. Et quidem cùm de Introductionis Inventione loquimur: de ea noſter eſt ſermo; quam ornatus admittit. Quam enim neceſſitas exigit, vndè petatur; tùm ex habitis in primo libro, cùm de argumentorum fodinis; tùm ex hactenus dictis, jam ſatis remanet examinatum.

INVENTIO communibus nunquam recedit à locis; utpotè fodinis univerſorum, quæ in hac Arte tractantur. Sed tamen in iis pro Introductione eligendis (quo de Exordio modo diximus) non ſoli eſt attendendum materiæ: ſed & perſonis; noſtræ ſcilicet, vel auditorum, aliorúmve: inſuper & loco; tempori; aliiſque, ſub quibus habetur Cauſa, Circunſtantiis. Non enim quicunque ab aliis offeruntur loci; ſi viſceribus duntaxat applicentur Cauſæ; daturos exactam puto, quam hactenus requiſivimus Introductionem. A Nomine ergo præluderem; ſi (exempli gratia) Romæ de Conſtantiæ virtute dicturus, aſſererem; nullibi meliùs de ea fieri verba poſſe: Roma nanque latinè Robur interpretatur. A Partibus, & Toto; in Hypocriſis vitium illud proponens: * *Ut quid diligitis vanitatem; & quæritis mendacium?* viam caperem ex illo * alterius pſalmi: *Omnis homo mendax*: enumeratiſque mendaciis omnibus ſubderem; me tamen de ſolo nunc Vanitatis mendacio dicturũ; quod eſt hypocriſis. A Comparatis (ſive ſimilitudine adhibita; ſive à minori ad majus gradiendo) probaturus; D. Jo. Baptiſtam lucernam ardentem, & ſplendidam fuiſſe; dicere poſſet: papilionis inſtar; conſcium licèt, tanti luminis calore arrogantiæ ſuæ pennas in cineres abituras; tractum nihilominus jubaris venuſtate, in eas flammas libentem ſeſe Orationis ingerere volatu. Vel: ſi fuliginoſæ tractus facis illicio papilio morti non pavet occurrere; modò lumen

pſalm. 4. v. 3.

pſalm. 115. v. 2.

am-

amplexeretur : multò ſibi potiori jure permittendum puriſſimam eam flammam contemplaturo ; flagrantiſſimis ut iis mentem incendiis involvat. Ab Oppoſitis exemplum Introductionis eſt illud * Chriſti Domini : *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis : diliges proximum tuum ; & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis : &c.* Ubi tamen ſi antiquorum dicto rationes eorum addidiſſet ; non Introductionem ; ſed Probationis initium à Confutatione habuiſſet. A Circunſtantiis ſe introducit Cornelius Muſſus apud Areſium * rationem adducens ; qua, vix quadrageſimali curſu Patavii expleto, iterum Dominica in albis ſuggeſtum aſcendat : quòd ſcilicet ejus diei Evangelium ſit veluti ſuaviſſimus cibus ; qui, vel in fine lauti quantumcunque prandii appoſitum, non nauſeam excitet ; ſed potiùs augeat appetitum. Ab Auctoritate denique (ſive humana ea ſit ; ſive divina) ducitur opportunè Introductio : ut paſſim colligi valet ex allatis modò pro partibus, & pro oppoſitis, exēplis. Quibus accedit Conceptus quilibet è Scripturæ myſtica intelligentia deſumptus ; non tamen Propoſitionem noſtram directè evincens. Sic probaturus, utilem eſſe tentationem, adduces cum Areſio * cauſam ; ob quam Apoſtoli, & non Jonas fuerint ante naufragiū eruti : quòd ſcilicet hic ſuo marte ; illi Chriſto Domino jubente, navem aſcenderint : ut diſcamus ; non debere quidem nos ipſos in tentationes intrare ; ſed tamen ductos, magnas ex eis ſuperatis hauſturos utilitates.

Matth. 5.

Art. pred. l. 1. 2. c. 12.

ibid.

ELOCUTIO duas, ex Ardizzone, * & aliis, partes exigit : Periodum ſcilicet ; in qua tota conſiſtit Introductio : & ejus aptam Amplificationem. Virtutes autem utriuſque partis ; ſeu, ut meliùs dicam, totius Introductionis dotes tres enumerantur : Candor ; Aptitudo ; Brevitas. Candor in eo conſiſtit ; quòd Introductio ſit ornata quidem ; ſed tamen non affectata : ſitque notæ familiaris, & venuſtæ ; qualem in ore Rhetoris eſſe doctrinam decet : eſt enim veluti inſtructio quædam auditorum ; & Orationis initium, quæ debet creſcere. Aptitudo ſita in eo eſt : quòd & ſit rei connexa : & non ſit cæteris facilè accommodabilis. Connexa quidem adeò ; ut veluti naturaliter defluat indè Probatio ; neque ad hanc ſeſe habeat, ut dicitur, velut *ad*

Eccleſ. Rhet. l. 3. c. 2.

cancros luna. Alteri verò ſit non accommodabilis juxtà regulas Exordiorum. Quare aptiſſimam habet D. Cyprianus: cùm de Patientiæ bono verba facturus, ex viſceribus eruens Cauſæ & circunſtantiis, præmittit; neceſſariam imprimis ſe auditruis fore patientiam. Brevitas, ex *Panigarola* apud * Areſium, octavam totius Orationis partem Introductioni concedit. Ex ipſo tamen Areſio, ad ſextamdecimam reſtringitur. Nobis verò ea erit: ut non Exordii medietatem excedat; & cōparetur, veluti collum, Orationis corpori: niſi præcipua cogat neceſſitas. Quin etiam minor placebit auditoribus induciarum impatientibus; & ad propoſiti aſſumpti Probationem feſtinantibus. Obtinebitur autem Brevitas; ſi erit, quoad fieri poterit, immediata rei: ſi omittentur; quæ de ejus ſubjecto nullátenus ad Probationem conducunt: ſi res dicentur adeò veriſimiles; ut vix ulla indigeant Confirmatione.

* *Art. pred. l. 2. c. 14.*

PRONUNCIATIO quoque ſuam & Vocem, & Actionē Introductioni decernit. Vox ſedata ſit, oportet; ut incipienti par eſt: ſítque gravis; ut decet inſtruentem. Ubi tamen Confirmationibus eſt roborandū; elatam vocem, concitatiorénque permittit: non tamen eam; quæ in totius Cauſæ momento exigitur confirmando. Actio vocem ſequitur; ut ſui eſt moris. Habet tamen peculiare aliquid ad ſitum corporis attinens. In iis igitur Orationibus; in quibus ſedere nunquam licet; ſuggeſti medius eſt aptiſſimus ſtanti locus, eo modo, quo in Exordio. In quibus verò ſedendum eſt aliquando; haberi conſuevit Introductio à ſedente in ſuggeſti læva: quin & ſiniſtro brachio ſuper ſuggeſti latus innitente; dextera manu ferè ſupra ejuſdem medium extenſa. Idque ſive ad uſque ejus finem; ſi brevis ſit: ſive, donec ad amplificationem ejus, confirmationémve deveniatur.

CAPUT II.

DE NARRATIONE.

Latiùs, quàm res præſens expoſcat, Narratio fuiſſe videtur * Quintiliano *Rei facta, vel non facta utilis ad ſuadendum expoſitio*: ejus ſcilicet; quam eſſe factam; vel adverſarius quoque concedit; vel inficiatur. Aptiùs Apollodorum definiiſſe, putarem, Orationem; quæ doceat auditorem; quid ſit in controverſia. Sed omnium præſtantiſſimè * ſic Cicero: *Narratio eſt rerum explicatio; & quædam quaſi ſedes, & fundamentum conſtituendæ fidei.* inſt.4.c.2. Partit.

De hujus loco plura non arbitror diſcutienda. Clarum enim eſt: eam, vel Probationis habere vices; vel Introductionis. Hoc ſi agat; initium Confirmationis habere ſemper debet; ut aliquando Propoſitionis quoque Diviſionem præveniat. Si verò illud; nulla certa ſede tenetur: ſed (ut Ariſtoteles * monet) *Multis locis narrare opus eſt: & aliquando non eſt in principio narrandum*. Hinc ſparſim nonnunquam Orationem occupat omnem: quod, ex * Quintiliano, non conceſſum modò; ſed & aliquando neceſſarium: cùm ſcilicet (ut Ariſtoteles * ait) *permulta negotio; & incognita ſunt*. Quod Cicero facit pro Cluentio: & in commendandis Sanctorum geſtis fert uſus. Aliquando verò argumentis cæteris intermediat: ut in Oratione videre eſt Ciceronis pro A. Milone. Interim quoque poſt Introductionem Confirmationi univerſæ fundamento eſt. Undè placuit * Quintiliano: nonnunquam Propoſitione præmuniri Cauſam: deinde exponi. Quanvis, nulla in oppoſitum urgente ratione, aptior eſt ſemper Narrationi Cauſæ locus poſt Exordium: ubi, qui audit, conciliatior invenitur. Hæc verò ut clariùs pateant; Narrationis univerſaliſſimè acceptæ Munus, & Neceſſitas; deinde Virtutes, & Pronunciatio ſunt inquirenda. 3.Rh.17. inſt.4.c.2. ad Alex. c. 30. inſt.4.c.2.

RUDIMENTUM I.

Quod Narrationis Munus: & quæ Neceſſitas?

NArrationem eſſe nullam; niſi, quæ ſummam contineat criminis, de quo judicium eſt; rigorosè nimis aſſeruit Cornelius Celſus. Rigorosè, inquam, nimis: quòd peculiares exemplorum, aliarúmque hiſtoriarum ad Cauſæ intellectum, aut fidem facientium, explanationes à Narrationum genere gratis rejicere videatur. Hic reclamat,
ibid. redarguítque * Fabius magnos, ut ipſe teſtatur, auctores ſecutus: quibúſcum duas in judiciis eſſe Narrationum exiſtimat ſpecies: alteram ipſius Cauſæ; alteram rerum ad Cauſam pertinentium. Imò & ipſum citat adverſarium admittentem in Narrationum ſyllabum Ciceronianam illam pro Rabirio Poſthumo expoſitionem: cujus nihilominus defenſio conſiſtebat in negando; pecuniam, de qua diſceptabatur, ad Rabirium perveniſſe: ac proinde nihil in ea Narratione de crimine exponebatur. Deinde: quare ſolo Judiciali generi Narrationes velit Celſus concedere; non apparet. Habet enim Narratio locum; non modò in criminis oſtenſione; ſed & in ſuadendo, ac laudando, generibúſque contrariis. Et certè, poſt pauca à nobis adducendus, Ariſtoteles toto libri tertii Rhetoricorum capite decimoſeptimo de Narratione agit, ut Demonſtrativo, & Judiciali generi maximè propria; & Deliberativo quoque, licèt non procul aliqua improprietate, aptabili: & hanc ite-
cap. 29. rum explicat * Alexandro. Nec Sacræ Orationes ſuarum incapaces ſunt Narrationum rei ſummam, de qua agitur, continentium. Vel enim hiſtoriam in Introductione, aut aliquando etiam in Exordio, narramus ex Evangelio, aliúve Scripturæ deſumptam loco, ſupra quem Propoſitio noſtra fundatur: ut in pomeridianis Lectionibus; aut aliis Suaſorii generis Concionibus. Vel; ut in Panegyricis; è Sanctorum geſtis expoſitis noſtræ deducimus fidem Propoſitionis. Rursùs; ſi de ſolo crimine fit Narratio; præteritum ſolúmmodo tempus reſpicit: at verò (ne eundem iterum Stagiritam appellem, tùm præſens, tùm præteritum ei concedentem tempus; ut mox videbimus) Tullius ipſe;

qui

qui * junior *Rerum geſtarum* eam appellavit; re meliùs cõſiderata, * præſens quoque dat Narrationi tempus dicens: *Eſt enim Narratio præteritarum rerum; aut præſentium*. Et hujuſmodi ea fuit; qua idem ipſe * nequiſſimam Chryſogoni expoſuit intentionem. *Inv. l.* 1. *Partit.* *pro Amerino.*

Eſt igitur Narrationis univerſale Munus, ignota, quę geſta ſunt, aut fiunt, aut gerentur, (ubi opus eſt) exponere ad fidem quoquo modo faciendam. Ignota, inquam: nota enim, & pervulgata quæ ſunt; ex Ariſtotele, * multa Narratione nihil indigent: & ea tantùm reducere in memoriam opus eſt. Quare ſi laudare volueris Achillem: cùm ſciant omnes ejus res geſtas; iis tantùm uti ſufficiet. Addidi quoque geſtis ea, quæ fiunt, vel futura ſunt: ad utrunque enim tempus Narrationem extendit * Stagirita de Narratione in genere Deliberativo præcipiens; & cuique ſuum tribuit peculiare nomen. Narrationem etenim præteritorum Renunciationem appellat; præſentium Expoſitionem; futurorum verò Prædictionem; his verbis: *Poſtea verò neceſſe eſt; aut res geſtas à nobis renunciari, referrive; aut res præſentes exponi; aut, quæ futura ſunt, jam prædici*. Tandem, ubi opus eſt, Narrationem admiſi: neque enim ſemper; ſed neque etiam nunquam Narratio locum habet. 3. *Rh. c.* 17. *Ariſt. ad Alex. c.* 29.

Sæpè itaque narrandum evenit Oratori: maximè nanque * naturale eſt: & fieri frequentiſſimè debet; ut præparato per Procemium auditore, res, de qua pronunciandum eſt, Narratione indicetur. Quandoque etiam excutiendi gratia criminis; (ut pro Rabirio Poſthumo facit Tullius) vel augendi (ob quod Verris iter idem * exponit) Narratio contexitur. Interdum quoque per digreſſionem permittitur: ſive decoris cauſa; ut in illa Ciceronis * de Proſerpina: ſive; ut idem * habet contra Cepaſios fratres; ad ſolvẽdos adverſos animos urbanitate. *Quint. inſt.* 4. *c.* 2. *Verr.* 3. *Verr.* 6. *pro Cluent.*

Neque omittendæ Narrationis juſta videtur cauſa; quòd contra nos faciat: ut aliqui judicarunt. Nihil enim, teſte *Quintiliano, facilius; quàm prorsùs totam Cauſam omninò non agere. Sed ineptius quoque nihil eſt; quàm, ſuſceptam Cauſam malam eſſe, & talem, qualem adverſarius expoſuit, ſilentio confiteri: cùm præſertim ad utilitatem ſuam trahere poſſit Orator; ſi, quæ pro ſe faciunt, patefa- *inſt.* 4. *c.* 2.

ciendo; obſcuret, quæ contra; aut mitiget; aut etiam prætereat, ſive ſimulato brevitatis ſtudio, ſive ex capite alio, quod prudentia ſubminiſtrabit. Indè, cùm aliquando Fabius ipſe * Ariſtotelem * ſecutus docuiſſet; ſupervacaneam eſſe Narrationem rei; quam judex noverit: illicò, ſe id intelligendum ſic velle, proteſtatus eſt: ut ōninò omittatur tam ſolùm; cùm & factum ſciet; & ita factum eſſe, ut nobis expedit, opinabitur: *Neque enim Narratio in hoc reperta eſt; ut cognoſcat judex: ſed aliquantò magis; ut conſentiat.* Quo in caſu duplex cenſerem monitum obſervandum. Alterum ex ipſo Quintiliano ſubdente, narrandum eſſe cum præparatione quadam: qua oſtendamus advertere; notam utique rem auditoribus eſſe, non tamen omnem rei rationem, omnéſque circunſtantias eſſe compertas. Alterum ex Ariſtotele: * quæ ſcilicet ignota eadem in expoſitione ſunt; narranda: quæ verò nota, & pervulgata; tantùm in memoriam reducere; & non tam narrare, quàm iis uti, oportere.

ibid.

3.Rh.17.

RUDIMENTUM II.

Quæ Virtutes, & Pronunciatio Narrationis?

VIRTUTES quæcunque à pluribus Rhetoribus Narrationi diverſimodè tribuuntur; ad quatuor attinere videntur capita: juxtà quæ ſit Narratio Brevis; Clara; Veriſimilis; & Ornata. Priores tres exquirunt ferè communiter; maximè, qui ſunt ab Iſocrate: Ornatum verò cum paucis addit * Quintilianus. Et hæ quidem cæterarum quoque partium Virtutes ſunt. Nam & per totam Orationem vitanda obſcuritas eſt: & modus ubique cuſtodiendus, ac dignitas: & credibilia ſint, oportet, omnia, quæ dicuntur. Maximè tamen eæ ſunt hac in parte perquirendæ: quæ præcipua auditores docet: & in qua ſi acciderit; ut non intelligant, aut non meminerint, aut non credant, aut faſtidiant; fruſtrà in reliquis laborabimus.

inſt.4.c.2.

BREVITATEM non admittunt Theodoréi ſolam requirentes Veriſimilitudinem. Ariſtoteles; qui nullam unquam præterire conſuevit occaſionem aliorum præceptis detrahendi; huic irridet * Virtuti: quòd nec longam dicat; nec

3.Rh.c.17.

bre-

brevem eſſe debere Narrationem: ſed mediam; eáque continentem, quæ ad rem explanandam ſint ſatis. Græcorum alii, teſte * Quintiliano, Reciſam inter, & Brevem diſtinguentes; illam virtuosè ſuperfluis carere putant; hanc ex neceſſariis aliquid vitiosè deſiderare. Nos verò, in nomine nihil laborantes, Brevem cum Latinis auctoribus dicimus: qua non minus; ſed neque plus dicatur; quàm oporteat: iis reciſis omnibus; quibus ſublatis; nec cognitioni quidquam, nec utilitati deſit. Superflua nanque cum tædio dicuntur: neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur. *inſt. 4. c. 2.*

Brevis itaque ut ſit Narratio. Primùm indè rem exponere incipiemus; undè ad Cauſam pertinet: & non remotiſſimis ab initiis; ut ii faciunt; qui à mundi creatione; vel æternitatis itineribus ordiuntur. Quare laudatur Homerus ab * Horatio: quòd Iliadem non inceperit *ab ovo*: ab Helenæ ſcilicet ortu; quam ab ovo natam, quem Læda mater ex Jove cygnum ſimulante genuerat, Poetæ ſomniabant. Deinde finem ibi ponemus: ubi, quæ ſequuntur, ad noſtrum minimè conducunt intentum. Tandem intermedia, quæ neceſſaria ſunt; paucioribus, & procul ab omni repetitione dicemus: ſupervacua; & quæ neque ad Cauſam, neque ad expoſitionis dignitatem faciunt; reſecabimus: modò caveatur, quę nimis corripientes omnia ſequitur, obſcuritas. Divus audiatur Ambroſius: * *Omnis ætas; & uterque ſexus; eventorumque miracula fidem aſtruunt. Virgo generat: ſterilis parit: mutus loquitur: Eliſabeth prophetat: Magus adorat: utero clauſus exultat: vidua confitetur: juſtus expectat.* *Hor. de Art. Poet.* *lib. 2. Commen. in Luc. c. 2.*

Longæ autem, inquies, plures ipſa rerum conditione ſunt Narrationes: quales certè habentur; cùm (ut loquitur * Curius Fortunatianus) res geſtæ vim obtinent argumentorum. Fateor: ídque Sacris paſſim evenit in Panegyricis. Pręparandus itaque tunc primùm auditor eſt pręmunitione quadam; neceſſitate quoque longitudinis aſſignata. Quod Cicero * ſic præſtat: *Et ſi fortè videbor altiùs initium rei demõſtrandæ petiſſe; quàm me ratio juris, & vis, de qua judicium eſt, & natura Cauſæ coegerit: quæſo, ut ignoſcatis: non enim minùs laborat A. Cæcina; ne ſummo jure egiſſe; quàm, ne certum jus obtinuiſſe, videatur.* Differenda; quę poterimus: *Rh. l. 2.* *pro A. Cæcin.*

non

non tamen ſine eorum, quæ differimus, mentione. Quod paſſim Cicero ſuis in Orationibus facit: & aliquando * brevitatis neceſſitate his præſtitit: *Qua tu in actione, quanquam omnia exempla majorum; omnes leges; omnem auctoritatem Senatus; omnes religiones; atque auſpiciorum publica jura neglexiſti: tamen à me hæc in hoc tam exiguo meo tempore nō audies. Liberum tempus nobis dabitur ad iſtam diſceptationē.*

pro Rabir.

Nonnunquam etiam, iis tacitis, ſolúmmodo innuemus; quædam à nobis prætermitti. Sic ex * Cicerone: *Moritur Fulcinius. Multa enim, quæ ſunt in re; quia remota ſunt à Cauſa; prætermittam.* Partitio quoque, & Ordo tædium levat: efficitque; ut plures breves Narrationes potiùs; quàm una longa videatur: idque præſertim; ſi cujuſque partis adnotato fine, ac ſequentis initio, reficiatur auditor; atque ſi extremę iterum parti Commonitio pręmittatur. Id, in brevi licet Narratione, Cicero pro Ligario facit verbis illis: *Adhuc, C. Cæſar, Q. Ligarius ſine crimine eſt &c.* Addo partium per univerſam Orationem diſperſionem; & Probationibus intermiſtionem: quam Ariſtoteles * innuit dicens: *Narratio verò in Exornationibus non perpetua eſt; ſed in plures partes diſtincta.*

pro A. Cæcin.

3. Rh. c. 17,

CLARITATEM iidem, qui ſuprà, Theodoréi non requirunt, ſola Probabilitate contenti. Eſt tamen omninò requirenda; ut aperta, ac Dilucida ſit Narratio: præſertim in iis Orationibus; quæ auribus committuntur. Scriptæ nanque obſcuritas otioſum fortaſsè lectorem minùs fallit: prolatæ verò audientem transvolat; nec, dum repetatur, expectat. Quid autem is de rei momento concipiet; quam minimè intellexit? Claram autem primùm reddunt verba propria, & ſignificantia: non ſordida quidem, & ex trivio deducta: ſed nec exquiſita tamen, & ab uſu remota. Deinde rei etiam diſtinctio; locis, temporibus, perſonis, cauſis, ſuo quibuſque ordine diſpoſitis. Quem ordinem cum præſcribit * Quintilianus: ut, ſi inter ea, quæ nobis adverſantur, pro nobis aliqua faciunt; hæc ſeorſim ab aliis præmittamus: ſi verò ſint plura, quæ nobis proſint; quàm; quæ noceant; hæc illis circumſepiamus; ut in medio veluti noſtrorum poſita auxiliorum, minùs habeant virium. Sed tamen, non eundem ſemper eſſe ſervandum ordinem,

inſt. 4. c. 2.

dinem, Cauſæ docebunt. Nam & aliquando excidiſſe ſimulamus; quod utiliori reſervavimus loco: interdum verò, re expoſita; quæ anteceſſere, cauſas ſubnectimus: prout controverſiæ natura, & utilitas poſtulabit. *Pro re;* (idem inquit * Fabius) *pro tempore intuenda; quæ proſint: atque, ut erit vulnus; ita, vel curandum protinùs; vel ſi curatio differri poteſt, interim deligandum.* *ibid.*

Accedit ad Claritatem conducens Evidentia; quam Energiam Græci vocant: omnibus quidem neceſſaria partibus; ſed huic in primis. Hinc ridiculam Quintilianus * appellat quorundam opinionem aſſerentium; quæ contra nos eſt, veritatem obſcurandam. Nam is, qui narrat, utrunque debet: & contraria, quæ pro ſe invertere nequit, præterire; ut diximus: & laborare; ut quæ exponit, vera, & evidentiſſima videantur. Evidentia verò refulgebit Narratio; ſi quæcunque de hac virtute figuras inter monuimus; non rei modò, quæ narratur; ſed & antecedentibus eam, aut conſequentibus, vel quoquo modo circunſtantibus applicabuntur. Sic incendium urbis Hai Scriptura deſcribens, * conſequentem indè fumum Hyperbole notat dicẽs: *Videntes, fumum vrbis ad Cœlum uſque conſcendere.* *ibid.* *Joſue* 8. *v.* 20.

VERISIMILITUDO; ſeu Probabilitas, ut alij dicunt, ac Credibilitas; omninò eſt neceſſaria Narrationi: ſi fabulas excipias, & Parabolas; quæ ad ſimilitudinem potiùs, & explicationem; quàm ad probationem aſſumuntur. Hanc, ceu genus à ſpecie, diſtinguunt à Veritate forenſis Eloquẽtiæ præceptores. Quos inter Fabius * hæc habet: *Sunt enim plurima vera quidem; ſed parùm credibilia: ſicut falſa quoque frequenter veriſimilia. Quare non minùs laborandum; ut judex, quæ vera dicimus; quàm quæ fingimus, credat.* Sed verò indignum puto ingenuo Oratore; ſive falſa ſuadere; ſive vera falſis corroborare. *inſt.* 4. *c.* 2.

Veriſimilis igitur erit Narratio ſimul, & vera: cujus ſcilicet ulla falſi ſuſpicio non obruat veritatem. Non ideò tamen reſpuò veriſimilia quædam additamenta; ſive ad evidentiam appoſita; ſive ad decus hiſtoriæ: ut veriſimilia tamen allata; non ut abſolutè vera. Primum habes in Innocentum ſtrage ab Auguſtino deſcripta. Secundum verò in morte Epulonis, & Lazari narrata * à Chriſto Domi- *Luc.* 16. *v.* 10.

no

Art. pred. l. 2. c. 5. no veræ hiſtoriæ (ut Areſius * communiorem ſecutus Patrum mentem affirmat) petitionem aquæ ad linguæ refrigerium in Parabolæ modum interſerente.

Ea porrò ut ſit Narratio: valet primùm (ſicut & in cæteris omnibus; ſed in hac potiori jure) dicentis auctoritas; & calliditatis omnis, aut artificii fugata ſuſpicio: ut omnia potiùs à Cauſa; quàm ab Oratore profecta videantur: Perſonæ deinde facto convenientes conſtituendæ: ut furti reus, cupidus; homicidii, temerarius exhibeatur. Sic * Cicero: *Vidit homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſſimum virum inimiciſſimum ſuum certiſſimum Conſulem: palàm agere cœpit; & apertè dicere; occidendum Milonem.* Circunſtantiæ etiam exponendæ, quæcunque poterunt: eáque non omittenda; quæ factum naturaliter antecedunt, vel ſubſequuntur. Et has innuit Cicero: * ubi ait: *Fecerunt ſervi Milonis; quod ſuos quiſque ſervos in re tali facere, voluiſſet.* Spargenda quoque rationum quædam ſemina: ita tamen, ut Narrationem eſſe,meminerimus; non Probationem. Ut cùm * Tullius ait: *Cur igitur victus eſt? Quia non ſemper viator à latrone: nonnunquam etiam latro à viatore occiditur. Quia, quanquam paratus in imparatos Clodius; mulier tamen inciderat in viros.* Et has etiam occultas eſſe, perutile: quales à Tullio ibidem exponente; Miloni Clodium; non huic Milonem inſidiatum. Quòd ſi faciendæ fidei difficultas prolixiora exiget argumenta: fatebimur; vix eſſe credibile, quod dicemus; ſed verum tamen: & hoc majus habendum; neſcire nos quomodo factum fuerit; ſed tamē mox probaturos. Denique ad aſtruendam fidem Imitatio conducit; non modò rebus; ſed & verbis expreſſa. Undè, qui ſupra, Cicero moram, & lentum Milonis in proficiſcēdo ordinem ab inſidiis alienum expreſſurus; his utitur: *Milo autem; cùm in Senatu fuiſſet eo die, quoad Senatus eſt dimiſſus; domum venit: calceos, & veſtimenta mutavit: paulìſper; dum ſe uxor, ut fit, comparat; commoratus eſt.*

pro Mil. *ibid.* *ibid.*

Ne verò apertè contraria, ſibíque repugnantia in Narratione glomerentur, monere granum habentes ſalis; ſupervacaneum duxerim: id enim (ut Quintilianus * ait) *ſi cui præcipiendum eſt; is reliqua fruſtrà docetur.* Cavendū igitur: ut cùm veræ Narrationi effictum aliquem addimus

inſt. 4. c. 2.

co-

colorem; ea, neque inter ſe pugnent; neque naturę rerum adverſentur; neque iis opponantur, quæ vera eſſe conſtat; neque cadere in teſtem poſſint, qui nobis obſtet. Curandū etiam: ut quidquid ſemel finximus; ejus tota meminerimus Oratione: ne ſecùs in nos illud jactetur: *Mendacem memorem eſſe oportet*. Quapropter de Curione eam in oblivionem lapſo; ut cùm geſta Cæſaris adhuc Conſulis In ſuo repræſentaret Dialogo; ſimul ea, quæ ille poſt annum geſſit, redargueret: admiratus eſt * Cicero: *Tantam fuiſſe oblivionem, in ſcripto præſertim; ut nec legens quidem, unquam ſenſerit, quantum flagitii commiſiſſet.* *in Bruto.*

ORNATUM denique ex omni Elocutionis capite pro dignitate petitum exquirit Narratio: & quacunque valet, gratia, ac venuſtate, vult decorari. *Nam fallit voluptas: * & minùs longa, quæ delectant, videntur: ut amœnum, ac molle iter, etiam ſi eſt ſpatii amplioris, minùs fatigat; quàm durum, arduunque compendium.* Stylum itaque non Magnificum; ut aliqui ab eodem Fabio relati, rejectíque, dixere: ſed ut docenti eſt aptius; in Judiciali genere, & Deliberativo medium; imò & in privatis, parvíſque negotiis exponendis preſſum, applicitúnque rei depoſcit: ſoliſque in Laudationibus recipit liberiorem. Indè nec Salluſtiana brevitas, licèt in ſuo genere erudititſſima; nec Livii ubertas lactea, Quintiliano * in Orationibus placet. Parentheſes; Apoſtrophes; Proſopopœjas; Sermocinationes; Hypotypoſes; Suſtentationes; Ironias; Epiphonemata; Reflexiones quaslibet, & argutias; figuras denique cognitionem moventes omnes (ſi modum habeant) amplectitur. Si modum, inquam, habeant: nam & raras earum pleraſque eſſe oportet; & breviſſimas: eáſque non modica ratione, & utilitate cogente. Mores omnes; quà exprimere; quà excitare (modò ſine brevitatis prȩjudicio) permittitur: at non tam fervidè; quàm in Epilogo: ſed ut primis veluti lineis deſignentur affectus; non conſumantur. Cur enim (ut Quintilianus * loquitur) ego judicem nolim, cùm eum doceo, etiam moveri? Cur, quod in ſumma parte ſum actionis petiturus; non in primo ſtatim rerum ingreſſu, ſi fieri poteſt, conſequar? Cùm præſertim etiam in probationibus faciliore ſim animo ejus abuſurus occupato, vel *Quint. inſt. 4. c. 2.* *ibid.* *ibid.*

Digitized by Google

ira; vel miſeratione? Serum eſt enim advocare his rebus affectum in Peroratione; quas ſecurus narraveris. Aſſuevit illis judex: jánque eas ſine motu mentis accipit;quibus cō-

Partit. motus novis non eſt. Paucis ut cum Tullio * dicam: *Habeat Narratio Suavitatem; Admirationes; Expectationes a Exitus inopinatos; Colloquia perſonarum; omnes Affectus.* Nec Sententia,aliqua velut fatigatum intentione ſtomachū

Quint.inſt.4 c.2. reficere * diſſuaſerim, maximè quidem brevi,interjecta.

Verba porrò diligenter petit electa; & (ut loquitur Zeno) ſenſu tincta: non poeticè tranſlata; non à vetuſtate reducta; non ſimiliter admodùm ſonantia: ſed venuſta; varia; perſpicua: quibus puriſſimus ſermo conſiſtat; & tædium fugans; & animum levans; & audientem ad fidem quodámmodo trahens voluptate. Indè conſuetum eſt illud: infinitivos ſcilicet conglobare modos; verbo, quod omnes

Cic.in Verr. 6. regat, ſuppreſſo: ut: * *Iſte ununquodque vas in manus ſumere; laudare; mirari*. Necnon uſitatum, tempore Conjuga-

Cic.de Offic. l.3. tis verbis præſenti, quæ præterita ſunt, exprimere ſic:* *Quid multa? Impetrat: emit homo cupidus tanti; quanti Pythius voluit: & emit inſtructos. Nomina facit: negotium conficit.* Participia quoque glomerari ſolent; quæ verbum, ad quod referantur, expectare geſtiant: ut: * *Pater occiſus nefariè: do-*

pro Amer. *mus obſeſſa: ab inimicis bona adempta; poſſeſſa; direpta: &c.*

Exemplum denique ſupradictas ferè omnes Ornatus ſpecies complectens; cui paraphraſim ſubdit * Areſius; aptiſ-

Art.pred. l. 2.c.16. ſimum ſit ex * Tullio: *Ecce autem ſubitum divortium: quod ſolatium malorum omnium fore videbatur. Diſcedit à Melino*

pro Cluent. *Cluentia: ut in tantis injuriis, non invita: ut à viro, non libenter. Tùm verò illa egregia, & preclara mater palàm exultare lætitia; ac triumphare gaudio cœpit: victrix filiæ; non libidinis. Itaque, diutiùs ſuſpicionibus obſcuris lædi famam ſuam, noluit. Lectum illum genialem; quem biennio antè filiæ ſuæ nubenti ſtraverat; in eadem domo ſibi ornari, & ſterni, expulſa, atque exturbata filia, jubet. Nubit genero Socrus; nullis auſpicibus; nullis auctoribus; funeſtis ominibus omnium. O mulieris ſcelus incredibile; & præter hanc unam, in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam, & indomitam! O audaciam ſingularem! Vicit pudorem libido; timorē audacia: rationem amentia.*

PRO-

PRONUNCIATIO, quà Vocem de more regit; quà Actionem. Vocis varietate opus habet; ad claritatem tamen aliquátenus accedente: ut quæ dicuntur, auditor quàm facillimè accipiat. Varietate, inquam, rebus apta: ut quo quidque pacto geſtum ſit; ita narrari videatur; ut ad Herennium * docet auctor. Proinde quod oſtendere ſtrenuè factum volumus; celeriuſculè dicemus: quod otioſè; retardabimus: in omnibus demum advertemus diligenter; ut omnium perſonarum ſenſus, atque animos, voce exprimamus. Actio ſedentis ferè eſt: niſi ubi magnum aliquod; vel aliorum motus, actúſque ſunt exponenda: vel ubi vehementiores quaſdam fuerit ad figuras perventum: aut Narrationis prolixitas ſedere diù minùs permiſerit. Cujuſcunque tamen ſit: eorum vitia Quintilianus * damnat: qui (*velut campum nacti expoſitionis*) *& cervicem reponunt; & brachium in latus jactant; totoque, & rerum, & verborum, & compoſitionis genere laſciviunt.* Undè fit *id; quod ſit monſtro ſimile: placet actio; Cauſa non intelligitur*. Ab iis igitur omnibus abſtinendum.

lib. 3.

inſt. 4. c. 2.

PARS QUARTA

DE PROBATIONE, EPILOGO, ET TRANSITIONIBUS.

NOn actum agam. Quid enim toto ferè præcedenti libro præſtitimus; quàm argumentorum fodere thesauros; affectuum indicare naturas; utrorunque ordinem diſponere; omnium Pronunciationem inſtruere; efformare Elocutionem? Verùm inibi non omnia licuit explere: ut gradatim ab univerſalioribus ad minutiora procederetur præcepta. Quæ is igitur deſiderare poterat locus noſtris hiſce opportuna Rudimentis, huic breviter ſubdam

parti; tertio ſubnexo capite de Tranſitionibus; quæ partium omnium ſunt ligamina.

CAPUT I.

DE PROBATIONE.

inſt.3.c.11. LIs nulla eſt; (ſi Quintiliano * credimus) cui Probatione opus non ſit. Nam proponere quidem, quæ ſis probaturus, neceſſe eſt: ſed & concludere. Quò Græcum illud præceptum apprimè facit: *Non tentanda; quæ effici omninò non poſſunt*. Omnis autem vincendi ſpes, ratióque perſuadendi (ut auctor ad Herennium * monet) poſita eſt in Confirmatione, & Confutatione. Nam, cùm adjumenta noſtra expoſuerimus, contrariáque diſſolverimus; abſolutè munus Oratorium confecerimus. Proinde Probationi duplex aſſignare munus viſum eſt: confirmandi alterum, quæ propoſuimus: alterum adverſantium rationũ tela retundendi: quanvis de his ſeorſim agentes partibus Rhetores, Probationem inter, & Confirmationem minimè diſtinguant.

lib.1.

RUDIMENTUM I.
De Confirmatione.

Inv.l.1. ARgumentorum artificioſa cum aſſeveratione expoſitio Confirmatio vocatur: *Per quam* (ut Cicero * definit) *argumentando, noſtræ Cauſæ fidem, & auctoritatem, & firmamentum adjungit Oratio*. Hæc altera Probationis ſpecie magis eſt neceſſaria. Non enim ſemper adverſarius urget; à quo noſtram tueamur Cauſam: ſemper tamen eſt; quare rationibus roboremus.

Propoſitionem igitur, vel (quæ hujus occupat vicem) Narrationem, Confirmatio ſequitur: ſive præcedens Confutationem; aut ſubſequens: ſive ei permiſta: quod in ſequenti examinabimus Rudimento. Id modò decerno;
inſt.4.c.3. quod Fabius * docet: non imitandos eos; qui inviolabili lege,

lege, & indiſcriminatim; rerum vix ordine prolato; lætum aliquem, & plauſibilem breviter excurrebant in locum immediatè poſt Narrationem: ac ſi nefas eſſet, conjuncta ſimplicitati Narrationis argumentorum pugnacitate, diutiùs voluptatem differre. Quod à Declamatoria inventum oſtentatione perveniſſe teſtatur in forum Quintilianus; *Poſtquam agere Cauſas; non ad utilitatem litigatorum; ſed ad patronorum jactationem repertum eſt*. Non enim omninò ſemper huic egreſſioni locus remanet: licèt nec etiam omninò nunquam. Sed in duplici tantùm caſu licebit egredi: cùm ſcilicet id; vel finis requiret Narrationis; vel Probationis initium. Et finis, quidem exiget Narrationis indubiæ: qui erumpentem animi admittat motum. Quo ex capite Panigarolæ poteſt opinio defendi: quem citat * Areſius, in Introductione, priuſquam inferatur Propoſitio, Exclamationem, ſimilémve figuram aliquam requirentem. Cæterùm naturaliter non ſemper hæc egreſſio cohæret, & ſequitur: ſed aliquando per vim cuneatur; & quæ natura conjuncta erant diſtrahit: cùm tamen nihil tam conſequens ſit; quàm Narrationi, vel Introductioni Probatio. Auditor enim, ordine percepto, feſtinat ad Probationem; & quamprimùm certus eſſe ſententiæ cupit: ſecùs autem ipſa vaneſcit expoſitio; averſis in aliud animis, & inani mora fatigatis. *Art. pred. l. 2. c. 13.*

Eligenda autem ad Confirmationem argumētorum omnium validiſſima, quæ Topica ſubminiſtrare valeat: atque (ut Fabius * monet, & * Ariſtoteles) non quæ remota ſunt à Cauſa, & communia; ſed quæ ejus propria, ipſique cohærentia: neque occurrentia quælibet; ſed ex eis pauca, & robuſtiora: prius enim obſcuritatem generat; poſterius habet garrulitatem. Et quidem * omnibus, quæ inveniuntur, onerare rationibus auditores; & tædium affert; & fidem detrahit. Neque enim credere poteſt auditor; ſatis ea eſſe potentia; quæ non putamus ſufficere, qui dicimus. Addit quoque * Demetrius: ſemper aliquid omittendum facilè ab auditoribus excogitabile; ad quod indicatum leviſſimè cū voluptate perveniant; ſuóque illectos ſe genio trahi ſinant. Quid; quod non rarò affluentię vana oſtentatione; res omnes dum confirmatas quidam volunt; * probationes adhibent ad ea, quæ ipſis ſunt rationibus certiora? Hoc ſanè (inquit *Quint. inſt. 5. c. 8. Ariſt. 2. Rh. c. 29. inſt. 5. c. 12. Partic. 125. 3. Rh. c. 18.*

inſt.5.c.12. (inquit * Fabius) *tam ſtultum; quàm in clariſſimum ſolem mortale lumen inferre*. Sed verò ii quoque acerrimè redarguendi: qui nimiùm auditorum voluptati indulgentes; vehementioribus, velut horridis, & confragoſis, evitatis; amœnioribus deſident locis: & veluti Sirenum cantu deliniti, voluptatem ſaluti præferentes; dum laudis falſam ſequuntur imaginem; ipſa, propter quam dicitur, victoria cadunt. Peſſimè tamen omnium in re merentur Oratoria: qui quod optimum eſt, ſi opportunum, abutentes; per integram ferè expatiantur Digreſſionibus Orationem, inſciæ plebis venaturi plauſus; nihil interim, quod ad Cauſam
inſt.3.c.13. faciat, afferentes. Quos illis * Quintiliani monitos optarem verbis: *Nec tam hoc præcipiendum eſt; ut quæſtionem inveniamus: nam id quidem facile eſt: ſed, ut intueamur ſemper: aut certè, ſi digreſſi fuerimus; ſaltèm reſpiciamus; ne plauſum affectantibus arma excidant.*

Uſus porrò argumentorum, quem Confirmatio requirit, hic eſto. Primùm: quod ad evincendū aliud aſſumitur: id eſſe debere confeſſum: vel omni conatu, & viribus cardini inſiſtendo Cauſę, ad evidentiam penè roborandum; ut id
Quint.inſt.5.c.12. fateri cogatur adverſarius: *Dubiis enim * probari dubia quî poſſunt?* Deinde: quæ ad ejuſdem attinent rei probationem, firmiſſimis argumentorum ſingulis inſtandum; Amplificationibus, Exornationibus, cæteríſque ad id aptis formulis inculcando: adhibita quoque luce; ut, qualia ſunt, appareant. Leviora verò, & imbecillia congerenda; ac gravioribus circunſtantibus firmanda: ut ab iis pondus habeant; & mutuò ſeſe adjuvent: & ſi valere non poſſunt, quia non magna; ſaltèm, quia multa, aliquid obtineant; (ut idem Fabius) *etiamſi non ut fulmine; tamen ut grandine.*

PRONUNCIATIO plerúnq; agilior, & acrior, & inſtātior in Confirmatione exigitur: cui conſentiat geſtus fortis celeritas. Quæ omnia, cùm inſtandum ſingulis erit in partibus, denſentur. Aperiendæ pluſquam alibi fauces, in Cauſis præſertim vehementioribus: undè ſummus ille, & quo nullus acutior Orator, Cæſar, ſuſcepto bello dicebat: *Quantùm potero, voce contendam; ut populus hæc Romanus exaudiat*. Non tamen vociferandum nobis adeò: ut ex iis
Plut. in Vita Cicer. ſimus; quos irridebat * Cicero, tanquam, eos; qui Cauſæ imbe-

imbecillitatem ſtipare vocibus niterentur. Trahendæ quoque magis, quàm in aliis partibus, producendæque vocales: ut vel tempus mucroni detur ad vulnus; vel ad ſanitatem unguento: *Quis enim* (inquit * Seneca) *ægros in tranſitu curat? Remedia non proſunt; niſi immorentur.* *Epiſt.40. ad Lucil.*

RUDIMENTUM II.
De Confutatione.

NOn ſemper; ſæpè tamen adverſantium argumenta refellere continget. Sive enim Judicio contendemus: ſive Exornationibus vacabimus: ſive inſiſtemus Suaſionibus: quà profana; quà ſacra prementes roſtra: non deerit; quid adverſarius quiſquam, vel expreſsè oppoſuerit, vel certò oppoſiturus, ſaltèm tacitè, prævideatur. Hinc de ſe fatebatur * Quintilianus: cùm primùm thema, Causánque in conſpectu quodámmodo collocaſſet; non minùs pro adverſa parte; quàm pro ſua cogitare conſueviſſe. *inſt.6.c.6.* Opus certè perarduum: & Cicerone teſtante, Confirmatione difficilius. Mille etenim flexus: artes mille deſiderat. Ut enim Fabius * ait: *Tantò eſt accuſare, quàm defendere; quantò facere, quàm ſanare vulnera, facilius.* *inſt.5.c.13.* Adeóque accuſationibus etiam mediocres in dicendo ſuffecerunt: bonus defenſor nemo, niſi eloquentiſſimus, fuit. Hinc Accius interrogatus: cur Cauſas non ageret; cùm in Tragœdiis apud eum tanta vis eſſet? hanc reddidit rationem: quia illìc dicerentur, quæ ipſe vellet: in foro dicturi adverſarii eſſent, quæ minimè vellet. Quò tamen difficilius; eò magis laudabile, tutiúſque: quandoquidem, Ariſtotele * monente, *Ex argumentis; quæ vim habent refellendi, magis excellunt; quàm, quæ confirmant.* *3.Rhet.c.19*

Eruuntur autem Confutationes omnibus ex iis locis; ex quibus Confirmationes: neque enim aliundè peti valent. Horum plura ab auctoribus diverſimodè numerantur: quæ tamen ad quinque præcipua reducam; iis prætermiſſis, quæ de Status diximus ſpeciebus: jam enim ibi remanent explicata.

Primò itaque, falſum oſtendemus omninò; quod objicitur. Et id quidem oſtendendo; in adverſariorum Probatione

tione dubia pro certis, falsáque pro veris aſſumpta? non autem merè negando; vel Cauſam probando in oppoſitum. Negare enim probanti, quod negas; non ſatisfacit: niſi apertiſſimè pateat falſitas; ut cùm Tullius * negat, eo die mortuum eum; de quo adverſarius dixerat, ſtatim epoto veneno, concidiſſe. Neque propriis evincere, eſt adverſarii diſſolvere rationes. Exemplum verò ex Cicerone * aptiſſimum: *Negant, intueri lucem, eſſe fas ei; qui à ſe occiſum hominem eſſe, fateatur. In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? Nempè in ea; quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi viri: qui, nondum libera Ciuitate, populi Romani comitiis liberatus eſt; cùm ſua manu ſororem interfectam eſſe, fateretur.*

pro Cluent.

pro Mil.

Secundò: ſi id obtineri non poterit; explicabimus, in eo tantùm eſſe vera ſenſu, quæ opponuntur; in quo nihil noſtræ adverſantur Cauſæ: vel parte admiſſa; partem excuſare, quantùm ad victoriam ſufficiet, conabimur. Sic Tullius cùm Milonis homicidium negare non valeret; id confeſſus, totus fuit in oſtendendo: non inſidiis, quas fecerit; ſed quas ipſe fuerit à Clodio paſſus, occidiſſe: eóque facto ſummum Reipublicæ beneficium attuliſſe.

Tertiò: ſi neque hoc licebit; malum arguendi modum adhibuiſſe contendemus eos, qui nobis obſunt: & ex quo non fiant, quæ ipſi velint; niſi cuique ſit integrum ſimiliter arguenti plura deducere abſurda. Tale illud eſt * Ciceronis: *Quis hoc ſtatuit unquam: aut cui concedi ſine ſummo omnium periculo poteſt: ut eum jure potuerit occidere; à quo metuiſſe ſe dicat; ne ipſe poſteriùs occideretur?* Sed rationem quoque intrinſecam, quare id minimè concludat argumentum, afferre, maximè erit opportunum. Interdum etiam; (ut Quintilianus * monet) ſi reſolvere ex parte diverſa dicta difficilius erit: noſtra argumenta cum adverſariorum argumentis conferemus: ſi modò, hæc ut valentiora videantur, effici poſſit. Sic * Cicero: *At enim non veriſimile eſt; M. Cottam tantum ſcelus eſſe commentum. Quid? Hoc veriſimile eſt; tantum ſcelus Oppium eſſe conatum?*

pro Mil.

inſt. 5. c. 13.

pro Oppio.

ap. Quint. inſt. 5. c. 13.

Quartò: quæ levia ſunt, vel ad Cauſam impertinentia, contemnere licebit: addita tamen ſemper brevi contemptus ratione; ne reſponſi difficultatem effugere credamur. Sunt

hìc,

hic; qui id pariter extendant ad ea, quæ ad Cauſam attinent, refutari tamen non poſſunt; ciéntque pro ſe * Fabium. Sed quidquid ſolvere nequit, aſpernari; meliùs eò quiſque ſcit; quò eſt ineptior. Neque id ibi Quintilianus docuit. Ait enim: *Quare illud ſtultiſſimè præcipitur: quod defendi non poſſit, ſilentio diſſimilandum: ſi quidem eſt id, de quo Judex pronunciaturus eſt.* Et poſt pauca; cùm prædictum levium, impertinentiúnque præceperit contemptum; ſubdit, non quaſi docens, ſed aliorum notans morem: *Sed hæc ſimulatio interim hucuſque procedit: ut, quæ refutare non poſſumus; quaſi faſtidiendo calcemus.* Id igitur obſervandum, ex Tullio: * ut, ſi quæ premat vehementiùs res Oratorem; ita cedat: ut non modò non abjecto; ſed ne rejecto quidem clypeo, fugere videatur: ſed adhibeat quandam in dicendo ſpeciem, atque pompam, & pugnæ ſimilem fugam: conſiſtat verò in ſuo præſidio Probationum ſic; ut non fugiendi hoſtis; ſed capiendi loci cauſa ceſſiſſe videatur. Imminuere proinde quædam poteſt ad remittendam Judicis intentionem; quam adverſario præſtat: idq; Ironia, ut fecit Cicero pro Ligario, Cæſarem avertens tanquam à re non nova: ſive alia, quam rei permittet dignitas figuram. Non verò Fauſtus ille imitandus: qui (apud Plutarchum) in Sororem, quæ eodem tempore cum duobus adulteris habebat conſuetudinē; Fulvio ſcilicet Fullonis filio, & Pompejo cognomine Macula; ſic equivocatione ludebat in re tam gravi: *Miror, ſororem meam habere Maculam; cùm Fullonem habeat.*

Inſt. 5. c. 13.

2. de Orat.

Quintò omnium aptiſſimè: ſuo ſibi dicto, factóve contradicentes adverſarios demonſtrabimus: mirè nanque eorū id evertit auctoritatem. Indè Cicero * ſic in Antonium facti tela retorquet: *Si interfici Cæſarem voluiſſe, crimen eſt; vide quæſo, Antoni, quid tibi futurum ſit: quem, & Narbone conſilium cum C. Trebonio cœpiſſe, notiſſimum eſt: & ob ejus conſilii ſocietatem; cùm interficeretur Ceſar; tum te à Trebonio vidimus ſevocari.* Et alibi * oſtendit; malè Oppium accuſari; quòd ex annona militibus detraxerit: cùm ab iiſdem accuſatoribus culparetur; quaſi milites ipſos corrūpere præmiis intentarit.

Philip. 2.

pro Opp. ap. Aref. Art. pred. l. 2. c. 17.

Demum: ſi nullo alio defendi modo valet Cauſa; ad Deprecationem recurrere debemus, eáque omnia, cùm de af-

 fecti-

fectibus, explicata; quæ non tam intellectum convincant; quàm moveant voluntatem. Sic Cicero,* alienum à Cæſare, fatetur, animum Ligarium habuiſſe, certúnque conſilium ei bellum inferendi: ſed tamen, parcendum ait ei recordatione quæſturæ; quam olim totam ad Cæſaris dignitatem contulerat: interpoſita quoque grati animi, qua polleret Cæſar, laude. Sed hęc verè Confutatio non eſt.

Pro Ligar.

Locus huic parti prope Confirmationem tribuitur: ſed, an hanc pręcedere; an ſubſequi; vel ei commiſceri debeat; à pluribus pendet reſolutio. Duplicem Fabius* Confutationem diſtinguens: eam, quæ eſt defenſoris; vel totam Patroni, docet, occupare partem; vel Confirmationem præcedere: reliquæ verò quartum videtur; poſt Confirmationẽ ſcilicet; locum tradere. Ariſtoteles verò hæc ex Judiciis ad Suaſiones extendens: ei, qui prior dicit; ſi pauca habet, quibus occurrat, priùs confirmandum pręcipit; econtrà verò, ſi plura: ei autem, qui poſt Accuſatorem patrocinatur; cùm averſum ob oppoſitas rationes animum à ſua Cauſa ſupponat; à Confutatione (& quidem leviorum) incipiendum; ut velut audientium animus, derogata adverſario fide, pręparetur. Quòd ſi objecta firma ſint adeò; ut vix ſatisfieri iis poſſit: potiùs cenſerem; inter Confirmationem mediam eorum reprehenſionem ponendam: ut illius robore fulciatur. Quemadmodum &, oppoſitionum, quibus reſpondendum eſt, qualitate inſpecta; non rarò plura ſimul invadimus: (ut Quintilianus ait) ſive quia tam infirma ſunt; ut non ſingula inferri poſſint: ſive quia tam moleſta; ut pedem ſingulis conferre non expediat. Proindéque toto enitimur corpore; ac veluti ex pluribus luminibus flammam; aut è pluribus rivulis congerimus flumen.

Inſt. 5. c. 13.

Quoad reliqua porrò Confutationis requiſita; Elocutionem ſcilicet, & Pronunciationem; nihil peculiare videtur addendum iis, quæ de Confirmatione ſunt dicta: niſi quòd mitiores eſſe ſolent. Aliud enim agit accuſator: aliud reus. Semper tamen ſervanda quædam ſecuritas fidem faciens. Non timeat Patronus: non concidat: ſed adverſarium moderatè nonnunquam reprehendat; ubi præſertim vitium opponentis advertit. Non tamen plaudo maledicis Oratoribus: qui ferè, niſi conviciis, reſpondere adverſariis ignorant;

rant; actorem potiùs, quàm ejus actionem impetentes: Quis enim (inter cætera; in quibus ipſe peccavit) ferre ſæpiùs potuiſſet Ciceronis illud in Antoniũ: *Hæc ut colligeres, homo amentiſſime, tot dies in altera villa declamaſti?* Hujuſmodi certè formulas rarò, ſumma ratione urgente, permittit Oratoria bonitas: Chriſtiana verò Charitas penè nunquam.

CAPUT II.

DE EPILOGO.

EPilogi; qui latinè Concluſio, vel Peroratio, pluribúſve nominibus aliis appellatur; magna vis, & utilitas: eáque; ut priſci Athenienſes lege per præcones promulgata vetuerint; ne veritati perorantis vehementia prævaleret. Sed magna quoque in iis contexendis eſſet opus ſolertia: ne hebeſcentibus prope finem ingenii, induſtriæque præſidiis; *Toto* (ut dicitur) *bove devorato, in cauda deficiat* Orator; ejúſque *Naufragium in portu* Cauſa patiatur. Eſt ſiquidem pars hæc * artificioſus Orationis terminus: vel (ut Cicero * loquitur) eſt exitus, & determinatio totius Orationis: in quo, ſi quis irrepſerit error; nec corrigi, quia poſtremus, poterit; nec ab auditorum memoriis aboleri. Inſpiciendus eapropter ab ipſo limine finis: & Æſopi monito parendum. Vulpem hic introducit, poſt expletam abundè ſitim, hirci ope è puteo, in quem ſimul cum eo deſcenderat, exilientem; eíque promiſſam operam denegantem ſuã: imò & deridentem; quòd antè deſcendiſſet; quàm conſideraſſet de aſcenſu. Cujus Apodoſi concludit: *Prudentem virum oportere priùs fines altiùs conſiderare rerum: deinde ſic ipſas aggredi.* *Heren. 1.* *Inv. l. 1.*

PARTES huic quatuor Ariſtoteles * tribuit: alteram; qua nobis auditorum benevolentiam; adverſariis revocamus invidiam: alteram; qua rem amplificamus; vel diminuimus: deinde animorum Commotionem: rerum denique Enumerationem. Tres ſolúmmodo volunt * auctor ad Herenni- *3. Rh. c. 21.* *Herenn. 1.*

 um,

Cic.Inv.1. um, & * Cicero: Enumerationem ſcilicet; Commiſerationem, ut ille loquitur; ſeu, ut hic, Conqueſtionem; qua Miſericordia in auditorum excitetur animis: & Amplificationem eoſdem in adverſarios inſtigantem; vel (quod in *Partit.* idem recidit) Indignationem. Alibi verò * Tullius idem in Enumerationem ſolùmmodo Perorationem dividit; & Amplificationem in præcedenti libro à nobis explicatam: ex cujus deinde augmento, vel diminutione, Cohortationes ait deſumi, ad Commiſerationem, vel odium excitandum. Sed aptius cenſeo duas tantùm Epilogi partes cum recentioribus facere: Enumerationem ſcilicet; quæ (ut *inſt.6.c.1.* Quintilianus * ait) in rebus eſt: & Commotionem; quæ in affectibus. Nam, & Conqueſtio, & Indignatio, & Miſericordia, & Benevolentiæ, Odiíve renovatio, affectus omnes ſunt; ſed non ſoli ad Perorationem attinentes: Amplificatio verò, vel ad affectus conducit, ſi pathethica; vel ſecùs artificium eſt, & modus enumerandi.

Non tamen ideò reprehendo optimum illum Orationis claudendæ modum, & Sacri verbi præconibus, in ſecundis præſertim Concionum partibus, apprimè familiarem; qui Corollarium appellatur. Fit autem, quoties ex omni Oratione aliquid colligimus in Propoſitione, vel Cauſa non contentum: quod tamen ex ea inferatur, inſtar conſequentiæ; vel ei ſit alio quocunque ex capite connexum. Hunc antiqui non præcipiunt Rhetores: & omnium primus tradere videtur in ſuo de modo componendi Conciones libro * *Cap.10.* Panigarola. Plures tamen primæ notæ Oratores uſu comprobaſſe, monet * Areſius. Ciceronem enim adducit pluſ- *Art.pred.l.2.c.22.* quam unam in M.Antonium Orationem ſua concludentem ſententia circa ea; quæ tot inter tumultus eſſent facienda. Iſocratem etiam affert, & Platonem: quorum prior ſcriptę ad Nicoclem de laudibus ejus patris Evagoræ Orationem terminat, Nicoclem ipſum hortando ad paternarum imitationem virtutum: poſterior verò Encomio militum, qui pro Patria mortem obierant, ſubdit ad filios directam non diſſimilem exhortationem. Hunc igitur morem, ut Oratoriæ dignitati maximè congruum, & nos recipimus; dummodo, quod additur, prędictis ſit omnibus efficacius; ne frigeat Oratio: & non merę ſpeculationi inſerviat; ſed animos inſtruat,

ſtruat, & conformet. Non tamen Epilogum; ſed Digreſſioni proximum id arbitramur adjectum.

RUDIMENTUM I.

De Enumeratione.

PRior igitur Epilogi pars Enumeratio eſt; grecè Anacephalęoſis: rerum ſcilicet Repetitio, & Congregatio. Hæc tùm in Orationis extremo; tùm inter orandum locum habet in aliis quoque partibus concludendis: ſed ibi figura dicitur; hìc ſpecialem Orationis partem cum Commotione conſtituit.

MUNUS ejus (ut patet) eſt principaliora tranſcurrere eorũ, quæ dicta ſunt: ut & memoria reficiatur auditorum: & quę diſperſa fortè minùs faceſſerunt negotii; conferta plùs valeant. In hoc verò (quod vel ex ipſo grȩco nomine apparet) decurrendũ per capita. ** Nam ſi morabimur: non jam Enumeratio; ſed altera quaſi fiet Oratio.* Itaque * ſummatim ea repetenda; quæ demonſtrata ſunt: dummodo non ab Exordio, * aut à Narratione retexantur; ſed à Propoſitionis diviſione ſumatur initium. Deinde breviter exponendæ res; quæ tractatæ erunt in Confirmatione, & Confutatione. Et has quidem (Tullio * monente) ſive ſingillatim rem unanquanque attingendo; ac ſingula delibando argumenta; ut plerique faciunt, quia facile: ſive artificioſiùs, licèt difficiliùs; de quibus pollicitum fuerat, dicendum ad quamlibet confirmandam Diviſionis partem; de iis ad memoriam revocando, quibus fides facta fuerit argumentis; ut appareat, nihil ad perfectam probationem ab auditoribus ultrà poſſe deſiderari. At in omnibus iterum advertendum: ut ſumma ſemper attingamus capita; & jam non partes retexamus partium: ne græcum illud nos feriat adagium: *Crambe recocta mors eſt*. Sed brevibus attingentes ſingula rerum pondera comprehendamus: idque ex omni eligamus argumentatione; quod eſt graviſſimum: ut memoria; non Oratio renovetur. Exemplum ex pluribus illud * Ciceronis: *Oſtendi, quàm multa antè fieri convenerit; quàm hominis propinqui bona poſſideri poſtularentur: præſertim, cùm Romæ domus ejus, uxor, liberi eſſent; omninò vadimonium nul-*

inſt.6.c.1.
Ariſt.3.Rh. c.21.
Heren. 2.
Inv, l.1.
pro Quinct.

nullum fuiſſe: id teſtibus me pollicitus ſum planum facturum; qui & ſcire deberent; & cauſam, cur mentirentur, non haberent.

Neceſſariam haud ſemper eſſe, conſentiunt omnes; nec conſequenter in omni Oratione locum habere. Cunctis enim tantùm ejus uſus; atque (ut Cicero * loquitur) Tempora duo ſunt: ſi ſcilicet memoriæ diffidas eorum, apud quos agis; vel intervallo temporis; vel longitudine Orationis: aut ſi frequentatis firmamentis Orationis, & breviter expoſitis, vim eſt habitura Cauſa majorem. Undè neceſſariò fit; multas eſſe Cauſas: in quibus nullo modo ſit neceſſaria; ſed ſolius Propoſitionis ſufficiat repetitio, Concluſionis inſtar: ſi ſcilicet * breves, & ſimplices fuerint; & * quæ facilè memoria comprehendi poſſint. Quare ſolùm habere videtur regnum Enumeratio iis in Orationibus: quæ, aut cùm plures habeant Propoſitionis partes ad unicam ſpectantes materiam; longiores ſunt: aut Propoſitionis ejuſdem, & ſimplicis plures inter ſe diſpoſitas rationes exhibent; quàm memoriæ viribus par ſit. Quod & Sacros docere videtur Oratores * Colonienſe Concilium: nempè: *Ubi ad calcem Concionis deventum erit; brevi Epilogo, quod argumentum, ac capita totius Concionis enarret, utantur: id enim ad captũ; ac fulciendam memoriam auditorum plurimùm fecerit*. Cæterùm, ſi duo hęc abſint: vel ſi finis Orationis ſatis animos teneat auditorum; ut cùm vehementi ratione, vel efficaci exemplo Sacras claudimus Orationes: Enumerationem ulteriùs addere; & animorum remiſſionis; & tædii periculũ inducit. At in hoc caſu non importunum cenſerem; quòd ſedulus Orator poſt partem quamlibet Propoſitionis, aut principale quodvis argumentorum caput, Anacephalęoſim prędictorum retexuerit omnium; repetieritque ſemper, quæ ulteriùs dicta fuerint, addens: ut cùm ad maximum illud perventum fuerit; & recens auditorum memoria; & rationum confertarum vis fortior inveniatur.

Partit. — *Quint. inſt. 6. c. 1.* — *Ariſt. 3. Rh. c. 15.* — *p. 6. c. 25.*

ORDINEM in Enumeratione ſervandũ, quo dictũ in tota fuerit Oratione, innuit * auctor ad Herennium. Sic * Cicero: *Quare: cùm & bellum ita neceſſarium ſit; ut negligi non poſſit: ita magnum; ut accuratiſſimè ſit adminiſtrandum: & cùm ei Imperatorem pręficere poſſitis; in quo ſit eximia belli*

lib. 2. — *pro leg. Manil.*

diſcientia; ſingularis virtus: clariſſima auctoritas; egregia fortuna: dubitabitis Quirites; quin hoc tantum boni, quod à Diis immortalibus oblatum, & datum eſt, in Rempublicam conſervandam, atque amplificandam conferatis? Quia verò, ut diximus, non Confirmationes modò; ſed & Confutata argumenta ſæpiùs occurrunt enumeranda: idcirco triplicem ea inter ſe ordinem habere poſſunt. Vel enim proprias rationes priùs recenſet Orator; ac deinde, quod opponebatur, quomodo everterit, oſtendit; ut mox citato ſit Epilogo: vel econtrà refutationes propriis præmittit argumentis: vel demum (quod artificioſius putat *Cicero) cum propriis contraria conjungit. Et hujus quoque ex Tullio * proponam exemplum: *Et quoniam; qua de cauſa; & quorum cauſa ille hoc promulgavit, oſtendi: doceat ipſe; num ego quê poſſeſſorem defendam, cùm Agrariæ legi reſiſto? Sylvam Stantiam vendis: Reſpublica poſſidet. Defendo. Campanum agrum dividis: vos eſtis in poſſeſſione. Non cedo. Deinde Italiæ, Siciliæ, cæterarumque Provinciarum poſſeſſiones venales, ac proſcriptas hac lege video: veſtra ſunt præſidia; veſtræ poſſeſſiones. Reſiſtam; atque repugnabo.* *Inv. l. 1.* *de lege Agr.*

ELOCUTIONEM votis õnibus variã hìc Rhetores exquirunt. Si enim ſemper eodẽ modo tractabitur; perſpicuè ab omnibus artificio quodam tractari intelligetur: ſin variè fiet; & hęc ſuſpicio, & ſatietas vitari poterit. His Quintilianus * addit: quòd *nihil eſt odioſius illa recta repetitione, velut memorię judicum diffidentis*. Stylum autem ex eo dicendi genere Ariſtoteles * repetit; quod diſſolutum, ſeu Cõciſum vocatur: ut *Peroratio ſit; non Oratio*. Cujus optimũ ex Cicerone * exemplum: *Prędia mea tu poſſides: ego aliena miſericordia vivo. Concedo: & quòd animus ęquus eſt; & quia neceſſe eſt. Mea domus tibi patet: mihi clauſa eſt. Fero. Familia mea maxima uteris: ego ſervum habeo nullum. Patior: & ferendum puto. Quid vis ampliùs? Quid inſequeris? &c.* Verba requirit * Tullius: quæ vim illuſtrandi contineant; nec ab uſu ſint abhorrentia: gravia; plana; ſonantia; juncta; cognominata; (alio nomine Epitheta) non vulgata: relata quoque; iterata; & ea, quæ aſcendunt gradatim ab humilioribus ad ſuperiora. Sententiis indè excitatam præcipit * Quintilianus; aptiſque diſtinctam figuris dictionem: ut ſi *inſt. 6. c. 1.* *3. Rh. c. 21.* *pro Amer.* *Partit.* *inſt. 6. c. 1.*

du-

dubitare, ſimulet Orator; num quid eum fugerit; ſingula interim recenſens: vel ſi auditores interroget, num quid reſponderi iis poſſit, quæ ſunt allata. Adde & his Proſopo-

Inv.l.1. pœjam; de qua meminit * Cicero: ut ſi dicas: *Quid, ſi leges loqui poſſent? nonne urgerent &c?* Interdum quoque, ne

pro Cluent. videatur prolixa Enumeratio, Preteritionem adhibet * Tullius: *Mitto illam primam libidinis injuriam: mitto nefarias generi nuptias: mitto &c.* Nonnunquam etiam docere auditores geſtit Orator; quid poſſint adverſariis reſpondere; capita interim totius recenſens Probationis. In primis verò Auxeſes aptę; Hyperboles; & id generis aliæ, addentes ſcilicet vim Orationi, formulæ: in quibus pręter alios De-

inſt.3.c.6. moſthenem plurimùm valuiſſe, teſtatur * Quintilianus.

PRONUNCIATIO tùm Vocē, tùm Actionē habet efficacē, & celerem; ubi Indignatio, vel Amplificatio non immiſcetur: tunc enim hujus regulæ ſunt ſervandæ. Et, quod

lib.3. ad Vocem quidem attinet, hęc auctor ad Herennium* docet: *Uno ſpiritu continenter multa dicere in extrema convenit Oratione: fauces enim caleſiunt; & arteriæ complentur; & vox, quæ variè tractata eſt, reducitur in quendam ſonum æquabilem, atque conſtantem.* Elatam verò nimiùm eam nollem: ſed potiùs veluti plenis è faucibus erumpere cupientem; ſed retentam tamen ab Oratore: quò pro vehementioribus indignantis, aut amplificantis affectibus libera ejus eruptio reſervetur.

RUDIMENTUM II.

De Affectuum Commotione.

inſt.6.c.1. PHiloſophi de re hac ii non audiendi Quintiliano * ſunt: quibus cùm vitii loco ſit affici; nec benè morati videbitur Oratoris auditorum animos commovere. Quid enim, ſi vera, & juſta; averſis affectibus impedientibus; obtineri ſecùs haud poſſunt? Boni igitur erit Oratoris munus; quemadmodum & in tota actione; in hac parte potiſſimùm, excitandis affectibus inſudare. Quin & inter reliquas, ac poſtremam hanc partem id intereſt: quòd in iis ſit tractandus affectus, prout ex ſe quiſque naſcetur, in hac verò tota pandere vela; totóſque Eloquentię fontes aperire

xire liceat: utpote quibus (ſi benè dixerimus reliqua) poſſidere jam poſſumus animos auditorum. Hoc enim, inquit * Fabius, eſt; quod dominatur in judiciis; ſine quo cætera nuda, jejuna, infirma, ingrata ſunt: adeò velut ſpiritus operis hujus, atque animus eſt in affectibus: Hi eloquentiam regunt. Nam rationibus defendere; magis eſt advocati. Ubi verò animis judicum magis afferenda eſt vis: ibi proprium Oratoris opus eſt. Hoc non docet litigator: hoc libellis, & legibus minimè continetur. Probationes efficiunt ſanè; ut, Cauſam noſtram meliorem eſſe, judices putent: Affectus præſtant; ut etiam velint. Sed, ut fatear; nimis hìc Fabius dixit: utriſque enim æquè incumbere, puto Oratoris opus: nec adeò fidendum affectibus; ut & parùm rationibus detur. Sæpè nanque, parte ſolùm inferiore imaginationi cedente, invicta conſiſtit voluntas: atque; ut de Ænea Didonis reſiſtente queſtubus ait Virgilius: *inſt.6.c.3.*

Mens immota manet: lachrymæ volvuntur inanes.

Quidquid tamen de hoc ſit: ſummam exigit artem Commotio: qualem, excepto Cicerone, vix in alio primis illis Eloquentiæ temporibus repertam crediderìs: omnes enim; (ut de ſe Tullius ipſe * teſtatur) & egregius ille quoque Hortenſius; (ut Brutus refert) cum eo licèt Cauſas, ut moris erat, partirentur plures dicentes ſimul; ei tamen ſemper perorandi locum relinquebant. *Orator.*

ORDO locū præbet Commotionis quibuſdam veluti rudimentis in ipſa, quæ Enumerationem animat, Amplificatione. Hìc tamen de ea, ut omni conatu figuris animos excitante, ſermo eſt. Eam nùllo præmittendam jure Enumerationi; ex Quintiliani * doctrina, & communi recentiorum uſu ſit certum. Naturalis enim ordo requirit: ut non priùs, quæ voluntatem impellunt; quàm, quæ mentem illuſtrant, colligantur. Et frigeſceret animus; quem ad repetitas rationes attentio diſtraheret ab affectibus jam commotis. Undè poſtremum non raro obtinere ſolet locum Affectus: quem, inter alias Ciceronis Orationes, in iis habet; quæ pro Cluentio, & pro Lege Manilia. Sæpiùs tamen (& omnium quidem aptiſſimè) ambæ Epilogi partes commiſcentur: ut affectum quæ movet; rationes eadem congreget figura. Quod Exhortatione ſic præſtat * Divus *inſt.5.c.1.* *De mortal.*

Cyprianus: *Potiùs, fratres dilectiſſimi, mente integra; fide firma; virtute robuſta; parati ad omnem voluntatem Dei ſimus: pavore mortis excluſo; immortalitatem, quæ ſequitur, cogitemus. Hoc nos oſtendamus eſſe; quod credimus: ut neque charorum lugeamus exceſſum: & cùm accerſionis propriæ dies venerit; incunctanter, & libenter ad Dominum, ipſo vocante, veniamus.* Aliquando etiam (cùm ex pluribus ſcilicet conjunctam agimus Cauſam) pluribus quoque uti neceſse eſt quaſi Epilogis: quod, ad plures ſermone converſo, * Cicero fecit in Verrem. *Verr.3. & 7.*

AFFECTUS porrò cōcitādi ſunt varii juxtà Cauſarū diverſitatem. Proinde totas ſuæ Cauſæ vires Orator præ oculis habeat: & ea dicere conetur; quibus, ſi ſuadendus ipſe eſſet, maximè moveretur. Precipui, quos Judiciariæ Eloquentiæ præceptores enumerant, ſunt Conciliatio; Indignatio; Commiſeratio: deinde cæteros ſub una redigunt Amplificatione. Conciliationem (benevolentiam ſcilicet in ſe auditorum) ex iis, quæ tùm Exordii, tùm Affectuum ſubminiſtrant regulæ, captabit Orator: quam inter affectus alios pro Roſcio Amerino Tullius intentat. Indignationē facit atrocitas preſertim ſceleris: tùm quæcunque in primo diximus libro. Commiſerationem (quæ à Tullio * Conqueſtio nuncupatur) excitat malorum Auxeſis locos omnes attingens indicatos à nobis, cùm de Affectibus: ut in eum, pro quo dicitur, miſericordes auditores reddat; & ab iis omni artificio lachrymas exprimat. Quo tamen obtento, illicò quieſcendum: quia, ut Apollonius Rhetor dicere conſueverat; *Lachryma nihil citiùs areſcit*. Amplificatio demum hìc ea ſumitur: quæ, ſive rebus ex Topica, ſive formulis ex Elocutione mutuatis; affectus aut ciet reliquos; aut excitatos quoslibet, quà ſedat, quà auget; ut Tullius * docet. Sic Commiſerationi, quam accuſator prætenderat, Imagine Saturnini prolata, plura ipſemet * objecit urbana dicta. Spem quoque movet; * cùm emendari inquit adhuc poſſe judiciorum infamiam, damnato Verre. Metum etiam quandoque inducit idem in ipſum * Verrem. Atque alios quoque motus, tùm is alibi; tùm alii paſſim illuſtres excitant Oratores. In quibus omnibus id verificetur; quod aliquando * Fabius monuit: ut ſcilicet in ingreſſu, ac Exordio

Inv.l.1. *Topic.* *pro Rabir.* *Verr.2.* *Act.7.* *Inſt.4.c.1.*

dio

dio parci ſimus, & modeſtiores, in Epilogo verò totos effundamus affectus, omnénque ponamus conatum: quandoquidem * *Jam nihil ampliùs dicturi ſumus, nec reſtat, quò ſervemur.* inſt.6.c.1.

FIGURÆ nõ minùs ad movẽdũ aptæ ſunt eligendæ; & quàm in cæteris Orationis partibus liberiores, ac pleniores. Proſopopœjæ, & mutis rebus ſubminiſtratę voces apprimè movent: atque (ut Quintilianus * loquitur) *& fictam Orationem induere perſonis, & defunctos excitare licet.* Apoſtrophe precipuum penès Eccleſiaſticos Panegyriſtas habet uſum: qui & eam ad alia Sacrarum Orationum jam extendunt genera. Habuit quoque & apud Oratores profanos: ex quibus unus, iſque inter ſummos, Demoſthenes * ſic exẽplo; ubi ait: *Ne, Dii omnes, quiſquam veſtrum ad hac enumeret: ſed illud potiùs; animum meliorem, & mentem illis immittite. Quòd ſi ita ſint inſanabiles: hos ipſos ex ſe deſtabiles, & execrandos terra, màrique reddite. Hos certè reliquos &c.* inſt.4.c.1. pro Corona.

In cunctis tamen his dignitas eſt ſervanda. Quare in eo penè divino, pro Milone Epilogo, Miſericordiam facturus Cicero, indignum duxit ſupplicantem exhibere fortem virum; & qui, à ſe nobilem hominem interfectum, quia id fieri oportuiſſet, fateretur. Ubi itaque deprecandum fuit; ipſe partes eas ſubiit: *O me miſerum! O me infelicem! Revocare tu me in patriam, Milo, potuiſti per hos; ego per eoſdem retinere non potero? &c.* Ubi verò loquentem introducit Milonem; convenientes has ſtrenuo cordi formulas accommodat: *O fruſtra mei ſuſcepti labores! O ſpes fallaces! O cogitationes inanes meæ! &c.*

PRONUNCIATIO, quæ huic ſit apta parti, (ſive Vox; ſive ſpectetur Actio) ſatis ex iis liquet; quæ in quinta primi libri parte ſunt dicta. Nec aliud iis occurrit addendum: niſi quòd liberiores utrique ſunt habenæ laxandæ. Plùs aliquid circa oſtentationes quaſdam rerum adjiciendum; cùm hæc, ſiquam habent, propria ſit earum ſedes. Non igitur dicẽdo ſolùm; ſed & faciendo animos concitamus. Unde & in defendendo; eorum, qui periclitabantur, liberos, parentéſque producere ſquallidos; & in accuſando cruentũ exerere gladium, lectáque è vulneribus oſſa oſtendere, veſténque cruentam; in maximis Cauſis forenſes experti ſunt.

Oratores, magnum attuliſſe momentum; atque vi quadam ingenti, velut in rem præſentem, auditorum animos adduxiſſe. Sic in foro prolata C. Cæſaris ſanguine madens prætexta Romanum populum egit in furorem, & ultionem; ac ſi non occiſus jam Cæſar eſſe, ſed tum maximè occidi videretur. Sic etiam; cùm * L. Paulo Æmilio de Perſeo Rege triumphaturo milites, Capitolio obſeſſo, triumphum denegarent: nudatus pectore M. Servilius vir conſularis, & innumeras adverſo corpore exceptas cicatrices oſtendens; militarem reprehendit adeò feliciter audaciam, ut omnes milites ſciſcerent Paulo triumphum. Gregorius quoque Nonus Pontifex; * Romanum populum ad Fridericum Secundum inclinantem cùm cerneret; Apoſtolorum Petri, & Pauli capita tenens manibus, ac lachrymabili voce venerabiles commendans reliquias, pro Religione cunctorum animos immutavit.

Plut. in Æmilio.

Fulgoſ. l. 8. c. 10.

Cuncta verò, priúſquam hæc fiant, ſedulò ſunt providenda: ne, exhibentium imperitia, aut rivalium Oratorum tergiverſatione, contrarios degenerent in affectus. Hoc Rabirii contigit accuſatori: à quo producta Saturnini imago, facetiſſimis Tullii notata argutiis, Riſum pro Invidia fecit. Hoc pariter aſſecutus quidam eſt apud * Quintilianum: qui mariti imaginem contra ream proferre magni ratus; non modicum ſepè riſum excitavit: ii enim, quorum erat, ut eam traderent, ignari, quid eſſet Epilogus; quoties reſpexiſset Patronus, palàm imaginem offerebant.

inſt. 6. c. 3.

CAPUT III.

DE TRANSITIONIBUS.

QUod ferè horroris diſcerpta corporis humani membra; id diſſoluta Orationis ingerunt partes. Indè; cùm acutiſſimis dictis, ſententiiſque omni gravitate, ac doctrina redundantibus ſuas diſtinxerit Seneca lucubrationes: attamen; eoquòd non multùm quibuſdam fuerit viſus, unioni ſtuduiſſe; notatus dicitur; quaſi calcem ſolùmmodo, & ſaxa coacervarit. Unionem verò Orationis partes

tes (ſive majores, de quibus hactenus; ſive minores, quæ ſingulas haſce conſtituunt) nectentem, Conjunctionem * Areſius; recentiores autem cæteri (qui ſoli rem hanc illuſtrant) Tranſitionem appellant: utpotè, per quam à dictis ad ea, quæ dicenda remanent, tranſitur. Atque de hac. *Art. pred. l. 2. c. 25.*

RUDIMENTUM I.

Quotuplex Tranſitio: & Undè petatur?

DUplicem hujúſmodi nexum facit Areſius, ubi ſuprà: alterum qui verba ligat: alterum, qui conceptus. Et eo, qui materialis eſt, & à Grammaticæ ſolis tyronibus ſcrupuloſè ſervatur, Senecę carent ſcripta. Hic verò ſufficit Ariſtoteli, & Demetrio: ubi Contentioſis pręſertim Orationibus; aut Epilogis; aliiſve quibuſdam partibus ſtylum pręſcribunt liberum, atque ſolutum.

Poſtremus hic duplex adhuc eſſe poteſt: modò nanque Tranſitum apertè facimus: modò tectim, & ſine ſenſu. Apertam dico Tranſitionem: quæ completè accepta; (ex auctore * ad Herennium) *Cùm oſtendit breviter, quid dictum ſit; propoſuit item brevi, quid ſequatur.* Et hęc eſt utiliſſima, non ad ordinem modò; verùm & ad docilitatem captandam; & renovandam attentionem: quia reficit animum auditorum. Cujus proinde familiariſſimus apud antiquos Oratores uſus. Eſt autem hujuſmodi: * *Quoniam de genere belli dixi: nunc de magnitudine pauca dicam.* Tectam inficiatur Quintilianus * ſic de ligamine Exordii cum Narratione diſſerens: *Oratori verò quid eſt neceſsè ſurripere hanc Transgreſſionem, & Judicem fallere; qui ut ordini rerum animum intendat, etiam commonendus eſt? Peribit enim prima pars expoſitionis, ſi Judex nondum narrari ſciet. Quapropter: ut non abruptè cadere in Narrationem: ita non obſcurè tranſcendere eſt optimum.* Sed tamen his arbitror occurri poſſe: ſi & Tecta premittatur Tranſitio; quod ingenioſum eſt: & paucis illicò detegatur; quod clarum, atque jucundum. *lib. 4.* *Cic. pro lege Manil.* *inſt. 4. c. 1.*

Verùm aliunde nobis capitis hujus partitio deſumenda. Et paucis quidem ut omnia complectamur. Quicunque rerum nexus; ſive ex rebus ipſis; ſive ab Oratore naſcuntur. Prioris generis Tranſitiones Topica ſubminiſtrat: ſive ex intrin-

trinſecis locis; ſive ex extrinſecis erutas. Poſterioris verò
quę ſunt generis: eas vel ad rerum ipſarum naturam diſcur-
ſus exigit; & inter Concluſiones verſatur, ejúſque proba-
tiones: vel ars eligit ob finem aliquem Oratoris pruden-
tię conſentaneum. Utrique igitur aliquot occurrentes Ide-
as ut aſſignemus.

Intrinſecis pluries utitur locis Tullius. Ex Toto nanque
pro Flacco. ſic * ad Partes ſingulas tranſit: *Sed quoniam de totius Aſiæ
crimine dictum eſt: aggrediar jam ad ſingulas Civitates.* E Spe-
Verr. 2. cie quoque ad unitam in Genere Speciem alteram * ſic: *Et
quoniam de ea pecunia, quam tibi ad ſtatuam Cenſores contu-
lerunt, dixi: non mihi prætermittendum videtur, ne illud qui-
dem genus pecuniæ conciliatæ; quam tu à Civitatibus ſtatuarũ
Verr. 3. nomine coegiſti.* Ex Simili verò ad Simile * hoc pacto: *Ve-
rùm non una te tantùm; ſed univerſæ ſimilibus afflictæ incom-
modis, legationibus, ac teſtimoniis publicis perſequētur.* E Ma-
jori ob communem Comparationis reſpectum ad Minus
progreditur, poſtquam in Jovem Capitolinum retulit fa-
Verr. 4. cinus; faciliùs Verrem in minora prolapſum, ſic * oſtendēs:
*Itaque hoc nefario ſcelere concepto; nihil poſtea in tota Sicilia,
Verr. 1. neque ſacri, neque religioſi eſſe duxit.* Ex Æquali autem *
ad Æquale: *Magnum hoc Lampſacenorum crimen est [illegible] libidi-
nis, atque improbiſſimæ cupiditatis. Accipite verò a[illegible] partis
pro Sextio. propemodum in ſuo genere non levius.* E Minori par[illegible]ter ad
Majus * ſic: *Sed nimis multa de nugis: ad majora ven[illegible]iamus.*
Verr. 2. A Cauſæ unitate * Tranſitum ex uno ad cætera facit [illegible] crimi-
na: *Ex hac iniquitate iſtius, & improbitate, Judices; [illegible] quòd
præda ex illis bonis ad multos Syracuſanos, invito populo [illegible] Se-
natuque Syracuſano, venerat, etiam illa ſcelera ſunt.* Ab [illegible] ef-
fectus quaſi identitate ex una greſſum petit ad aliam c[illegible]imi-
Verr. 4. nis Narrationem * hoc modo: *Quid? Eupolemo Cal[illegible]dino
homini nobili, Lucullorum hoſpiti, ac perfamiliari, non [illegible]
fecit? Cœnabat apud eum &c.* Ex uno denique Tempore a[illegible]
Philipp. 2. aliud excurrit, ob eorum quandam relationem, * his verbis:
*Sed hæc vetera: illud autem recens; Cæſarem meo conſilio in-
terfectum.*

Extrinſecùs quoque Tranſitiones eruuntur; quoties ex u-
na ad aliam auctoritatem, ſimilitudine, relatione, aut alio
quopiam ex intrinſecis jam enumeratis capitibus connexā,

iter

iter arripitur: nec non & ex una parte ad aliam ab eadem auctoritate contentam fit gradus: idque; ſive humana ſit; ſive divina auctoritas; cujusvis generis, aut ſpeciei. Exemplum (ne ſim prolixior) duplex tantùm proponam. Ab Humana auctoritate tranſitum petit; ex eo ſcilicet crimine, quod contra Legem Hieronicam, ad id, quod Legi Senatus opponebatur, procedens * Cicero: *Jam verò illud non ſolùm contra legem Hieronicam; nec ſolùm contra cõſuetudinem ſuperiorum: ſed etiam contra omnia jura Siculorum; quæ habent à Senatu, populoque Romano; ne extra ſuum forum vadimonia promittere cogantur. Statuit iſte &c.* A Divina verò auctoritate ille eſt Tranſitus; quem apud ingenioſum quendam Sacrę Eloquentię alumnum legiſſe memini. Is cùm propoſuiſſet; Reipublicę cujuſque perniciem eſſe diſcordiam inter ejuſdem ſive Magiſtratus, ſive Pręſidia: ex prioribus ad poſteriora deſcenſurus; Statuam deſcribebat à Nabuchodonoſor* viſam. Ex cujus ruina duo colligebat. Alterum: ruiſſe Statuam luteorum contritione pedum: eoquòd ferrea crura teſtę uniri non potuerint; Romanę inſtar Monarchiæ. Alterum: ad univerſam conſternendam molem; non arietibus; non bellicis opus fuiſſe tormentis: ſed ſatis virium habuiſſe parvum lapidem, vel nulla vim addente manu. Quoniam *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus: & percuſſit Statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus; & comminuit eos.* Quibus diſcerēt (ut is interpretabatur) militiarum Duces; nunquam majus habituros hoſtes robur, quàm ipſis inter ſe diffidentibus.

Verr. 3.

Daniel. 2.

Ab Oratore porrò quæ naſcuntur Tranſitiones; tres ſunt. Prima aſſignat, quæ ſequuntur, ceu pręcedentium rationē; hoc pacto: * *Qui ſimul atque ei ſorte provincia Sicilia obvenit; statim Romę, & ad Urbem, antequam proficiſceretur, quærere ipſe ſecum, & cum ſuis agitare cœpit; quibuſnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere poſſet? Nolebat in agendo diſcere: ſed in Siciliam paratus ad prędam, meditatuſque venire cupiebat. Atque, ut intelligatis; eum Romæ quæſiſſe, non modò genera furandi, ſed etiam nomina: accipite certiſſimum argumentum; quò faciliùs de ſingulari ejus impudentia exiſtimare poſſitis. Quo die Siciliam tetigit: statim &c.* Quibus Tullius invidia claudens amplam

Verr. l. 2.

Exor-

Exordii captationem; ab injuria Dioni factam accuſationis ejus ducit initium; tanquam ab invidiæ ejuſdem argumento. Secunda (preter omnes ferè ad Perorationes progreſſus) ex prioribus infert ſubſequentia * ſic: *Quamobrem; queſtura iſtius demonſtrata; primique Magiſtratus & furto, & ſcelere perſpecto; reliqua attendite*. Tertia demum rationem affert; qua moveatur Orator ad cætera aggrediendum * in hunc modum: *Id quò faciliùs facere poſſitis: dabo operã; ut, à principio res quemadmodum geſta, & contracta ſit, cognoſcatis.*

Verr. 1. — *pro Quinct.*

RUDIMENTUM II.
Quæ Tranſitionibus aptæ Figuræ?

Omnes omninò, ſi pro rerum, & perſonarum adhibeantur dignitate, locum & hic habent figuræ. Quid enim eſt; quod figuratam aliquam non recipiat locutionem? Nos verò, ne in perpetuum abeamus; quæ ad terminum properanti calamo occurrunt; exemplis aliquot donabimus ex Cicerone deductis.

Dubitatione enim utitur; cùm à Narratione ad injuriam accuſationis oſtendendam vult progredi * ſic: *Quid primùm querar? aut undè potiſſimùm exordiar, Judices? aut quod; aut quibus auxilium petam? &c.* *pro Amer.*

Interrogatione, & Reſponſione, à confirmanda ſua Cauſa ad confutandum his * accedit: *Quid enim dicis? an, quod dictitas; injuriam tibi feciſſe Verrem? Arbitror: neque enim eſſet veriſimile &c.* Aliquando etiam alium interrogantem ſimulat: cui reſponſurus, ea, quę addenda ſunt, proſequitur. Sic Tullius idem: * *Quæris à nobis, Gracche; cur tantopere hoc homine delectemur?* Cui reſpondens laudes Archiæ ſubtexit. *Divinat.* — *pro Archia.*

Ratiocinatione; cùm inter alia propoſuerit, non fuiſſe cauſam; quare Sextus Nevius Quinctii bona poſſidenda à Prætore poſtularet; ad rationis nervum, quo id probaret, * accedit: *Non fuit cauſa; cur poſtulares. Quì hoc intelligi poteſt? Quia Sexto Nevio; neque ex ſocietatis ratione; neque privatim quidquam debuit Quinctius. Quis huic rei teſtis eſt? Idem; qui acerrimus adverſarius. In hac re te, inquam, teſtem, Nevi, citabo &c.* *pro Quinct.*

Com-

Communicatione à cōcilii narratione, quod de corrumpendo judicio inierant adverſarii, ad ſuam petitionem ſic * progreditur: *Nunc ergo, Judices, jam vos conſulo; quid mihi faciendum putetis: id enim conſilii mihi dabitis; quod egomet mihi neceſſariò capiendum intelligo &c.* Verr.1.

Cognitione eſt uſus;* cùm Verris fuga narrata, attributeque pecuniæ furto; defenſioni ejus occurrit: *Video, quid egerim. Erigit ſe: ſperat, ſibi auram poſſe aliquam afflare &c.* Verr.1.

Præteritione utitur * ex una ad alteram tranſiens Confutationem: *Verùm concedo tibi; ut prætereas, quæ cùm taces, nulla eſſe concedis. Illum quidem voluiſſe exhæredare; certè tu planum facere debes. Quid ergo affers; quare id factum putemus?* pro Amer.

Ironia videtur uſus;* ubi è Verris deprædationibus, atque rapinis ad libidines, & ſtupra greſſum hunc facit: *At credo, in hiſce ſolis rebus indomitas cupiditates, atque effrenatas habebat: cæteræ libidines ejus ratione aliqua, aut modo continebantur. Quàm multis iſtum pueris &c.* Verr.1.

Conceſſione * ſic: *Sed hęc ſæpè paria ſint omnia. Sit par forenſis opera militari: ſit par militari ſuffragatio urbanæ. Quid? in ipſa prætura nihilne exiſtimas inter tuam, & illius ſortem intereſſe?* pro Mur.

Negatione expreſſa propoſitæ rationis, quæ pro adverſario faceret, ad eam confutandam * accedit: *At eam tibi C. Verres fecit injuriâ; quæ ceterorum quoque animos poſſet alieno incommodo commovere. Minimè. Cognoſcite ex me &c.* Divinat.

Juramento ex injuriis, quas in Sicilia decumanis aratoribus fecerat Verres, ad damnum indè Reipublicæ ſecutum Romanæ hoc modo * tranſit: *Non, mehercle, criminis augendi cauſa dicam, Judices: ſed quem accepi ipſe oculis, animoque ſenſum; hunc verè apud vos; & ut potero, planiſſimè exponam.* Verr.3.

Oſtenſione * ſic utitur: *Sed arrogantiam hominis; inſolentiamque cognoſcite.* Philipp.2.

Sermocinatione * ſic: *Sed dicet aliquis: noli iſto modo agere cum Verre: noli ejus facta ad antiquæ religionis rationem exquirere. Concede; ut impunè emerit: modò, ut bona ratione emerit; nihil poteſtate; nihil ab invito; nihil per injuriâ. Sic agam.* Verr.4.

Philipp.2. Auxeſi gradum ſic ad ulteriora facit: * *Sed nimis multa de nugis: ad majora veniamus.*

Verr.2. Antitheſi verò * ſic: *Atque; ut aliquando de rebus ab iſto cognitis, judicatiſque; & de judiciis datis dicere deſiſtamus: & quoniam facta iſtius in his generibus infinita ſunt; nos modum, aliquem, & finem Orationi noſtræ, criminibuſque faciamus: pauca ex aliis generibus ſumemus.*

Partitione; cùm ea narraverit, quæ in fœderatis Provinciis fecerat Verres; ad ea, quæ Romæ, ſic * tranſit; *Quæ ego*
Verr.1. *non commemorarem: niſi vos illud vellem recordari; iſtius nequitiam, & iniquitatem tum in ore vulgi, atque in communibus proverbiis eſſe verſatam. In plebem verò Romanam; utrum ſuperbiam priùs memorem; an crudelitatem?*

Præſagitione ad teſtes refutandos, ſignis jam, conjecturiſque ſubverſis; graditur * ſic: *Prægeſtit animus jam videre primùm lautos juvenes mulieris beatæ, ac nobiliſſimæ familiares: deinde fortes viros ab Imperatrice in inſidiis, atque in præſidio balnearum locatos. Ex quibus requiram &c.* *pro M. Cæl.*

Verr.2. Præoccupationẽ ſimulat; * ut ex ea, quæ circa ſtatuas, ad accuſationem novi criminis viam ſternat: *An quorum auctoritate tu Statuas cohoneſtare tuas conatus es; eorum ego dignitate accuſationem meam comprobare non potero? niſi fortè, quòd apud publicanos gratioſus fuiſti in ea re; ſpes te aliqua cõſolatur. Quæ gratia ne quid tibi prodeſſe poſſet; ego mea diligentia perfeci: ut etiam obeſſe deberet; tu tua ſapientia curaſti. Etenim rem totam, Judices, breviter cognoſcite &c.*

Verr.4. Reflexione: * *Dixi, Judices; multa fuiſſe ferè apud Siculos, omnes. Ego idem confirmo; nunc ne unum quidem eſſe.*

Catil.2. Correctione: * *Sed cur tandiu de uno hoſte loquimur; & de eo hoſte; qui jam fateatur, ſe eſſe hoſtem: de iis, qui diſſimulant; qui Romæ remanent; qui nobiſcum ſunt; nihil dicimus?*

pro Mil. Anacephalæoſi: * *Quamobrem, Judices; ut aliquando ad Cauſam, crimenque veniamus: ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata; neque de Cauſa quicquam noſtra aliter, ac nos vellemus, à Senatu judicatum eſt, &c. reliquum eſt, Judices: ut nihil jam aliud quærere debeatis; niſi, uter utri inſidias fecerit.*

Exclamatione ad gratulandũ de Catilina ex Urbe ejecto,
Catil.2. ejúſque recenſenda flagitia ſic * viam facit: *O fortunatam*

Rem-

Rempublicam: ſiquidem hanc ſentinam hujus Urbis ejecerint! Uno, mehercle, Catilina exhauſto; relevata mihi, & recreata Reſpublica videtur. Quid enim mali, aut ſceleris fingi, aut excogitari poteſt; quod non ille conceperit? &c.

Apoſtrophe ad Actorem Fannium convertitur ſic novam argumentationem inſtituturus: *Pecuniam petis, Fanni, à Roſcio. Quam? Dic audacter, & apertè. &c.* *pro Comœdo.*

Deprecatione * hoc pacto: *Verùm quæſo à vobis, Judices: ut hæc pauca, quæ reſtant, ita audiatis; ut &c.* *pro Amer.*

Imperio ad proponendum Catilinæ egreſſum ex Urbe hoc * tranſit: *Quæ cùm ita ſit: Catilina, perge quò cœpiſti. Egredere aliquando ex Urbe &c.* *Catil. 1.*

Æquivocationem his urbaniſſimam addam pro coronide ex Divo Ambroſio * ſic tranſeunte: *Fugerat nos de natura avium diſputatio: & cum ipſis avibus evolaverat.* *Exam. l. 5.*

LIBER TERTIUS

DE GENERIBUS ORATIONUM.

NOn omnibus omnia : nec omnis fert omnia tellus . Ubi nanque pallet aurum , non exultat ridens hydrargyrum : &, quæ argentum luxui , non eadem aciei ferrum terræ viſcera ſubminiſtrant . Palmas cunctorum plauſibus elatiores ſolus germinat Cades . Solus univerſorum conclamatione mons Sion cupreſſos emittit prceriores . Non idem omnibus cœlum . Alios enim torridis:rigentibus alios vincit Zonis . Hos lacteo nutrit flumine: illis draconum fel , ſerpentúnque propinat venena . Nec demum eiſdem omnis phrygiata coloribus viſibilis natura perſpicitur : ſed quà flavet purioribus ſatiata luminibus : quà impenetrabilibus cōſtipata nigreſcit fumis : quà tenebris , radiiſque permiſtis,pro temperamenti diſcrimine coloratur . Idem tamen omnibus , ſuarúnque vertiginum immota lege jugiter invariabilis Sol ; metallorum , ac vegetantium cunctorum parens fœcundiſſimus ; colorum omnium artifex ; univerſorúnque fons luminum perennis ; pro objectæ cujuſque materiæ differentia , aſpectúſque diverſitate effectus varios impertitur . Simili ferè modo ſplendentiſſimus Eloquētiæ Sol; prout rerum, circunſtantiarúnque patitur conditios theſauros aperit locorum varios ; diſſimilibus ſtylum aſtris, floribúſque diſtinguit;ac multiformes germinat Species Orationum.

Quæ-

Quæcunque autem hæ ſint: vel abſolutam independenter ab alia quavis habent Orationis rationem, & integram, omnia requirentis Oratoris munerà primo explicata libro, ſingulíſque ferè conſtantis partibus in ſecundo recenſitis: vel non ita. Quæ prioris generis ſunt; Abſolutas voco: quę verò poſterioris; ſub negativo Non-abſolutarum nomine comprehendo.

PARS PRIMA.

DE ORATIONIBUS ABSOLUTIS.

AMpliſſima fruitur provincia moderatrix animorum Rhetorica: atque *de omni penè* cum * Ariſtotele 1.*Rh*.4. *dixerim propoſita quæſtione appoſitè ad perſuadendum dicere poteſt*. Ut tamen, quaſcunque poteſt Abſolutis exagitare Orationibus, ad ſumma quædam redigamus capita: Finem primùm Orationis cujuslibet obſervabimus: deinde Materiam; de qua dicit Orator: poſtremùm verò Modum ſuaſionis. Et ex fine quidem diviſuris ab Ariſtotelis * mente 1.*Rh*.11. (cui plaudit cum * Cicerone Quintilianus) * minimè rece- *Inv.l*.1. dendùm: ut tria ſint dicendi genera: Demonſtrativum ſci- *Quint.inſt*. licet, laudem, vituperationénque intendens: Deliberati- 3.*c*.4. vum facienda detegens, vel fugienda: & Judiciale, quenquā accuſans, vel defendens. Ex Materia principalis aſſumpti in Sacram dividitur; & Sæcularem. Ex Modo denique ſuadendi, vel Argumentativa dicitur; vel Doctrinalis. De ſingulis jam in præſenti.

CA

CAPUT I.

DE GENERE DEMONSTRATIVO.

HErculeis genus hoc animos vincit catenis, trahitque non voluntate modò, ſed & voluptate. Totum ad ſplendorem, ad magnificentiam natum; ſola dedecoris, laudiſve demonſtratione; vel ad bonum allicit; vel è malo deterret. Huic injuſtè detrahunt (magni ſecus nominis Rhetores) quicunque * ad pompam aptius; quàm ad pugnam dicunt: armiſve * Eloquentiæ comparant præſidia; quæ primùm in foro, & in concionibus rudia periculorum expedivit metus ad proprii capitis defenſionem; deinde variis ars expolire commenta eſt rationibus, ac ornamentis. Non enim luxus hos comparavit ornatus; eorum ſi legitimam inſpiciamus originem: eſtò, quæ pariter omnia vitiavit dicendi genera, hoc etiam abutatur falſæ laudis prurigo. Archimedeis propiùs accedit ſpeculis ſplendenti pugna vincētibus; adverſóſque conatus lumine reducentibus in favillā. Atqui; ut non ego laudes ejus texam; loquitur * Cicero: *Genus enim nullum eſt Orationis: quod, aut uberius ad dicendum; aut utilius Civitatibus eſſe poſſit: aut in quo magis Orator in cognitione virtutum, vitiorumque verſetur.*

Pal. Eloqu. exerc. 8. lect. 1.

Cauſ. de Eloqu. l. 10. c. 1.

Partit.

Fateor utique; Græcis inventoribus genus hoc Epidicticum fuiſſe dictum; *quòd quaſi ad inſpiciendum delectationis cauſa comparatum* ſit; ut loquitur * Tullius. Sed, *quaſi*, is inquit: ac ſi velit innuere; non in hoc Oratoris finem ſolam eſſe delectationem. Quod & apertiùs indicat Ariſtoteles delectationis libidinem ſolis tribuens auditoribus. Ait * enim: genus eſſe quoddam auditorum; qui ſolùm ad contemplandum, & ſpectandum conveniunt: aliud verò; qui ad judicandum; ſive de futuris in Concione; ſive de præteritis in Judicio. Finem tamen generis hujus non in alio ponit; quàm in honeſto, aut turpi; quod laudat, vel vituperat Orator.

Orator.

1. Rh. 11.

Eſt itaque Demonſtrativum genus & ipſum ad pugnam na-

natum : ſed qualem equitum admittunt ludicræ conflictiones, haſtatíque concurſus, ſua non carentes palma. Undè, commutatis vicibus, etiam in ludis, ac certaminibus citharœdi, & Poetæ de palma cum æmulis contendentes demonſtrare dicebantur. Eſt validioris illius, adultóque Marti aptioris Eloquentiæ, quæ tota forum inter, concionéſque verſatur, adoleſcentia. Quin potiùs eſt Alcidis infantia anguium cæde luſitantis in cunis. Huic nanque, non ſine fructu, primos indulgent ſpiritus, dicendíque luxus, quoſlibet juvenilis mens ſuggerit, Flexanimæ prætextati; huic vivaciores permittunt impetus: donec virilem togam, & pondus induentes, graviori aſſueſcant ſtylo; & auctoritati, quàm ingenio, conformiori.

Ut verò nos mediam Demonſtrativi generis oſtendamus viam; & quæ adoleſcentes pariter deceat, ac viros; ſit.

RUDIMENTUM I.
De Generis Demonſtrativi Materia.

1. Rh. 20.

QUatuor (ſi Ariſtoteli * credimus) offeruntur laudantibus: Deus ſcilicet; Homo; Animalia reliqua; & Inanima: quibus addere poſſumus & Angelos. Philonis tamen accedit monitum, putantis; ſolius Dei verā eſſe laudem; ſecundùm Deum verò laudari Divos, Heroas, Reges, aliáque deinceps ab eo boni ſpeciem participantia. *in hymn.*

Deum itaque, tùm ex iis laudare poſſumus, quæ ipſius cognoſcimus propria; tùm ex iis, quæ creaturæ nobis tanquam ſpeculum in ænigmate repræſentant. Undè conglobatis nominibus, & definitionibus ex Syneſio, * Seneca, * aliiſque vocari Deus poſſet: *Entium ſemen, & centrum: fons ſapientiæ: unitatum unitas prima: ex ſe ortum principium: inclytorum rotator ſiderum: radix mundi: diſpenſator, & parens rerum: dator gratiarum: cuſtos, & rector univerſi animus, & ſpiritus: naturæ pater, & Dominus: &c.* Cujus etiam laudi aditum faciunt ex locis ferè omnibus eruta à Philone, * Divo Gregorio Nazianzeno, * Bernardo, * & aliis. E quorum omnium contrariis falſi Dii poſſunt vituperari.

Nat. q. proœm. & l. 3. q. 45.

Quod Deus ſit immut.

Orat. 1.

Bern. Cōſid.

Angelorum natura, virtutes, & proprietates, quibus innō-

novem diſtinguuntur Choros, latam aperiunt laudibus januam. Cujus è limine Naturam ſi inſpicias: ſpiritus ſunt ab omni materiali concretione immunes: perſpicaciſſimi intelligentia: voluntate firmiſſimi: duratione æviterni. Gratiam ſi ſpectes: ſupernaturalis ſunt ſcientiæ ſoles: amoris inextinguibilis incendia. Miniſteria ſi conſideres: vigilantiſſimos nunc habes hominum cuſtodes: nunc agiliſſimos divinæ nuncios voluntatis: nunc regnorum providentiſſimos tutelares: nunc potentiſſimos adverſantium virium everſores.

Animalia quævis homini inferiora ſuæ capacia ſunt laudis; oppoſitæque vituperationis. Laudantur enim à pulchritudine; ab utilitate; à voce; ab agilitate; à proprietatibus reliquis conſpicuis: & ab oppoſito capite vituperantur. Indè laudem habes formicæ apud Divos Baſilium, & Hieronymum: apis apud non paucos; quos inter * Fabius Quintilianus: & aliorum pariter apud alios; quorum affert plura * Cauſinus. Imò tanta fuit quorundam amœnitas ingeniorum: ut quæ nullius ſunt reſpectus; encomio fuerint proſecuti: quod præſtat ſubtiliſſimè Lucianus in ſua muſca.

Declam.13.
Eloqu.l.11.

Inanima ſunt generis multiplicis: alia nanque naturalia ſunt; ut cœlum, elementa, lapides, metalla, &c. alia artefacta; ut urbes, ſtatuæ, picturæ, aliáque id generis: quæ omnia patent clariùs; quàm, ut explicentur. Petitur eorum laus à Topicis omnibus præſertim verò à rerum Circunſtantiis. Indè tempus notat * Plutarchus obſervans; Romę natalem fuiſſe nono Kalendas majas, anno tertio, Olympiade ſexta; quo die Sol eclypſim paſſus eſt. Lumen etiam ad plura dabunt rerum encomia mundi, principaliorúnque ejus partium, inſigniúnque artis effectuum deſcriptiones à Cauſino * relatæ gravibus ex authoribus: ex quibus Philoſtrati Nilus; Elyſii campi Luciani; Fons Plinii; & à Praxitele efformata Cupidinis ſtatua: de qua poſtrema non modò Calliſtratus; verùm & Pauſanias in Atticis; & Tullius Geminus; & Scholiaſtes in Anthologia; pluréſque alii. Verùm de his nobis hactenus ſatis.

in Romulo.
Eloqu.l.11.

Hominum nunc in explicanda laude nobis inſiſtendum: paulò nanque plura reſpicit. Et quidem ex Fabio * dividitur

inſt.3.c.9.

ſūt aptiſſimè per temporum differentias: *Quodque ante eos fuit; quodque ipſi vixerunt,* conſiderat: *in his autem, qui fato ſunt functi, etiam quod eſt inſecutum*. Obſtat huic partitioni præcipua mens Ariſtotelis * tempora varia tribus dicendi generibus diſtribuentis: præteritum nempè Judiciali: futurum Deliberativo: ſolúmque præſens Epidictico. Verùm hoc cùm docuiſſet Stagirita; oppidò ſibi occurrere viſus eſt: inquit enim: *Exornationis maximè quidem proprium eſt præſens tempus. Qui enim laudant, vel vituperant aliquem; ea, quæ tunc in eo ſunt, conſiderant: ſed tamen etiam præterita reminiſcentes commemorant; & de futuris conjecturam faciunt*. At ulteriùs; quare ſolam faciant conjecturam; & non plenam laudis probationem geſta facinora; non adhuc video. Quapropter à Quintiliani partitione non recedam, ne tranſverſum, ut ajunt, unguem. Ante hominem igitur Patriam obſervabimus; Genus; & quæcunque reliqua nativitatem præceſſere: de quibus ait citato loco Fabius: *Ante hominem patria, ac parentes, majoreſque erunt: quorum duplex tractatus eſt: aut enim reſpondiſſe nobilitati pulchrum erit: aut humilius genus illuſtraſſe factis. Illa quoque interim ex eo, quod antè fuit, tempore trahentur; quæ reſponſis, vel auguriis futuram claritatem promiſerunt*. Comitantia ſūt Animi bona, vel Corporis. Et animi quidem ſemper vera laus: quæ vel per Ætates excurrens; vel per Virtutum ſpecies; quidquid ornamenti præſeferat animus; quidquid celebre perfecerit, qui laudatur, recenſet. Corpori verò plura inſunt: ut Robur; Pulchritudo; Virtutéſque non paucæ: ne de peculiarium corporis partium deſcriptione verba faciam; cùm fuſiùs id agat * Cauſinus. Plura quoque accedunt extrinſecùs: ut favor; dignitas; divitiæ: quæ ſolæ cùm nihil faciant ad laudem; neque locum in noſtris hiſce Rudimentis habebunt. Sufficit enim cum Fabio * monere: quòd *omnia, quæ extra nos bona ſunt, quæque hominibus fortè obtigerunt; non ideo laudantur, quòd habuerit quis ea; ſed quòd his honeſtè ſit uſus: nam divitiæ, potentia, & gratia; cùm plurimùm dent virium in utranque partem; certiſſimum faciunt morum experimentum: aut enim meliores propter hæc ſumus; aut pejores*. Poſt hominem denique reputatur mors; & quæ mortem ſubſequuntur prodigia.

1.Rh.11.

Eloq.l.11.

Inſt.3.c.9.

Patria celebris eſſe poteſt virtutibus; viris illuſtribus; adminiſtratione; fertilitate; ſitu; facinoribus civium; conditoribus; moribus; victoriis; ędibus; cæteriſque, tùm locum, tùm habitatores, eorúnque atavos illuſtrantibus. Quantum autem ad laudem conferat Patria, ex eo valet deduci: quòd auſus dicere ſit Simonides; eum, qui beatus eſſe vellet, glorioſam habere Patriam, oportere. Hinc Vulpianus volebat; ut mancipia vendens nationem cujuſque nominaret: quòd præſumeretur; quoſdam malos videri; quoniam ex infami erant natione oriundi. Quanvis & hęc laus, oppoſitáque vituperatio, facilè retorqueri valeat: ut cùm Anacharſes (quem, licèt Barbarum genere, maximè venerabantur Gręci) Scytha, parùm honorificè à quodam appellatus reſpondit: *Mihi quidem Patria probro eſt; tu Patriæ*. Et Themiſtocles, apud Ciceronem, Seriphium quendam ſibi exprobrantem; quòd non ſui merito, ſed Athenarum, eſſet honori; his repreſſit: *Neque tu, ſi Athenienſis eſſes, clarus extitiſſes: neque ego, ſi Seriphius, eſſem ignobilis.*

Genus tùm antenatorum, parentúnque Virtute; tùm Nobilitate commendatur. Et ex Genere non parùm laudatur homo. Clariſſimum de hoc reddit Ariſtoteles * teſtimonium; *Sicut ex hominibus hominem; ex beſtiis beſtiam; ſic ex bonis bonum generari*, docens. Cui proinde * alibi: *Nobilitas apud ſingulos eſt domi pretioſa: preterea par eſt; meliores eſſe, qui ſunt è melioribus oriundi; nobilitas quippe virtus eſt*. Conſonat his Divus Gregorius * veræ nobilitatis explicans characteres: cujus hæc ſunt: *Nobiles, & generoſæ animæ; ſi ratione gubernentur, & coerceantur; magnum ad virtutem pondus afferunt*. Hinc diligens omnium cura in majorum imaginibus ad nobilitatis antiquitatem oſtentandam aſſervatio. Hinc & Julius Cæſar ſuam originem à Venere: Antonius ab Hercule: Magnúſque Alexander à Jove repetunt: qui omnes; (ut loquitur * Seneca) *cùm majores ſuos recenſent; ubicunque defecit nomen illuſtre, illicò Deum fingunt*. Ni Arcadum memorem inſaniam; qui * ante Lunam ortos ſe jactabant: aut Æthyopum; qui ſe, vel ſine origine, vel à terra (ut malunt alii) procreatos dictitabant: undè & in hujus antiquitatis ſignum Cicadas, terræ ſiquidē hic-

1. Polit. c. 4.
3. Polit. c. 13.
Or. 36.
3. Benef. c. 28.
Statius 4. Thebaid.

hieroglyphicum, in vertice circumferebant. Ingeminatur verò laus; ſi ab utriuſque Parentis virtute, aut genealogiæ commendatio repetatur. Contra hæc tamen facit: quòd querebatur Demoſthenes fati cujuſdam: quo fieret; ut vitia in poſteros tranſmearent; virtutes in parentibus obruerentur. Ælius quoque Spartiata; quòd nemo propè magnorum virorum optimum, & utilem filium reliquiſſet: ſed vel ſine liberis obiiſſet: vel talem dediſſet Reipublicæ; ut meliùs fuiſſet ſine poſteris è rebus humanis diſceſſiſſe. Quibus & Phalaridis accedit teſtimonium: qui ab Axiocho rogatus; quæ ſibi de nobilitate opinio? *Solam virtutem*, inquit, *nobilitatem puto: cætera fortunam*. Nobilitas ſiquidem ſine virtute inane nomen; ambitioſa vitiorum parens,& nutrix; atque, ut Diogenes loquitur, malitiæ velamentum. *Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neque bona eorum; neque mala in occulto eſſe patitur*: rectè inquit * Marius. *de Bello Jugurt.*

Præſagia, quæ nativitatem anteeunt, ad laudem faciunt: ut divina quædam oracula; ſeu portenta; ſive ſomnia. Sic canem os face inflammantem geſtare ſibi viſa eſt mater,Divum Dominicum alvo continens. Theodori quoque ortum prædixit ſtella in maternum lapſa ſinum. Cyri verò gloriam palmes innuit: quam vidit in ſomnis ejus mater ex ſe exeuntem; totánque tegentem Aſiam.

Natalis, & quæ naſcenti acciderunt puero complectitur; & quæ circa id tempus, ſive eodem anno, ſive altero recurrente, evenere. Et quidem celebre fuit apud Virgilium; quòd Saloninus ridens natus fuerit. Et ex hujuſmodi capite mos ortum habuit gentium efferendi variis inſignibus recens natos principes. Scythæ nanque clypeo ad belli prçludium: Athenienſes ſacerdotalibus infulis ad pacis omen: Turcę militari vexillo ad jactantiam: Gręci purpurea chlamyde ad faſtum: Parthi caſſide ad ferociam excipiebant. Dies etiam obſervabant antiqui: quorum alios nigro; candido notandos alios dicebant ſigno. Et horas, ac momenta ſuperſtitioſè quandoque inveſtigant Aſtronomi. Verùm, non hoc impiè utentes loco; & diem, horánque; & menſem pariter, annum, , ſęculunque nos etiam notabimus, ea memorantes; ob quæ tempus id celebre reputetur. Plutarchus, * ſexta die Socratem, ſeptima menſis ejuſdem Plato- *Sympoſ. qu.* 25.

 nem

nem natum ait; fortuna efficiente: *ut borum Philoſophorum natales dies, non modò contigui eſſent: ſed prior etiam; qui gloria, & ætate anteiviſſet, doctorque alterius fuiſſet, naſceretur*. Idénque obſervat; Carneadem nobiliſſimum Academicæ Philoſophiæ principem eodem cum Platone, Apollinis feſto diem vidiſſe primum: Numam verò eo, quo Roma fuerat condita. Inſigne pariter; quod veterum monumenta teſtantur: quo ſcilicet die Plato natus eſt; aureum imbrem de cœlo cecidiſſe. Quæ de more proſequitur ingenioſè Plinius, * diem, quo ſuus Conſulatum accepit Trajanus, ſic exornans: *Nam quòd eum potiſſimùm menſem attribuiſti; quem tuus natalis exornat; quàm pulchrum nobis? quibus edicto; quibus ſpectaculo celebrare continget diem illū triplici gaudio lætum: qui principem abſtulit peſſimum, Domitianum; dedit optimum, Nervam; meliorem optimo genuit, Trajanum.*

Paneg. Traj.

Ætates inſpicienti percurrenda, quæ pro earum ſingulis dicta ſunt in primo præſentium Rudimentorum libro, cùm de Affectibus: & laudi tribuendum; quòd vitiis, quibus ea ſubjacet ætas, non fuerit quis obnoxius; ſed virtutibus eidem propriis jugiter ſeſe ornarit. Pręterea, ſi majores ætates præmatura virtute præoccupaverit, ſenem inter viros, virum ſe in adoleſcentia prębens; ac celeriorem virtutis habens, quàm vitæ curſum; & cui, ut de Romano Imperatore protulit Vates,

Ingenium cœleſte ſuis velocius annis
Surgerit.

Undè Joſephus decoro nomine *Filius ſenectutis* fuit appellatus; quaſi ſenilis prudentiæ adoleſcens. Et celebratur Alexander: quòd Legatos à Perſarum Rege ad Philippum miſſos (Patre à Regia tunc Domo abſente) duodennis adhuc graviſſimos viros, & auguſtæ dignitatis patriis in ædibus humaniſſimo exceptos convivio; non de Babiloniæ pēſilibus hortis, Perſarum braccis, aut levioribus, ut à pueris fit, rebus; ſed de amplitudine Imperii, de copiis, de vectigalibus, de militari diſciplina, gravioribúſque id generis pluribus interrogarit. Ut verò ad ſingulas veniamus ætates.

Infantia, quæ memorentur, & ipſa continet. Tale eſt, quod

Tullius * refert: *Crœſi filium, cùm eſſet infans, locutum: quo* *Divin.1.*
oſtento regnum patris, & domum funditùs concidiſſe. Aureliano verò Auguſto fortunatum portendiſſe Imperium, teſtantur annales; quòd vagientem adhuc in cunis innoxiè extulerit aquila; ínque aram portaverit. Memorabile pariter; quòd Zoroaſtes, quo natus eſt die, ſolutus in riſum fuerit: vel quòd Platonis in ore examen congeſſerint apes. Felicius verò omen; quòd Edmundus Cantuarienſis aureo ſubarrhaverit annulo Deiparam, adhuc puer: quòd Robertus econtrà ab eadem Virgine fuerit ſubarrhatus: quòd Beatus noſter Andreas Avellinus; ubi primùm ſolutū ſe vidit à faſciis; tenella ſibi manu crucis ſignum impreſſerit: quódve puer Hermannus cum puero Jeſu ludere conſueverit. Copioſiorem ad hujus laudem ætatis materiam ſubminiſtrabunt Plato de legibus huic educandæ neceſſariis: Xenophon in pueritia Cyri: Philo in primo opuſculo de filiorum educatione: Plutarchus in vitis Catonis, Alcybiadis, Lycurgi, & aliorum: Ariſtoteles in Ethicis: D. Auguſtinus in Epiſtola ad Licentium: D. Ambroſius in Joſepho, Agnete, & Valentiniano: aliíque.

Educatio inter Infantiam, & Adoleſcentiam mediare contendit: maximum utique laudis præſidium: eóque magis neceſſarium; quòd faciles ad deteriora ſumus; pronúnque tenemus iter; imò & præceps, ad vitia: quæ & difficillimè reciduntur, ſi nobiſcum creverunt. Ut enim inquit * Seneca: *Citò nequitia ſubrepit: virtus difficilis inventu eſt.* *Quæſt.nat.l.* *Hæc rectorem, ducenque deſiderat: etiam ſine magiſtro vitia* *3.c.30.* *diſcuntur*. Educandus autem puer non ſcientiis modò; ſed & pietate. Undè Imperator Theodoſius; cùm Arcadium ſuum ſapienti viro Arſenio committeret inſtruendum; reſtatus eſt: *Tunc prolem ſuam dignam Imperio fore; ſi cum ſcientia, æquè fuiſſet pietate conſpicua*. Atque ulteriùs progreſſus juventæ morigerator præcipuus, Plato, ſuadet enixè: (audiant Catholici parentes; & erubeſcant) ne fabulas turpes; atque inanes pueris nutrices enarrent: ne quidquā obſcœni, vel in verbis audiant; vel in factis videant; vel in picturis intueantur; undè turpitudine flagitioſa poſſit juvenilis animus inquinari. Cui oppoſitum ſui temporis morem flet * Quintilianus: corruptæ utique noſtræ ætatis pri- *de Cauſ.corruptæ Eloqu.*
mor- *c.29.*

In vit. ſua init. cap. 24. mordium. Hinc eſt: quòd gloriatur * Antonius Philoſophus; ſo pietatis, ac liberalitatis magiſtram habuiſſe matrem. Hinc etiam Imperator Auguſtus, teſte * Suetonio, nepotes ſuos Cajum, & Lucium legendi rudimenta per ſe docebat. Et Cato major (ab egregio morum præceptore Plutarcho meritò commendatus) ſuorum non modò Magiſter filiorum eſſe volebat; ſed & intereſſe, quoties nutrix illos faſciis vinciret, aut alio quovis modo tractaret. Ac demum Germanæ matres, apud Tacitum, infantes ſuos propriis alebant uberibus; nec id committebant ancillis: quòd lac, ſpiritúſque maternus; utpotè magis temperamẽto ingenito conſentanea; magis augerent ingenii, & corporis incrementa.

Adoleſcentia laudabilis fructus ut plurimùm eſt bonæ educationis: ſed præcipuè tamen converſationis cum melioribus. *Offic. 1.* Virtutes ejus plures enumerat * D. Ambroſius. Laudari proinde poteſt ex obſequio parẽtibus prȩſtito; ex honore ſenioribus; ex reverẽtia præceptoribus: inſuper ex humilitate; caſtitate; miſericordia; prudẽtia; aliiſque, tùm propriis juventutis; tùm ei licèt oppoſitis, labore tamẽ, & indole acquiſitis. Sunt & quædã prȩterea ſingulari digna memoria: ut cùm Carolus Quintus, offerẽte patre cũ gladio coronam ad optionem, illum prȩelegit, inquiens: *Et hic illam dabit.*

Virilitas & ipſa non modicas habet laudes: eſt enim hominis ætas conſummati, ac perfecti. Ad eam proinde faciunt virtutes omnes, tùm animæ, tùm corporis: mores quoque ſtatuum diverſorum, cùm de affectibus, adducti: præpter quæ libeat pro utriuſque ſexus principibus pauca excipere. Regem itaque, aliúmve principem, laudabimus primùm ex dignitate, & munere: ex quibus Regem *Solem* appellat * Dio; *Beneficum Sidus* * Seneca; *Medico ſimilem* Chryſoſtomus. Deinde ex virtutibus regiis: Lenitate; Prudentia; Æquitate; Severitate: quas Nazianzenus * recenſet. Inſuper, cum * Iſocrate, & * Plutarcho, ex Modeſtia; Fortitudine; Militari experientia. Prȩterea, cum * Dione, ex Dei amore; Religione; Conſtantia; Eruditione. Demum ex Clementia: quæ nota quædam eſt divinitatis; & arx regnorum; ac munimentum inſuperabile: ut enim cecinit Claudianus:

3. de Regno. de Clem. l. 1. Orat. 1. in Evagora. in Marciano. 4. de Regno.

Non

Non ſic excubiæ, & circunſtantia telaſ
Quàm tutatur amor.

Inter Reginas verò, aut principes alias, conſpicuæ ſunt: Pulcheria; quòd fratrem ſapienter ad bonos informarit mores; Imperiúnque feliciter adminiſtrarit: Zenobia; quòd Virago duxerit exercitus: Clotildes; quòd ſuo Chriſtianam religionem induxerit regno: Blanca; quòd proiem ad omne virtutis ſtudium inſtituerit. Quæ omnes ideæ eſſe poterunt. Eſt etiam, quòd in fœminis laudetur obſervantia viro, & amor debitus: animi moderatio, & conſtantia: Pietatis officium; Liberalitas; Modeſtia; Pudor.

Senes conſpicui utplurimùm ſunt Prudentia in conſiliis; Sobrietate, rerum experientia; Eruditione. Pollere quoque naturę emendatione poſſunt; ſi agiles; ſi impavidi; ſi magnanimes; ſi comites; ſi liberales. Satis nunquam laudabilis Eleazari conſtantiam proponunt ſacri Machabęorum * libri: qui cùm aperto hians ore compelleretur porcinam manducare carnem; glorioſiſſimam magis complectens mortem, quàm legis transgreſſionem; ad ſupplicium libens pręibat: cúnque ab aſtantibus iniqua miſeratione commotis rogaretur; ut ſimularet, ſe manducare, eóque facto à morte liberaretur: cogitare incipiens ſenectutis ſuæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem; pręmitti ſe in infernum velle, reſpondit. *Non enim ętati noſtrę dignum eſt, inquit, fingere: ut multi adoleſcentium arbitrantes, Eleazarum nonaginta annorum tranſiſſe ad vitam alienigenarum; & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitę tempus decipiantur: & per hoc maculam, atque execrationem meę ſenectuti conquiram.* O quot in uno facinore ſunt virtutes!

* 2. *Machab.* c. 6.

Virtutum ſpecies duplici reperiuntur ſub genere animũ ornante. Vel enim Morales ſunt: vel Phyſicæ. A Moralibus rem omnem, inquit Seneca, quod habuit decus, ſumpſiſſe: & qui virtutem habet; omnia habere reliqua: omnénque indè felicitatem, non ex fortunæ mendaciis, cenſeri docet. Antiſthenes quoque virtutem vocat armaturam; quæ detrahi minimè poſſit. Atque ne in longum abeam; ſingulas generis hujus ſpecies fuſiùs in ſuo Reginæ Eloquentiæ Palatio * Patres explicant Moguntini. De vitiis verò oppo-

* *Exerc.* 8. *lect.* 4.

Digitized by Google

l.1.Epiſt.2. oppoſitis agunt D. Cyprianus * ambitioſum, & avarum apte deſcribens: *Marcell. l. 28.* Ammianus * ſui temporis recenſens Romani populi, Senatúſque mores flagitioſos: & alii ſparſim *de Eloqu. l. 11.* à Cauſino * relati. Phyſicas verò Scientias voco, & *ſtudia*: in quæ reclamant Stoici; quos aptiùs ſtolidos nominarem: eorunque ſignifer Cato ſenior Socratem, ut loquacem, mordet, veritus; ne Eloquentiç, Sapientiæque ſtudium noceret Reipublicæ. Sed malum ejus omen redarguit Plutarchus: redarguit quoque experientia; tunc temporis Urbem Romam ad ſummum evectam gloriæ faſtigium, oſtendens; cùm liberalibus fuit exculta diſciplinis. Eſt enim eruditionis, & ſapientię ſtudium otii exulium; ignorantiæ profligator; corrector vitiorum; honeſta voluptas; dulce vitę condimentum; Numinis illuſtre donum. Eſt * humanorum bo- *D. Gregor. Naz. Or. 2.* norum primum, ac pręcipuum: ac ſedes æternæ, & incomprehenſibilis ſapientię de ſeipſa * teſtantis: *Prov. 8. v. 2.* *Ego Sapientia habito in conſilio; & eruditis interſum cogitationibus*. Egregiè proinde Caſſiodorus * ait: *l.3. Ep. 33.* *Glorioſa eſt ſcientia literarũ: quia, quod primum eſt in homine, mores purgat; quod ſecundum, verborum gratiam ſubminiſtrat: ita utroque beneficio mirabiliter ornat; & tacitos; & loquentes*. Species autem Phyſicarum virtutum, de quibus nunc, ex pluribus ſingilla- *Eloqu. l. 10. c. 7.* tim explicat auctoribus * Cauſinus: quod brevibus hiſce noſtris non permittitur Rudimentis.

Corporis virtutes ſunt, quęcunque exercitatione corporis addiſcuntur: ut ſaltandi, cantandi, equitandi, hujuſque generis plurimæ. Ab Equitatione Gratianum laudat Auſonius: à Venatione Philopemenem Plutarchus commendat; & Commodum Imperatorem Herodianus: à Campeſtri exercitatione Marium, & Pompejum, magnos ſui temporis duces, Plutarchus idem: & ab omnibus ferè, quæ decent principem, ſuum extollit Plinius Trajanum. Et hujuſmodi quidem, licèt leviores; non minimę tamen adoleſcentium conferunt laudi; utpotè futurę virtutis, ac ſtrenuitatis initia: nec parùm viros ornant; utpotè bellica pacis exercitia; honeſtáque majorum curarum argumenta.

Robur, ſeu Corporis firmitas, ſecundum inter ejus bona locum obtinet apud * Ciceronem. *1. Tuſcul.* Quare ſe Deos ſimulare conſueverunt antiqui, diviniſque ſeſe ornare inſignibus;

bus; ut divinum aliquod jactarent robur: ut cùm Herculem mentitus eſt Antonius; Jovem Diocletianus. Indè quoque celeberrimi Æneas, & Turnus; Ajax, & Achilles; ſive in ferendis armis, ſive in vibrandis haſtis; ſive in jaciendis ſaxis, & cuſpidibus, prędicantur. Hac ducti fortitudinis laude complures nationes, quarum erat eligere ſibi principem, non alium ſalutabant; niſi qui corporis proceritate, majeſtate vultus, totaque externa ſpecie cæteros ſuperaret. Undè & *Hebręis primum daturus Regem; quò eorum genio magis indulgeret Deus; Saulem ungi juſſit ab humero, & ſursùm reliquis omnibus pręcellentem. Neque id à legibus benè Reipublicæ adminiſtrandæ alienum: ut quibus ratio non pręd ominat; naturale ſaltèm dictamen, brutis etiam animantibus inditum, pręcipiat obſervantiã: quandoquidem & urſo cervus; & leoni taurus; & accipiter aquilæ; & accipitri cedit columba. Quod cauſæ fuit, ut præſcriberet in ſua Republica * Plato; ad clavi regimen ne digniores tantùm; ſed & ſpecie, corporiſque ſtatura præſtantiores eligerentur. Cui pręcepto conformis Medorum fuit mos: apud quos nemo ſumebat Imperium; qui non viribus, pręvalidóque corpore cæteris anteiret. Sed tamen virtutibus non moderata corporis fortitudo, argumentum eſt iræ præcipitis; elatæ ſuperbiæ fomes; ac vitiorum omnium ſeges. Quid enim non auſi ſunt Gigantes in cœlum ipſum? quod non Babilonicæ turris auctores proprii firmitas corporis in ſcelus impulit? Certè cùm prædonem illum ſęviſſimum, Cacum, deſcripſerint Virgilius, * & Ovidius; dira facie virum; grandi corpore; robuſtis viribus: Vulcani eundem hunc filium cæteri finxere Poetæ; quaſi totum ira, omniúnque facinorum infernis incendiis æſtuantem.

1.Reg. · *l.7.de Rep.* · *Æneid.8.*

Pulchritudo (ut Dio loquitur) nonnunquam eſt egregiæ mentis ſimulachrum, mutáque commendatio. Quare à Maximo Tyrio pulcher animus pulchro inditus corpori amœniſſimo aſſimilatur fluvio per exquiſitas pratorum delicias fluenti: &, ut Sophiſta Syrius * ait, futuræ flos eſt virtutis. Quemadmodum econtrà deformitas in vitiorum argumentum aſſumitur: qualis Juliani fuit vultus, tanquam naturę contumelia genitus, malitiam ſpirans.; Gregorius ut inquit Nazianzenus. Eſt autem Pulchritudo *Membro-*

Diſertat. 9.

rum apta proportio cum ſuavitate quadam coloris. Indè celebratur Alexander: quòd fuerit forma ſupra hominem auguſtiore; celſa cervice; hilaribus oculis, & nitentibus; ac reliquis corporis lineamentis nō ſine majeſtate decorus.
Off.1. Partitur autem * Cicero Pulchritudinem in Venuſtatem; & Dignitatem: quarum altera mulierum: virorum altera magis propria. Utraque tamen Demetrius, ex Plutarcho, pollebat adeò; ut nullus exprimere valuerit artifex, quantúmvis egregius: quòd terrorem ſimul haberet, & hilaritatem penè inimitabilem. Virilem Pulchritudinem deſcribit Si-
Epiſt.11.l.1 donius * in ſuo Theodorico; & Ælianus * in ſuo Theagene.
l.3. Æthiop. Muliebrem verò Ariſtænetus * explicat; Æliodorus citatus;
Epiſt.1. Divúſque Gregorius * Nazianzenus. Sed tamen ſignum
Orat.11. duntaxat laudis Pulchritudo eſt; nempè virtutis: eanque non omnis; neque ſemper deſignat: ut ſæpè fateri cum Sa-
Prov.31.v. lomone * neceſſe ſit: *Fallax gratia; & vana eſt pulchritudo.*
30. Ni memorem: quòd eam ſuperbiæ fomitem * Ovidius; La-
Faſtor.1. ſciviæ Martialis facit; appellátque Socrates Temporis exigui tyrannidem; Deceptionem tacitam Theophraſtus. Cæterùm, qui cecinit:

Gratior eſt pulchro veniens de corpore Virtus:

Epiſt.66. in deformium ſolamen, erroris arguitur * à Seneca. *Nullo enim* Virtus *honeſtamento eget: ipſa & magnum ſui decus eſt; & corpus ſuum conſecrat.*

Poſt vitam Mors laudibus ſeſe offert: ſive quòd præclara fuerit: ſive quòd portento quopiam inſignis: ſive quòd laudabilia ſint eam ſecuta. Celebre fuit Curtii Romani geſtū: quo ut exitium patriæ minantis voraginis ſatiaret famem; in hanc præcipitem rapido ſe dedit curſu. Non ſine ſtupore ſacri referunt annales; Areopagitam Dionyſium amputatum caput manibus ad duo millia paſſuum geſtantem. Narrant & ſæculares hiſtoriæ de Callimaco: quòd adhuc ſtaret occiſus. Afferunt etiam laudem latoribus leges; ur-
Inſt.3.c.9. bes conditoribus; artes inventoribus; & liberi parentibus: ut enim Fabius * inquit: *Quidam, ſicut Menander, juſtiora poſterorum; quàm ſuæ ætatis judicia ſunt conſecuti.*

In omnibus tamen his, aliiſque laudis capitibus adhibēdis opus in primis eſt Prudentia. Primùm enim danda opera eſt: ut quidquid commendandum aſſumitur; hone-

ſtæ

ſtæ laudis prębeat argumentum. Quis enim ferat inſani vulgi fatuitatem quenquam extollentis; quòd vindex; quòd doloſus; quòd diſſolutus ſit: ſpecioſa quanvis adhibita hilaritatis, ingenii, generoſitatis appellatione? Deinde tractanda laus ſic eſt: ut non ementitis hyperbolibus; ſed rationibus ſolidis, rarîſque amplificationibus innitatur Oratio: & quenque ſuis ornet coloribus. Quicunque enim (ut tyronum, leviúnque mos eſt) argumento gloriam conciliare geſtientes, ſupra naturam, fidénque res extollunt; eruditorum deterrent aures: atque, teſte * Cauſino, *Dum blanda quadam, ac propè inſana mentiendi dulcedine titillantur in multis; hoc aſſequuntur; ut vera etiam narrantibus minimè credatur.* Accedit: quòd, mendaciis ſine fide effuſis, veritatis inducunt oblivionem. Quod Apelli objecit Lyſippus: ut qui, veris Alexandri virtutibus nihil ipſe affingens, cum ea depinxerat haſta; cujus vis, & gloria nūquam eſſet interitura: cùm tamen Apelles fulmen in manu fortiſſimi Regis appingens, de ejus detraxerat gloria. *Nam*, inquit, *dum fictis ornat inſignibus; ſpoliat veris. Fulmen poſteritas non credet: haſtam ignorabit.* In id etiam incidunt: ut dum egregiè commendare putant, non leviter offendant: & Urſorum, Simiarúnque inſtar, blandiantur. Quod exprimere voluit Seneca in Imperatoris Claudii funere Poetas ludicrè inducens, prompti ſub ingenii ſpecie occultato probro, canentes:

*Eloq.l.*10.*c.*5.

Deflete virum;	*Una tantùm*
Quo non alius	*Parte audita;*
Citiùs potuit	*Sæpè & neutra.*
Dicere Cauſas,	

RUDIMENTUM II.

De Stylo, & Partibus Orationis Demonſtrativæ.

Stylus huic aptus generi cunctas admittit elegantias, venuſtates, blandientéſque delicias. Vndè Plato Panegyriſtis tribuit pulcherrimè factam, & inſtructam verborum elegantia, ac nominum Orationem. Tullius * de ea ſic loquitur: *Eſt quoddam etiam inſigne, & florens, pictum, & expolitum Orationis genus: in quo omnes verborum;*

Orator.

rum; omnes ſententiarum illigantur lepores. In hujuſmodi proinde Orationibus liberiore gaudet numerus licentia: veniam obtinent ſententiarum concinnitates: arguti conceduntur, & circunſcripti verborum ambitus. Datur quoque à Tullio * locus *Singulorum verborum inſignibus: quæ habent plurimum ſuavitatis: ideſt ut factis verbis*; (quæ nos ficta vocavimus) *aut vetuſtis; aut translatis frequenter utamur*. Ac demum apertius, quàm in reliquis, permittitur artificium. Figuris etiam ſæpè exigit variari. Undè Quintilianus * nullum fuiſſe cenſet figurarum, aut eloquentiæ decus, & ornamentum; quo non Sophiſtarum Orationes inſigni quadam pompa venuſtarentur. Sunt tamen præcipuę Iſocolon; Antitheſis; Similiter cadens; aut deſinens; & Partitio. Et hæc quidem ita: ut de mediæ notæ ſubjectis agens Oratio ad venuſtum accedat magis ſtylum, vel argutum: ſi tamen conſuetis ſupervolet materia terminis; declinet potiùs ad magnificum; aut copioſum. Cæterùm exẽpla non mediocris affert ſtyli ex Cicerone, & Demoſthene invicem collata, per ſingulas Demonſtrativæ partes Orationis excurrens * Cauſinus.

Partit.

inſt.8.c.3.

Eloq.l. 1. c. 63.

PARTES quod reſpicit. Exordium ampliorem permittit excurſionem. Ut enim Fabius * loquitur: non modò ex re aliqua petitur vicina; quod Gorgias fecit, Olympicũ ab eorum laude incipiens, qui tales inſtituerunt conventus: verùm & ſæpenumerò longè à materia; quod in Helenæ laude præſtitit Iſocrates. Indè cùm Ariſtoteles * Procœmiũ Prologo poetarum, & tibicinum proaulio comparet; huic ſimilius eſſe putat Demonſtrativum Exordium. *Nam tibicines, quidquid ſibi videntur benè canere poſſe; id præcinentes, cum ſequenti cantu copulant. Sic etiam in Demonſtrativo genere ſcribendæ ſunt Orationes: quidquid enim voluerit Orator, initio dicere poteſt; deinde progredi, & cum Oratione id conjungere*. In quo, licèt à propoſita materia aberrante, id commoditatis agnoſcit: ut non tota ſit unius generis Oratio. Duci itaque poſſunt (ſi Stagiritæ credimus) generis hujus Exordia à propoſitione qualibet amplificata: quæ laudem cujuſpiam, vel vituperationem contineat: aut moralem aliquam proponat regulam, inſtar conſultationis, vel ſuaſionis: aut quæ Oratorem ipſum, vel auditores, aliáſve

inſt.3.c. 10.

3.Rh.16.

reſpi-

Digitized by Google

reſpiciat perſonas ad normam Exordii in genere Judiciali.

Narratio primò non eſſe continua debet: ſed per partes; quas argutæ reflexiones, ſimilitudines, eruditiones, ampliores figuræ, aliquando quoque argumenta ſejungant. Secundò: ne omninò ſit nuda: imò & venuſtior ſit; quàm in quovis alio genere. Tertiò: quæ præclara ſunt, & omnibus nota, amplificentur potiùs; quàm narrentur. Quartò: non ſemper temporum ſervet ordinem; ne lenta evadat. Ordines enim narrandi in hoc genere plures ſic recenſet * Tullius: *Nam aut temporum ſervantur gradus: aut generum diſtributiones: aut à minoribus ad majora aſcendimus: aut à majoribus ad minora delabimur: aut hæc inæquali varietate diſtinguimus; cùm parva magnis; ſimplicia conjunctis; obſcura dilucidis; læta triſtibus; incredibilia probabilibus intexímus: quæ in exornationem cadunt omnia.* Duplex itaque generalis hic ordo: alter temporum: artis alter, & arbitrarius. Prior veteribus familiaris; & ab Eumenio in Conſtantino; à Pacato in Theodoſio; ab Iſocrate in Evagora Cypri Rege exornando; atque à Tullio in Antonii vituperatione; imò & à Plinio quò ad generalia capita in ſuo Trajano adhibitus; nunc multum redolet ſcholæ: & ut liberum habeat inter Oratores greſſum; omnibus ſententiis, & gratiis eſt adjuvandus. Poſterior verò (qui plus habet ingenii, & prudentis œconomiæ) plures habet ſpecies. Aliquando enim varias conſtituimus virtutum, aliarúmve rerum claſſes, ceu totius Orationis Status: per quos Narrationes ſingulæ diſtribuantur. Quod fecit Tullius: * ubi quatuor propoſitis, quæ in ſummo oporteat eſſe Imperatore; ſcientia nempè militari, virtute, auctoritate, & felicitate; hæc omnia probat ineſſe ſuo Pompejo. Aliquando verò univerſale ſecuti dictum, ut creſcat Oratio, minora quæque decerpimus: à quibus aſcendimus ad majora. Quod citatus habet Tullius, partem, quæ de Pompeji militari ſcientia eſt, pluribus confirmans. Nec nunquam ex majoribus, egregiiſque geſtis paulatim delabimur ad minora, tanquam non omittenda. Quod apud Ciceronem * invenitur priùs Pompeji victorias; deinde ingenium; ac ſucceſſivè pudorem, & auctoritatem extollentem. Sed opus tamen eſt modo: ne decurſu frigeſcat Oratio. Undè

Partit.

pro lege Manil.

pro Balbo.

re-

rum; omnes ſententiarum illigantur lepores. In hujuſmodi proinde Orationibus liberiore gaudet numerus licentia: veniam obtinent ſententiarum concinnitates: arguti conceduntur, & circunſcripti verborum ambitus. Datur quoque à Tullio * locus *Singulorum verborum inſignibus: quæ habent plurimum ſuavitatis: ideſt ut factis verbis*; (quæ nos ficta vocavimus) *aut vetuſtis; aut translatis frequenter utamur*. Ac demum apertius, quàm in reliquis, permittitur artificium. Figuris etiam ſæpè exigit variari. Undè Quintilianus * nullum fuiſſe cenſet figurarum, aut eloquentiæ decus, & ornamentum; quo non Sophiſtarum Orationes inſigni quadam pompa venuſtarentur. Sunt tamen præcipuę Iſocolon; Antitheſis; Similiter cadens; aut deſinens, & Partitio. Et hæc quidem ita: ut de mediæ notæ ſubjectis agens Oratio ad venuſtum accedat magis ſtylum, vel argutum: ſi tamen conſuetis ſupervolet materia terminis, declinet potiùs ad magnificum; aut copioſum. Cæterùm exēpla non mediocris affert ſtyli ex Cicerone, & Demoſthene invicem collata, per ſingulas Demonſtrativæ partes Orationis excurrens * Cauſinus.

Partit. — *inſt. 8. c. 3.* — *Eloq. l. 1. c. 63.*

PARTES quod reſpicit. Exordium ampliorem permittit excurſionem. Ut enim Fabius * loquitur: non modò ex re aliqua petitur vicina; quod Gorgias fecit, Olympicū ab eorum laude incipiens, qui tales inſtituerunt conventus: verùm & ſæpenumerò longè à materia; quod in Helenæ laude præſtitit Iſocrates. Indè cùm Ariſtoteles * Proœmiū Prologo poetarum, & tibicinum proaulio comparet; huic ſimilius eſſe putat Demonſtrativum Exordium. *Nam tibicines, quidquid ſibi videntur benè canere poſſe; id præcinentes, cum ſequenti cantu copulant. Sic etiam in Demonſtrativo genere ſcribendæ ſunt Orationes: quidquid enim voluerit Orator, initio dicere poteſt; deinde progredi, & cum Oratione id conjungere*. In quo, licèt à propoſita materia aberrante, id commoditatis agnoſcit: ut non tota ſit unius generis Oratio. Duci itaque poſſunt (ſi Stagiritæ credimus) generis hujus Exordia à propoſitione qualibet amplificata: quæ laudem cujuſpiam, vel vituperationem contineat: aut moralem aliquam proponat regulam, inſtar conſultationis, vel ſuaſionis: aut quæ Oratorem ipſum, vel auditores, aliáſve reſpi-

inſt. 3. c. 10. — *3. Rh. 16.*

reſpiciat perſonas ad normam Exordii in genere Judiciali.

Narratio primò non eſſe continua debet: ſed per partes; quas argutæ reflexiones, ſimilitudines, eruditiones, ampliores figuræ, aliquando quoque argumenta ſejungant. Secundò: ne omninò ſit nuda: imò & venuſtior ſit; quàm in quovis alio genere. Tertiò: quæ præclara ſunt, & omnibus nota, amplificentur potiùs; quàm narrentur. Quartò: non ſemper temporum ſervet ordinem; ne lenta evadat. Ordines enim narrandi in hoc genere plures ſic recenſet * Tullius: *Nam aut temporum ſervantur gradus: aut generum diſtributiones: aut à minoribus ad majora aſcendimus: aut à majoribus ad minora delabimur: aut hæc inæquali varietate diſtinguimus: cùm parva magnis; ſimplicia conjunctis; obſcura dilucidis; læta triſtibus; incredibilia probabilibus intexemus: quæ in exornationem cadunt omnia.* Duplex itaque generalis hic ordo: alter temporum: artis alter, & arbitrarius. Prior veteribus familiaris; & ab Eumenio in Conſtantino; à Pacato in Theodoſio; ab Iſocrate in Evagora Cypri Rege exornando; atque à Tullio in Antonii vituperatione; imò & à Plinio quò ad generalia capita in ſuo Trajano adhibitus; nunc multum redolet ſcholæ: & ut liberum habeat inter Oratores greſſum; omnibus ſententiis, & gratiis eſt adjuvandus. Poſterior verò (qui plus habet ingenii, & prudentis œconomiæ) plures habet ſpecies. Aliquando enim varias conſtituimus virtutum, aliarúmve rerum claſſes, ceu totius Orationis Status: per quos Narrationes ſingulæ diſtribuantur. Quod fecit Tullius: * ubi quatuor propoſitis, quæ in ſummo oporteat eſſe Imperatore; ſcientia nempè militari, virtute, auctoritate, & felicitate; hæc omnia probat ineſſe ſuo Pompejo. Aliquando verò univerſale ſecuti dictum, ut creſcat Oratio, minora quæque decerpimus: à quibus aſcendimus ad majora. Quod citatus habet Tullius, partem, quæ de Pompeji militari ſcientia eſt, pluribus confirmans. Nec nunquam ex majoribus, egregiiſque geſtis paulatim delabimur ad minora, tanquam non omittenda. Quod apud Ciceronem * invenitur priùs Pompeji victorias; deinde ingenium; ac ſucceſſivè pudorem, & auctoritatem extollentem. Sed opus tamen eſt modo: ne decurſu frigeſcat Oratio. Unde re-

Partit.

pro lege Manil.

pro Balbo.

reprehenſus eſt Damis: quòd in ſuo Apollonio catellos imitatus, micas de menſa collegiſſet, minuta eius quæque ſuo inſcribens operi. At is lepidiſſimè quidem pro ſe reſpondit: de menſis Deorum analecta quoque ſedulò eſſe colligenda. Quandoque etiam res artificioſa variantur textura. Quo in genere multi fuere Philologi, admirationem, affectúſque cæteros inopinatis caſibus aucupati: excelluítque Plinius in ſuo Trajano. Denique non ſine ingenio eſt allegorica distributio, recentioribus familiaris, per partes metaphoræ, ut fontes, hortos, & coronas excurrens. Cui conſonat ſeriei comparatio eorum, quæ ſunt laudanda, cum rebus; quæ vel inveniuntur in aliis; ut apud Plutarchum in vitis Principum: vel in re eadem; ut apud Ariſtidem de Romæ laudibus.

Quod ad reliquas verò partes attinet. Propoſitio non omninò jejuna petit eſſe, & incompta; ſicut cæteris in Orationibus: undè huic aptior, quàm aliis eſt allegorica. Introductio ad ornatum faciliùs admittitur: cùm hìc non tam urgeat rationum neceſſitas; ut non locum det ornamẽtis. Confirmatio præcipua Propoſitionis in hoc Orationũ genere eſt Expoſitio capitum, ex quibus aliquis laudatur. Factis enim habenda fides. Modus ejus texendæ, ex * Ariſtotele eſt; ut quæ honeſta, atque utilia dicuntur; plurimùm amplificentur. Nam ea credi opus eſt: rarò autem probationem requirunt. Oportet itaque, laudes hinc, atque illinc cumulando, refertam, & plenam Orationem reddere: ut faciebat Gorgias: qui ſi laudabat Achillem; modò Pelei; modò Jovis inſerebat laudes: undè & profitebatur; nunquam Orationem ſibi defuturam. Tractari autem laudes poſſunt; ſive argumentis, ſi inveniuntur; ſive ſecùs, moratè: quorum primum ingenioſus; ſecundum gravius: ſed meliùs utrunque ſimul. Epilogus brevis eſſe debet: non Affectuum ſolùm commotionem: ſed & Enumerationem quoque exigens aliquando; ferè ſemper admittens. *Enumeratio nonnunquam laudatori neceſſaria:* inquit * Tullius. Affectus verò movendi ſunt mitiores ii; qui ad laudatorum impellunt imitationem: aliquantò verò efficaciores; qui revocant à vitiis oppoſitis. Varias habere poſſunt formulas. Precibus ad Superos pro ſui Trajani incolumitate Plinius uti-

3. Rh. c. 18.

Partit.

utitur: Gratiarúnque etiam actione ad Conſcriptos Patres. Excuſatione ſui; quòd minùs eleganter dixerat; Pacatus: Gratulatione quoque ſibi præſtita; quòd tanti meruit Principis laudes recenſere. Deprecatione pro ſuis Eumenius de Conſtantini dicens filio. Redditione cauſæ; cur hoc potiùs, quàm illud dixerit; * Mamertinus. Ac demum Apoſtrophe ad Deum, Divóſque, de quibus dixere, conſueverunt Epilogos claudere ſacri Panegyriſtæ.

* *Genethl. Maxim.*

RUDIMENTUM III.
De Speciebus Demonſtrativæ Orationis.

PANEGYRICÆ uſus duplex: antiquior ſcilicet; & recentior. Panegyris enim Dionyſio † Halicarnaſſenſi eſt *Solemnis quinquennalium ludorum celebritas, ſive conventus ad requiem majorum rerum, quæ ad vitam attinent, tradita.* Ad reficiendos etenim, ac recreandos animos ſpectantium oblectatione, atque ſolatio, ſingulis cogebantur antiquitùs quinquenniis omnibus per ſapientiſſimos viros, & communia Civitatum decreta ludi; divitibus ſumptus pecuniam ſubminiſtrantibus: quos athletæ robore corporum in primis ornabant: deinde Muſarum, & Apollinis ſectatores muſicis decorabant harmoniis: ſed maximè viri docti; qui univerſum vitæ tempus in Eloquentię ſtudiis cõſumpſiſſent; artificioſa, & à vulgari dicendi ratione abhorrente Oratione complebant. Nunc verò in Dei, Divorúnque ſolemnioribus feſtis meliori ſorte vocatur fidelium cœtus; non ad ludos, & ineptias; ſed ad ſeriam ſpiritus recreationem: quam præbent cum ipſo Deo felici luctantiũ omine precum conatus: Eccleſiaſticis modulatæ concentibus hymnodiæ: & à Sacræ Eloquentiæ alumnis numeris omnibus perfectæ laudationes. Has inter mediant quæcunque in Heroum encomium, aut inſignium virtutum, rerúmve, in conventu populi haberi ſolitæ Orationes: quarũ vexillum præfert celebre Plinii Panegyricum de Trajano. Harum tamen noſtris non multùm uſus invaluit.

† *de Or. Paneg.*

Artificium quoque duplex Orationis Panegyricę. Priſcis enim Gentilibus mos erat laudandi primùm Deos; qui Panegyris credebantur inventores, *humanum genus ad labo-*

rem natum miſerati; ut loquitur ex Platone Halicarnaſſenſis Dionyſius: deinde urbes; in quibus celebrabatur: poſt has verò ipſa certamina, ludorúmque genera: ac demum eorũ principes, & auctores. Catholicorum verò Sacra Eloquentia laudes ex omnibus ferè adhuc dictis capitibus petens; quidquid divinum aliquid præfert; (ſive ad unicum thema è Sacra deſumptum Scriptura revocans; ſive, hoc omiſſo, ſub una redigens Propoſitione) regio veluti amicit paludamẽto: non ſine majeſtate ornatibus ingeminatis.

de Or. Paneg.

NATALITIA (quam primam ex peculiaribus hominũ laudibus ponimus) Genethliaca græco vocatur nomine; quòd Genethliacæ addicta ſolemnitati. Fuit enim Genethliacon priſcis hilaritatis plena celebritas ob alicujus ortum, vel natalitii diei anniverſarium: quo vacabatur à litibus, & opere ſervili; ut innuit Lyricus * Poeta: ſacra fiebant; alto indicto ſilentio; thure, mero, floribúſque oblatis genio: ut Tibullus monet: ac munera dabantur ab amicis. Undè lepidè Martialis * canit:

3. Carm. Od. 17.

lib. 8. Epig. 64.

Ut poſcas, Clyte, munus, exigaſque;
Uno naſceris ollies in anno;
Et ſolus, puto, treſve, quatuorve
Non natalitias habes Calendas.

Imò non hominum duntaxat; ſed & regnorum, & urbium, ac naturalium quarumlibet, artificialiúmve rerum (modò inſignium) laudantur natalia. Undè & olim ſuperſtitiosè nimis conditæ urbis diem colebant: & nunc ſumma religione Templorum dedicationes celebrat Eccleſia. Natalium quoque ſolemnitate donabant antiqui diem; quo aliquo fuerant ab imminenti periculo liberati. In quibus ferè omnibus feſtum Oratione profuſa Eloquentia perficiebat.

Ars quæ ad eam exigit, hæc ſunt. Primò fieri mentio poteſt de publicis votis, ac precibus; iiſque omnibus, quæ remotè nativitatem præceſſerunt. Secundò Tempus obſervandum; & quidquid in eo memorabile. Quare, * ex Gellio, qui ex die, & hora nativitatis ominabantur fortunam; Genethliaci dicebantur. Non tamen Gentilium eſt admittenda ſuperſtitio: quibus Calendæ quælibet erant felix rerum omnium initium: ſextus dies, aut ſeptimus ſacri habebantur Diis: nonus Soli: quintúſque decimus Minervæ.

l. 13. c. 1.

Ter-

Tertiò Parentum, & atavorum libanda laus. Quartò, quæ, ſive in infante futurorum indicia, ſive in adulto nativitatis ſunt fructus; ea commendanda: ſimúlque ſiſtendum in iis; quæ circa natum puerum admirationem aliquam excitarunt: hic enim locus totum continet præſentis robur Orationis. Quintò denique accedent vota, fauſtæque precationes, ei, cujus ſunt natalia, Neſtorios optantes annos: ut ſuis, & Patriæ eſſe poſſit ornamentóſúcque ad eos adoleſcat honores, ad quos eſt natus. Vel ſi adulto dicatur Oratio, petent vota; quòd id natale feſtum ſæpè recurrere contingat; eadénque diei felicis lætitia nunquam interitura. Exéplum pluribus dabit in Maximiani Genethliaco Mamertinus.

LUSTRICAM, & aliquando, reperio, locum Orationem obtinuiſſe: quæ ſcilicet habebatur in quo die nato jam infanti imponebatur nomen; qui dies Luſtralis dicebatur, ſeu Luſtricus: undè & ſacrum Baptiſma Luſtralem aquam conſuevimus appellare. Imponebatur autem nomen à Romanis octavo poſt nativitatem die fœminis; maribus verò nono: ab Athenienſibus decimo: ab Hebræis, ut ſacræ teſtantur literæ, octavo: à noſtri temporis Chriſtianis utinam non aliquando poſt decimum; ut & animatum diſcrimen deſervire tandem ſuperbi luxus apparatui videatur. Neque verò ſolùm prima nominis impoſitio ſpeciem hanc Orationis admittit. Uſurpatur nanque præterea quandocunque mutatur nomen: aut ob res inſigniter geſtas agnomen aſſumitur novum. Quæ poſtrema cauſa videtur aptior laudi. Nomen etenim ſine virtute prodeſt nihil. Quin, ut Caſſiodorus ait: *Nimis abſurdum eſt portare nomen alienum: & alium dici; quàm poſſit in moribus inveniri.*

Artificioſa ut hæc evadat Oratio: Primò de ritu dici poteſt, quem ſervabant priſci in nominum impoſitione: de quo longiùs Alexander ab Alexandro. Vel myſteria declaranda; quæ paſſim in nominibus cœlicùs datis incluſit Deus: ut indè conjici valeat; non ſolo caſu nomen fuiſſe; de quo inſtituitur Oratio. Secundò nominis ipſius haberi valet commendatio; tùm ab Etymologiâ, ac Notatione deſumpta; tùm à reliquis omnibus locis, quà intrinſecis, quà extrinſecis; putà, ab imponente, à Similitudine, aut

Comparatione cum aliis nominibus, &c. Tertiò, vel amplificare neceſſe eſt virtutem; ſiqua ſibi nomen id vendicavit, vel recenſere fas; quorum id ſit præſagium bonorum. Quòd poſtremum, licèt otioſo ferè ſemper nomine, facilè ex circunſtantiis erui poteſt: non quidem divinando ex aſtris, fronte, manúve; ut quidam fingunt: ſed ex temperamento, & præſenti rerum ſtatu, quid ſit futurum, conjiciendo: ſcilicet potentem Regem, & belligerum pluribus ornandum fore victoriis; Eccleſiaſticum doctum, pium, & amabilem ſacra donandum infula; atque hujuſmodi plura. Demum epilogi locum obtinebunt gratulationes, & vota: atque adhortationes; ut tanti nominis gloriam ulteriora ſuſtineant facinora; ac virtutum conſtantia tueatur.

NUPTIALIS munus Orationis ſatis apertè nomen oſtendit ipſum. Eſt enim Oratorium velut Hymenæum celebrãdis dicatum nuptiis; ipſiúſque nuptialis diei coronamentum. Hujus initium commodè præbet explicatio lætitiæ; quæ publica tenet pectora: ut apud Maximinum Conſtantini, Fauſtæque nuptias celebrantem. Deinde quædam innui poſſunt de vario nuptiarum ritu, tùm antiquis Græcis, tùm Romanis, aliiſve nationibus familiari: ad quod uberem dabunt ſylvam inter alios Tiraquellus, * Pineda, * & omnium eruditiſſimè * Novarinus. Inſuper nuptiarum valẽt prærogativę proponi: ut quòd earum auctor fuerit Deus: quòd eas Chriſtus Dominus ſpeciali munierit Sacramento: quódve etiam plura naſcantur ex iis temporalia bona: & ob alia pariter; quæ ſubminiſtrant tempus, locus, & reliquæ circunſtantiæ; quin & omnia loca Inventionis. Accedit ſponſorum laus à reliquis omnibus capitibus: ſed præſertim à præſervata cum mutuo ſponſorum amore modeſtia, perpetuæ pacis fœdere, & caſtæ pignore fidelitatis. Vota quoque, ſimul & ſpes fauſta continentia cuncta; fœcundam ſobolem; fidelem concordiam; dulces annos; familiæ fortunam. Denique (benè morati quod eſt Oratoris) brevis adhortatio ad conjugalia munera perfectè obeunda: putà mutuam fidem; filiorum vigilantem educationem; domeſticæ rei providentiam; &, quę omnium perfectio rerum eſt, pietatem.

Tiraq. in leg. connub.
Pin. in Job.
Nov. Nupt. aqu.

EPITHALAMIUM à multis cum Oratione confunditur

Nuptiali: reverà tamen ab ea differt tempore: eſt enim Oratio; quæ, perfectis jam nuptiis, recitabatur. Si verò artem inſpicimus utriuſque: in nullo alio diſſentiunt; niſi quòd, quæ futura prædicit Nuptialis; aliqua jam præſentia reperit Epithalamium; conjugibus ſcilicet jam veri amoris poſſeſſionem habentibus: & quæ illa præſentia, & ad principale attinentia laudis objectum reſpiciebat; ut populi lætitiam ob nuptiarum ſolemnitatem, & ſpem; hæc, ut jam præterita, & Orationis objecto minùs intrinſeca præſupponit.

FUNEBRIS ortus Orationis adhuc ſub lite nonnullis eſt. Si tamen veriſimiliorem ſententiam teneamus; primus ejus inſtitutor Romanus fuit Publicola: qui (ut ait * Plutarchus) Brutum collegam ſuum in bello contra tres Curiarios interemptum hujúſmodi celebravit Oratione. Morem ſecuti ſunt ex Græcis Athenienſes: qui licèt Theſeo Argivos ſepelienti, & Achilli in Patrocli, multóque antè Herculi in Pelopis funere generis hujus conentur Orationem tribuere: funebribus tamen contenti certaminibus, gymnicíſque, & equeſtribus, ut Dionyſius * monet; nunquam legitimis funeris ritibus hanc reddidere laudationem: donec, ſexdecim ferè poſt annos à Bruti funere, iis tantùm cœperunt Orationis hujus deferre honorem; qui pro defenſione Patriæ fortiter occubuiſſent. Quare Pericles, (ut narrat * Plutarchus) devicta Samo, Athenas reverſus; cùm in eorum dixiſſet laudem, qui dicto in bello ceciderant; è ſuggeſto deſcendens à fœminis, velut athleta, herbis fuit, & antiquorum coronis redimitus. Verúntamen amplior ejus dictionis uſus Romanis fuit, non ex una tantùm virtute, ſi qua mortem comitata fuiſſet; ſed ex omnibus præclarè geſtis, & totius anteactæ vitæ gloria laudabiles viros exiſtimantibus.

in vit. Public.

in technicis.

in Pericle.

Sed ut aliquando præſentis Orationis texturam indicemus. Exordium dolorem oſtendat; vel etiam admirationem, ſi mors immatura fuerit: figuráſque vivaciores habeat; etiam ab Exclamatione, Proſopopœja, & ſimilibus incipiendo: atque ad quemlibet ex locis recurrat, ſive mortem ipſam afficientibus; ſive defuncti laudes. Undè à circunſtantiis mortis; præcedentibus ſcilicet pluviis, caligine, terremotibus; Junioris Theodoſii funeri dat initium D. Am-

in Pulcher. broſius: à tempore orditur * Nyſſenus; quo legebatur in Eccleſiis futurus ille terrꝗmotus, elementorúnque tumultus: & D. Nazianzenus D. Baſilii Monodiam ab excuſatione dilatæ Orationis incipit; in Athanaſio verò ab ejus laudibus: ut eos ſileam; qui à funebris pôpæ ingenioſa deſcriptione laudabilia ducunt Exordia. Propoſitio vel ſolâ continebit laudationē: vel lachrymas quoque, aut excitabit, aut abſterget; prout viſum opportunius fuerit: meliùs tamen ea ſeligatur; quæ modò fletus laudi permiſceat; modò conſoletur. Confirmatio dicendi flores, & lumina inter areſcentes Lybithinæ cineres, umbráſque diſſeminans; vitam omnem demortui percurrat iis, quibus de Panegyri diximus, vel de generali laudatione, greſſibus: & quodcúnque ad id uſque tempus, quo celebratur funus, illuſtre acciderit, memoretur. Epilogus tandem vehementioribus formulis eoſdem, quos Confirmatio, renovabit affectus: addétque preterea vota; quibus æternam precabitur defuncto ſalutem: nec non & cohortationem ſuperſtitum ad indelebilem tanti viri memoriam; & imitationem virtutum, quæ mortuum exornarunt. Quibus inſerunt nonnulli, veluti perpetuo incidendum marmori, breve Epithaphium: ſed tamen parcè hoc finis genere utendum; & ſumma artis induſtria, atque Oratoria gravitate.

Huc etiam reducitur ſacra, quæ de Chriſti Domini morte quotannis inſtituitur, Monodia: In qua tamen conſolationi locus nullus: ſed omnia mœſta; cunctæque partes aptis lachrymis redundantes. Intermiſcentur quoque non raræ contra peccata invectivæ; propter quę Dei Filius paſſus eſt tot cruciatus, dirámque ſubiit mortem. Neque de reliquo vitæ curſu fieri mentio ſolet; niſi ex occaſione, greſſúque velociſſimo: cùm & ei magis proprius in ſolemnitatibus reliquis ſervetur locus; & mors ſatis plura contineat, quàm quæ valeat humana referre lingua.

CONSECRATIO, à Gręcis Apotheoſis dicta, ſuperſtitioſę fuit Gentilitatis inventum. Mos enim Gręcis, Barbaríſque fuit nationibus: quo multis claros inſignibus Heroas ad Divinitatis eveherent faſtigium, ac Semideos, aut Divos appellarent; quòd vel regionem à monſtris expurgaſſent; vel ab imminenti ſummo periculo liberaſſent populum;

pulum; vel utiliſſimum aliquid, ac propè neceſſarium inveniſſent, ut frumentariam artem; vel eximia quadam præfulſiſſent virtute. Undè inter Numina recenſebantur Hercules, Ceres, Mavors, & ſimilia plura mendacia Deitatum. Idque non niſi ſeniorum, & optimatum, aut populi conſēſu, vel rogatu aſſeqnebantur. Quare(teſte Æliano*)iteratis precibus Alexander petiit à Græcis; ut ſe Deum facerent. Cui tandem Lacedæmonii (auſtero quidem decreto; ſed quod aſſenſum præbere videretur) reſponderunt: *Quoniam Alexander vult eſſe Deus: eſto Deus.* Mitiùs verò Athenienſes: quorum convocata concione; ſurgens Demades ſanxit; ut Alexander ſcriberetur Deus decimustertius. Econtrà tamen * Ageſilaus; cùm adhuc vivens à Thaſiis inter Divos eſſet relatus; hoc ab eis popoſcit: ut ſi Deos faciendi poteſtatem haberent; priùs ſeipſos conſecrarent. Horum morem ſecuti ſunt omnibus ſuperſtitiores Romani: ſed non adeò cautè. Suis enim ubi cœperunt Imperatoribus adulari: primùm quidem ob ſolam amplificati Imperii laudem; deinde verò favoris ergo, ſolemni quadam pompa Deos facere conſuevere.

Var.hiſt.l. 12.c.30.

Alex.Genial.l. 6.c.4.

Ritus autem hic apud eos in conſecrando ſervabatur; quantùm ex Dione, * Herodiano, * Alexandro, * & aliis colligi poteſt. Imperatore vita jam functo, in Senatu de Cōſecratione agebatur. Neque enim vivus; neque invito Senatu, conſecrari quiſque poterat. Undè noluiſſe Romanos Tiberium inter Deos referre, narrat * Tertullianus: quòd inconſulto Senatu præſtare id Imperator voluiſſet. Et Baſſianus; cùm Getæ fratris mortem in votis haberet; ajebat: *Sit Divus; modò non vivus.* Mortem verò ſibi imminentē ſentiens Veſpaſianus dicebat: *Ut video; Divus fio.* Apotheoſi decreta per Senatum: lectus ex auro conſtruebatur, & ebore, purpureis ſtragulis, auróque intertextis ornatus: in cujus infima parte cadaver arcæ cuidam incluſum latebat; ſed herbis, ſuccis, unguentis, aromatibus, odoramētis omnibus conſertum; quæ pro virili quiſque ſua conjicere conabatur: in ſuperiori verò imago ejus cerea triumphali habitu conſpiciebatur. Hunc efferebant; Senatu, equeſtri Ordine cum conjugibus, Triumphalibus viris, Prætorianis militibus, quique ampliſſimos geſſerant honores, præceden-

Dio l.56. de funere Auguſti.
Herod l.1.
Alex. Gen. dier.l.6.c.4.
Tertull. apolog. c.5.

cedentibus; cum carmine, & hymnis; omnibúſque humanis honoribus, ac divinis. Ducebantur quoque avorum ipſius imagines, atque cognatorum; quos mors peremerat: (exceptis eorum; qui Deos inter relati jam fuerant) tùm aliorum; qui unquam Romæ ſuis claruerant geſtis: omnéſque circùm nationes, quas ſubegiſſent, cum ſuo ipſarum cultu effictæ cernebantur. Feretro ad Roſtra poſito: ſuperſtes Imperator Orationem habebat concludentem; non lugendum: ſed mortui corpus reddendum mox naturæ; animam verò, ut Dei, perpetuò colendam. Interim in Campo Martio pyra ſtruebatur in Tabernaculi formam; quod auro, ebore, ſigníſque, & coloratis tabulis exornatum mirificè, alio deſuper breviori, ad tertiam uſque contignationem erigeretur: cujus apicem Imperatorius obtinebat currus; tùm aquila cum omnium aggeſtu Deorum. Huc ubi perventum eſſet: priúſquam in buſto cadaver locaretur; hæres Imperii, alíique propinqui demortui ſtatuam oſculabantur: ac parato in loco ludos ſpectaturi ſedebant. In ſecũdo igitur pyræ ordine lecto collocato: primùm omnes Pontifices illud circumibant; deinde equites; tùm Legionarii, alíique milites; & ii demum, qui cuſtodię præfuerunt: urbanis, confictíſque curſibus præmia, quæcunque ob ſua quondam egregia in bello facta recepiſſent, conjicientes. Poſt hæc ſucceſſor, & omnes undique Conſules, juſsúque Senatus Centuriones, acceptis facibus, rogum incendebant. Quo abſumpto: cùm aquila vapore, & fumo agitata è ſummo tabernaculi culmine evolaret: magnæ fidei, & auctoritatis aliquis jurabat; ſe Imperatoris animam cœlum aſcendentem vidiſſe: firmáque religio incutiebatur; ipſum, defæcato, quod mortale erat, & caducum, in numero cœleſtium, & Deorum conſilio receptum. Mutabatur illicò novo Deo nomen; fortè, ne quis putaret, homines eos fuiſſe: undè & Leda, Nemeſis, & Romulus dictus eſt Quirinus. Decernabantur & Deitatis inſignia: Templa ſcilicet; Sacerdotes, aræ; ſacrificia; pulvinaria; Flamines; ſimulacra: quæ ſcribit* Svetonius, Dictatorem adhuc Cæſarem obtinuiſſe. *Cap. 76.*

Sed procul à Chriſtianis ritibus exulante ſacrilego Idolatriæ cultu; ſucceſſit longè ſanctior pios homines, & qui

in

in terrenis corporibus vitam cœlitum fuiſſent imitati, in Sanctorum album referendi conſuetudo : quæ vulgò Canonizatio nuncupatur. Hujus occaſioni duplici præſens Orationum genus accommodari poteſt. Habetur enim, vel inter ipſa conſecrationis ſolemnia : vel cùm prima conſecrationis jam factæ memoria celèbratur. Exordium in primo caſu medium : in ſecundo hilare ſit, ac vivum, vehementioribus etiam formulis initium obtinentibus, vel Apoſtrophe; ut non mediocri lætitiæ indulgeatur. Propoſitio eò tendat: ut, de quo agitur, Heroem, vel meritò Sanctorum faſtis aſcribendum; vel ritè aſcitum eſſe, demonſtret. Probatio virtutes omnes recenſebit, ac prodigia : præſertim ſi cauſas examinet ſingulas, ob quas hominibus ejúſmodi decernantur honores; omnes oſtendens in ejus Sancti facinoribus adunatas. Epilogus demum feſtivus debet eſſe, & devotus : ſive auditores excitans ad annuendum præſenti Apotheoſi : ſive ad exhibendum jam conſecrato venerationem. Quem & aptiſſimè claudit Apoſtrophe ab ipſo petens opē; atque vota depromens.

INAUGURATIO dici ſolet; cùm aliquis, vel in Regem ungitur; vel Magiſtratum, aliúmve generis hujus ſumit honorem. Ea ex Dionyſii Halicarnaſſæi definitione *eſt veluti patriæ vox præſides ſuos alloquentis, ſeque ei concedentis.* Totus igitur Orationis hujus finis eſt docere, hortarique eos, qui novum aſcendunt ad gradum; quales in ſibi ſubditos eſſe debeant; atque in Republica adminiſtranda. Id peti valet, tùm ex eorundem, qui inaugurantur, laude; præſertim, quæ vel in atavorum ſimili dignitate refulſit; vel ab ipſorummet virtutibus ſperatur : tùm ex loci, cui præſunt, encomio; putà Civitatis, Reipublicæ, vel Regni : tùm ex ritibus in creatione, vel inauguratione ſervari conſuetis; ut ex communi populi lætitia, ex purpuræ traditione, & ſimilibus. Quæ omnia ſi benè amplificabuntur eruditionibus, argutiis, ceteriſque communibus locis; uberrimam Orationi materiam ſubminiſtrabunt. Stylus ornatum omnem exquirit; artificiúmque ingenioſum, & ſplendidum : ſed quæ juxtà pompæ naturam magnificentiam habeant; aut gravitatem. Aptum inter alia videtur ad hoc exemplum apud Sgambatum in Oratione; cui titulum dat Ezechielis quadriga.

Pa-

PARANYMPHÆA propè accedit: quæ in donãdis laurea Doctoribus adhibetur. Ejus tres eſſe partes ſolent. Altera, ſcientiæ, Doctoratúſque exponit ſplendorem: ad quam etiã ritus attinet; & Doctoratus inſignia. Laudes habet altera mox inaugurandi: & rationes; ob quas dignus cenſeatur; qui ad eum perveniat honorem. Tertia cohortationem: ut labori non parcens, omne boni Doctoris munus expleat: ſéque dignum exhibeat; cujus, velut aurea teſtamenti arca, legum, & ſcientiæ librum, pietatis manna, virgánque auctoritatis animus complectatur.

SALUTATIO PRINCIPUM noſtris uſitatiſſima temporibus; qua novus Regis alicujus, Principis, Magiſtratus, alteriúſve Magnatis excipitur ingreſſus; antiquiorem habuit originem. De hac memorabile illud eſt: quòd M. Antonium ſalutantibus Athenienſibus; eique, ceu Libero, (qualem ſe dici appetebat) Minervam ſuam in matrimonium deſpondentibus: ducturum ſe, ait Antonius; ſed dotis nomine mille implorare talenta: cui Grecus quidam arguté; *Domine*, inquit, *Jupiter matrem tuam Semelem ſine dote habuiſſ.* Tres autem præſens Orationis ſpecies præcipuas habet partes. Prima recipientes reſpicit: quorum lætitiam expectationi correſpondentem, ſolemnéque apparatum exprimit. Secunda conſalutati laudes amplificat: ejúſque præſertim virtutis; quæ cauſa fortè talis adventus fuerit: ut providentiæ erga ſubditos; militaris ardoris; aut ſimilis. Tertia verò pectora vovet, & mentes; fortunas; ſpes omnes; opes; & vitam ipſam: Stylus denique brevis; & ejus, qui recipitur, aptus ſplendori ſit, ac dignitati.

APOVATERION à Græcis dicitur Oratio; quæ diſcedẽtes amicos, aut Principes, aut præſtãtẽ aliũ virũ proſequitur: vel ipſe ſubditis, chariſque valedicit diſceſſurus Orator. Primus in hac dolori locus erit; quem augebit ſemper eorum laus; à quibus divelli continget. Undè diſceſſurus olim ex Attica Menander ajebat: *Quis Eleuſina Sacra ſine lachrymis, & interno mœroris ſenſu relinquere poſſit? Quis ab Athenienſium arce pulcherrima diſcedere totus; & à virorum ſapientia, uirtuteque præcellentium complexu avelli ſine vi, ſine dolore queat?* Sequitur remanentium aliquando querela; & promiſſorum revocatio, quibuſcum perpetua ſancita

fue-

ſuerat conſuetudo. Sæpiùs tamen indignatio in invidam fortunam; quæ nihil tale promeritos ſejungit. Quòd ſi ſpes incolumis reditus vireat; aut commendabilis virtus diſceſſionem indicat: paucis poſtquam indultum fuerit lachrymis; moderandus animus erit; & bona præſagienda qualibet, ac precanda. Si verò exulium urgeat, nullaque maneat poſtliminii fiducia: omnia erunt concedenda miſerationi lora, & ſingultibus. Beneficiorum indè, conſuetudiniſque jura perpetuò nos ſervaturos, pollicebimur: atque noſtri memoriam abſentia non deponat, adjurabimus. Demum ſoſpitatem remanentibus; aut diſcedenti precabimur; proſpera quæcunque votis ultimis exoptantes.

EPIVATERION autem econtrà pro reditu læta canit: ſive reduce Principe, vel amico: ſive eodem, qui orat; ut poſt ſuum reditum fecit Tullius in Senatu. Comparanda in ea primùm eſt cum mœrore, quem intulerat abſentia, lætitia, quam regreſſus effudit. Notandæ reditus ipſius circunſtantiæ: ut quod in quarto Honorii conſulatu Claudianus obſervavit; ſolem eo die clariorem, quàm reliquis, apparuiſſe. Recenſenda ſunt quæcunque abſenti contigerint, ſivè proſpera, ſive adverſa; profectionis cauſa minimè neglecta: è quibus, vel ejuſdem erui poſſit laus; vel conciliari valeat erga ipſum Communitatis affectus. Grates agendæ Superis; quòd incolumem ſuis, amicis, Patriæ reſtituerint. Horum quoque nomine gratiæ eidem referendæ: ſi pluribus omiſſis commodis, quibus eum exteræ ſuſceperant, tenebántque Civitates; patriæ plus dederit, & amicis. Deinde hortandus; ut diù cum ſuis lætetur: neque à ſuis, amicíſque patiatur ampliùs abeſſe: quorum nomine promptus ad obſequium omne exhibendus animus. Vel ſi de ſe ipſo dicat Orator; pollicendum ei; nunquam ſe paſſurum ab iis ultrà divelli: ſed perpetuam daturum operam; ut de ſe jugiter Patria lætetur. Demum accedant vota: quibus orandi Cœlites; benignè ut optatis annuant: & vel nos Patriæ; vel nobis eum, pro quo dicimus, tueantur.

GRATULATIO felici quovis in eventu ſolvit linguam: ſive dirigatur ad eum, qui ex adverſis rebus pervenit ad ſecundas; ſive qui priorem nova proſperitate cumulavit; ſive qui de alterius gaudet fortuna. Initium habet commodum

ex communibus publicę lætitię locis. Sequitur exquiſita accedentis amplificatio boni cum malis comparati, ex quibus forté liberavit: ut cùm Cicero Catilinam dimiſſum Romanis gratulatur. Tribuitur interim ejus merito, qui eam adeptus eſt, nova felicitas: & iis, quorum cooperatione provenit, gratiæ referuntur. Claudunt Orationem vota pro obtentæ fortunæ perennitate: & cohortationes ad amorem Patriæ; ad gratitudinem erga beneficos; ad laudabilem felicitatis uſum; ad pietatem demum, quę bona cuncta à divina beneficentia recognoſcat.

EPINICIUM quidam à præcedenti ſpecie nō diſtinguũt. Reverà tamen eſt Oratio; quæ poſt inſignem de hoſtibus palmam triumphanti duci, vel exercitui perſolvitur: undè à Gręcis celebritates pro parta victoria Epinicia dicebantur. Tota hęc ferè petitur ex iis; quę modò de Gratulatione diximus. Nã & lætitiã exprimit: & belli diſcrimina, hoſtiúmque vires auget ad obtentę incrementum victorię: & triumphantium perpetuas repetit laudes. Ubi tamen ad Epilogum fuerit acceſſum: pręter ea, quæ ad Gratulatoriam quãlibet requiſivimus; exigit quoque duplicem adhortationem: patriæ ſcilicet; ut ſuos honoret milites; qui ſudores, ac ſanguinem, ejus amori poſt habuerũt: & triumphantium; ut ſe jugiter digni, nunquam à patrię defenſione deflectant; eò vel maximè; quòd de ſe benè meritos lætitia, muneribus, plauſu, recipiat, compenſet, amplexetur.

LAMENTATIO ſummã deflet mala: nec enim pro quacunquę vel levi adverſitate inſtituenda. Tres habet partes; ſive Orator propria lugeat infortunia; ſive aliena. Prima pars malum amplificat; quàm rationabilis ei correſpondeat dolor, oſtendens; & commovens ſui miſericordiam, odiúnque in eos, quorum id accidit culpa. Secunda prædicta confirmatura tota erit in incutiendo auditoribus metu; ne & ipſi, ſeviente fortuna, ſimiles ſint paſſuri caſus: quod Ariſtides fecit in ſua Eleuſina incenſum Cereris deplorans templum; & cùm de Smyrna ingenti obruta terremotu. Tertia preces fundit: ne Deus ultrà ſimilia decernat adverſa; ſed ejus vindici dexteræ tanta ſufficiat calamitas: ſimúlque ad humanas opes (ſi locum habeant) recurrit; quos antè excitarat affectus, omnes renovans vehementiùs.

EPICEDIUM eſt Lamentationis ſpecies: ſed à Funebri

tamen Oratione non pauca mutuatur. Hac enim (ſi nominis uſum potiùs, quàm notationem attendamus) non defunctorum quorumlibet; ſed cæſorum bello civium urnam fletibus implet Orator. Proinde belli primùm recenſebit diſcrimina: ſimúlque lachrymas excitabit. Gradietur indè ad militum encomia: præſertim ob ea, quæ in extrema fortiter geſſere pugna; quam ad evidentiam deſcribet efficacioribus formulis intermiſtis. Demum concives hortabitur ad eorum imitationem: ad honorem iis debitum: ad perpetuam memoriam eorundem gloriæ decernendam. Exemplo deſervire poſſet, tùm elogium, quod habet Tullius de Martia legione; tùm Oratio Demoſthenis pro Corona.

EUCHARISTICA provolutum ad beneficii pedes animum oſtendit: atque pro receptis gratias agit. Inſinuationem nullam exquirit: ſed ſola ſinceritate, & juxtà dignitatem ſplendore contenta eſt. Undè ſuam ad Imperatorem Gratianum apertè ſic Orationem incipit Auſonius: *Ago tibi gratias, Imperator Auguſte. Si poſſem, etiam referrem. Sed nec tua fortuna deſiderat remunerandi vicem; nec noſtra ſuggerit reſtituendi facultatem. Privatorum iſta copia eſt, inter ſe eſſe munificos: tua beneficia, ut majeſtate præcellunt, ita mutuum non repoſcunt.* Nonnunquam etiam initium petitur ab aſſignanda cauſa: ob quam, tot acceptis beneficiis; nunc tamen ſolùm grates rependantur: quod habet Auſonius idē ad Julianū. Sæpè ab ejus virtutis laude; quæ in beneficio collato magis enituit: quod habet Cicero pro Dejotaro gratias agēs Cæſari. Quæ verò cōtinet, ut plurimùm hæc ſunt. Primùm amplificata beneficii magnitudo: ſive ex ipſa re accepta; ut apud * Ciceronem: ſive ex largientis perſona; cujus vitam illuſtrem moderatum complectatur elogium; præſertim verò virtutes amplificet, quæ beneficorum ſunt propriæ; quod egregiè quoque præſtat Plinius in Trajano: ſive ex recipientis perſona; quam immeritam ingenuè non rarò fatetur Orator: ſive ex modo, cæteriſque circunſtantiis; putà quòd ſpontè, quòd optato velociùs, quo loco, vel tempore; quibus obſtantibus; & reliquis pariter. Deinde perpetua accepti beneficii memoria promiſſa, & officiúnque perenne; quò nunquàm futurum ſit, ut noſtrum ob culpam elargitorem pœniteat, præſtitiſſe vel etiam

ad Quir. poſt red.

 ad

ad Deum preces; ut dextinctorum exuperante vires beneficii magnitudine: ipſe gratias referat: quæ habet Julianum alloquens Mamertinus.

CAPUT II.

DE GENERE JUDICIALI.

VIrtutum omnium præclariſſima cunctarum gentium tenet Imperium Juſtitia. Neque enim ulla tam incultæ mentis; neque tam ferocis ingenii hominum multitudo: quæ vel umbram Reipublicæ ubi vidit; fora ſtatim, leges, & judicia non quæſierit. Perſis electi fuerunt Judices ex conſultiſſimis viris perpetuum geſturi Magiſtratum: qui jus poſtulantibus redderent; controverſias omnes deciderent; & leges patrias interpretarentur: tanta quidem integritate; ut cùm * Siſamnis acceptæ ob rem judicandam pecuniæ reus convictus eſſet; Cambyſes ex ejus corpore detractam pellem intendens, in ea filium ejus conſidere juſſerit judicaturum. Ægyptiis celebris fuit pro foro labyrinthus; quem Strabo * deſcribit: Diodorus verò * ornatum ait ſculptis triginta velut Judicibus ſine manibus, ad judicantium documentum. Sed celebrior eorum in judiciis diligentia commiſſa, ſive (ut inquit * Diodorus) electis ex clarioribus urbibus optimis viris numero triginta; ſive (ut Ælianus *) Sacerdotibus; & utriſque jurejurando aſtrictis; ne ſi Rex quidem injuſtum quippiam injunxiſſet, à virtutis ſe medio declinaturos. Quorum utrorúmvis ante conſpectum propoſito ab eorum Principe (quod geſtare ſolebat aurea catena à collo ſuſpenſum) ex gemma veritatis ſigno; omnibúſque legibus octo contentis libris in medio conſtitutis; atque agitatis ſcriptis ab utriſque contendentibus Cauſa; procul à lachrymarum affectuúmque veneficiis, Princeps ipſe, verſa in victricem partem veritatis imagine, ſententiam ferebat. Athenienſium Areopagus (Martius nempè vicus, ut etymon docet) criminalibus addictus Cauſis fuit inſignis: cujus integritati & reliqua reſpondebant fora peculiaria; de quibus quædam eruditè ex hiſtoricis colli-

Herodot. l. 5. in Terpſichore.
Strab. l. 17.
Diod. l. 1. c. 6. p. 2.
Diod. l. 1. c. 3.
Ælian. vet. hiſt. l. 14.

git

git * Cauſſinus: Romani quanvis initio conſiſtentis Reipu- *Eloqu.l.12. c.17.*
blicæ à litibus abhorruerint: unde primùm adornante forum populo, Cato Cenſorius acutiſſimis lapidibus (utpote adeuntium pedes lædentibus) pavimentum insternendū curavit; ne gens ſua litigioſis clamoribus ſenſim aſſueſceret: aſſueverunt tamen; ubi Senatui judicandi fecere poteſtatem; (ut notat * Polybius) deinde Conſulibus quoque; *Pol.l.6.*
(ut Svidas) ac demum Gracchi lege (ut Appianus teſtatur) etiam equitibus. Tantáque eorum fuit dicendi juris aviditas, petendíque libertas: ut audire recuſanti aliquando Hadriano * Imperatori retorſerit, quæ poſtulabat, muliercula: *Noli igitur imperare.* Verùm ut altiùs Judiciorum originem reperiamus: poſt conſtitutam Hebręis Rempublicā, celebres fuerūt portæ; in quibus exercebantur judicia: unde & portarum nomē ad ipſos notandos Magiſtratus tranſlatum eſt: & Remigius * *portas mortis* pro iniquis Judicibus interpretatur. Et hæc quidem Judiciorum antiquitas, & æſtimatio. *Dion. in Hadr.* *in Pſalm. 9.*

Orationis verò Judicialis genus antiquius lōgè eſt Epidictico: licèt perfectionis unquam non attigerit culmen; antequam Exornativę Eloquentiæ colores accederent: veluti poſtremam ab ea manum receperit, & cothurnos. Rhetoris ſiquidē græca appellatio notabat ex ſui primordio quālibet dicendi artem ſuſa Oratione loquentium; ut magnum docet * Etymologicum; quo ſenſu Homerus * Rhetorem appellavit Phœnicem junioris Achillis pręceptorem. Deinde tamen quòd leges conderent, & proponerent Oratores; hi ſoli Rhetores dicti ſunt à Dorica voce *Rhitra*; quæ ex eodem Etymologico legem denotat. At verò temporis progreſſu ad ſolos contracta eſt forenſes Oratores; ut Svidas * teſtatur: facultas autem illa generica dicendi cœpit Eloquentia nuncupari. Mox quòd dicendi periti (Athenis maximè; quæ urbs Eloquentiæ regia fuit) omnia ſuaſione cōponerent; populos moderarentur; bella ſancirent, & fœdera; juráque cuncta pro libitu adminiſtrarent: ad Principes omnes, conſiliarios, duces, fuit ex allato Svida Rhetoricę nomen dilatatum. Sed illicò (velut ſyſtolis, diaſtoliſque nacta motus; quę rationabilis mundi cor erat, & vita) ſeſe contrahens, umbratilem duntaxat cœpit notare doctorum *V.Rhetor.* *Iliad.1.* *V.Rhetor.*

ctorum facultatem: qui à foro, & civilibus abſtinentes negotiis; cæteros tamen ad id exercitationis inſtruentes genus; plures etiam inter ſcholæ privatos parietes, non minorem, quàm rari in foro gloriam aluerunt: quos inter Iſocrates; Demetrius Phalereus; Ariſtoteles; ac noviſſimè pariter, & egregiè Quintilianus. Quapropter & nobis hæc inter Rhetorica Rudimenta Judiciale nunc genus occurrit explicandum. Quamvis enim immutatam noſtris hiſce tēporibus, & locis fatear priſtinæ contentionis forenſis rationem: nec ea modò pompa Cauſas agant Patroni: habet tamen adhuc uſus ſuos togata Eloquentia: nec parùm deſerviunt inſinuationum cuniculi; dexteræ quorundam animi motuum ſubreptiones; aliæque id generis induſtriæ; quibus artificioſi Cauſidici clientum jus munituri viam aperiunt veritati. Accedit quoque; quòd non rarò Judicii formam ſuaſiones induunt, vel ſacros apud Oratores: ut cùm Juglaris quarta Dominica Quadrageſimæ Pauperum ſe reddit advocatum. Aliquando etiam habentur Apologiæ: ut quam in Regularium favorem ſcribit eruditiſſimè, de more, * Pater Arata. Ne de aliis modò ſpeciebus dicā: quas in ſecundo capitis hujus recenſebimus Rudimento. Interim ſit.

Orat.Sacr. ult.

RUDIMENTUM I.

De requiſitis à Genere Judiciali.

LAborem omnem, & artem ad difficillimas generis hujus texendas Orationes requirit apud Ciceronem * Antonius: ex quo, *Omnium cæterarum rerum Oratio ludus eſt homini non hebeti; neque inexercitato; neque communium literarum, & politioris humanitatis experti: in Cauſarum contentionibus magnum eſt quoddam opus; atque haud ſciam an de humanis operibus longè maximum.* Hunc nos ut adjuvemus; Inventionem, Stylum, & Partes perluſtrabimus.

2. de Orat.

INVENTIO tota duplici circumvolvitur muneri Judiciarii Oratoris: quod eſt adverſarium culpare; vel tueri Clientem. *Judicij verò partes ſunt Accuſatio, & Defenſio*; ait * Ariſtoteles. Proinde juſtum, & injuſtum dici generis hujus materia ſolet: quod & loco citato docet etiam Stagirita di-

1.Rh.11,

dicens: *In Judiciis, quòd æquum, aut iniquum ſit, quæritur.* Tẽpus eidẽ tribuitur prętéritũ; utpotè de factis rebus inveſtigãti: non enim juſtum eſſe, vel injuſtum, dici poteſt; quod non eſt factum. Ad factum porrò probandum, preter communia loca, hęc * Ariſtoteles tradit. Primò ſi, quod difficilius factu, ineptiúſque; factum eſt tamen: etiam id fuit; quod aptius, & facilius. Secundò ſi, quod poſterius fieri, vel natum eſt, vel conſuevit; factum eſt: etiam id fuit; quod prius: ut ſi tonuit; etiam fulguravit. Tertiò ſi, quod prius; in alterius tamen gratiam factum eſt: etiam id fuit; quod poſterius. Denique ſi quis efficere quidpiam potuit, & voluit; habuitque incentiva, putà iram; jámque facturus erat; nec ab aliquo extrinſeco potuit impediri: id eum feciſſe, facilè convincetur. Juſtum verò, vel injuſtum ex legibus prę ſertim erutas rationes exigunt: non tamen alia reſpuunt communia loca; modò in ipſis legibus fundata. *2. Rh: 24.*

Loci demum ad calumniam depellendam apti, propriique defẽſionis hi ſunt. Primò ſi crimen in adverſarium refundas: ut vel ei cauſam tribuas; vel eum eidem crimini obnoxium oſtendas; vel alios falsò criminari conſuevisſe, probes; aliòve quocunque ex capite fidem ei detrahere coneris. Secundò ſi factum fatearis: evincas tamen; cauſas penès te excuſabiles fuiſſe: quòd vel neceſſitate; vel caſu feceris; vel non ad eum finem: quæ, præter Ariſtotelem, * Auctor ad Herennium, * & Cicero * fuſiùs, quàm nobis hìc expediat, proſequuntur. *ad Alex. 35 & 3 Rh. 16.* *Herenn. 1.* *Cic. 2. Inv.*

STYLUS (ſi Ariſtotelem * audiamus) in Judiciali genere debet eſſe exquiſitior, quàm in Deliberativo. Sed meliùs Cauſarum librentur pondera: & juxtà cujuſque meritũ ſtylus acuatur. Si enim docuit * Fabius; Judicialis generis varietati variam congruere compoſitionis harmoniam: quidni id de tota pariter Elocutione dicamus? Sunt equidẽ Cauſę mediocres aliquæ; & vel ornatum, planéque epidicticum; vel attemperatum dicendi genus admittentes: quales de Civitate donanda, civilibúſque controverſiis non multùm momenti afferentibus agebãtur: in quibus gravitatem affectare, ſimile eſſet ponderoſæ quorundam aulicorũ ſobrietati; nec mediocrem riſum mereretur. Aliæ ſunt omnium ſummi momenti: ut in quibus de cunctis fortunis; *Ariſt. 3. Rh. 14.* *inſt. 9. c. 4.*

aut

aut capite dicitur: atque his omnis debetur ſerietas, & ad ſolas rationes attentio. Quis enim ferret frigidam quorundam luxuriem ad oſtentationem potiùs, quàm ad utilitatem Orationes ejuſmodi componentium; & irrumpentem inter ipſa fortunæ omnis, aut vitæ pericula voluptatem? Aliæ demum leves ſunt; aut ludicræ: ad quas nil juvat auctoritatum ingentem ſylvam excidere; egregiarum vocum immenſa evolvere repertoria; hiſtorias è ſumma antiquitate repetere; cæteriſque vacare exquiſitæ Eloquentiæ curis: cùm poſſit eis objici; quod lepidiſſimè cecinit Martialis: lib. 6.

Non de vi; neque cede; nec veneno:
Sed lis eſt mihi de tribus capellis.
Vicini queror hos abeſſe furto:
Hoc Judex ſibi poſtulat probari.
Tu Cannas, Mithridaticumque bellum,
Et perjuria Punici furoris,
Et Syllas, Marioſque, Mutioſque
Magna voce ſonas, manuque tota.
Jam dic, Poſthume, de tribus capellis.

PARTES omnes habet; excepta ferè ſemper Introductione; cujus locum dicitur occupare Narratio. Exordium exquiſitum exigit artificium, Docilitatem, Benevolentiã, & Attentionem captans; omnéque ex audientium animis auferens ſuſpicionem: quod aliquando Initio ducitur; ſed non rarò etiam Inſinuatione. Hanc autẽ aptè faciunt ipſorum laus Judicum: & adverſariorum odium ex eo natum; quòd hoſtes patriæ, & amicorum; quòd inimicorum amici; quòd immites, ingrati, alióve deterri vitio deregantur. Narratio; ut in aliis generibus probabilis, & dilucida; ita in hoc maximè genere requiritur: ut æquitatem Cauſæ, & adverſariorum nequitiam auditorum ſubjiciat oculis: nec non etiam morata, affectibúſque variis redundans; iis præſertim, ad quos auditores comprehenduntur deflectere. Et ea quidem res modò ſummas colligens; ſi notæ ſint, ac credibiles: modò ſingillatim exponens; ſi novæ, aut nobis admodùm faventes: atque, ſi fidem non habeant, diſſeminatas modò; modò poſt expoſitionem integram conſertas probationes habens, aut confutationes. Quorum omnium eximium ex Cicerone exemplum

pro

pro Milone. Confirmatio cujuſque peculiaris criminis (ſi aures præbere libet *Ariſtoteli) primum teſtimoniis dat locum; & ſi quæ nobis ex quæſtionibus confeſſiones fuerint: ſecundum verò, iis deficientibus, ſententiis, & commutationibus; vel probabilitatem facientibus exemplis, ſignis, & conjecturis: tertium autem legibus, præjudiciis, & æquo. Quorum propoſitio ſingulorum majorem longè partibus cæteris exigit affectuum omnium varietatem: amplificandum enim pro opportunitate eſt; & modò lentiùs gravitate incedendum; modò urgendum vehementiùs; egrediendum non rarò; interrogandum paſſim; minandum, aut blandiendum: quæ ferè omnia in Verrem habet Cicero; & Catilinam. Confutatio quoque ſparſim nunc ſingulis ſubditur confutandis partibus; nunc integra narratione præhabita, adverſariorum ſingula mendacia, vel errores, eodem ut plurimùm ordine reaſſumit: refutátque paribus cum Confirmatione figuris, ac ſtylo; ſed majori ſæpiſſimè rationum pondere, & evidentia. Peroratio demum, præter enumerationem, (quæ facilis ex dictis eſt) dilucida phraſi affectus excitat cunctos, Iræ, Miſerationis, Invidiæ, Indignationis, & alios quoſcunque expoſcet Cauſa; ſingulis ſuas aptans figuras; ſed quæ ex natura potiùs, quàm arte petitæ videantur. *ad Alex.* 35

RUDIMENTUM II.
De Speciebus Judicialium Orationum.

CRIMINATIONEM, quam alii Accuſationem vocant, appello, ad differentiam ſubalterni generis accuſantibus omnibus communis Orationibus. Eſt autem *Rei coram judicibus delatio, ritè ſervatis judiciorum formulis*. Hæc primis temporibus Patronos graviores habuit; ob ſummum, quod accuſatores Reipublicæ conferunt, emolumentum. Undè (ut ait *Cicero) patiuntur omnes, quamplurimos accuſatores eſſe; licèt aliquando culpari contingat innocentem: non quòd ferendi ſint peſtilentes homines; falſorum, inquam, criminum delatores: ſed quòd innocens accuſatus abſolvi poſſit; nocens, niſi accuſatus fuerit, condemnari non poſſit. Sic anſeres, & canes alebantur *pro Amer.*

tur in Capitolio; ut noctu (quod ſuſpicioſum erat) adve-nientes ſignificarent; licèt fures dignoſcere non valerent: dummodò in eam partem potiùs peccarent; quæ erat cautior. Si tamen luce quoque latraſſent canes, cùm nulla jam eſſet ſuſpicio; quòd acres eſſent; iis crura ſuffringenda. Prudens tamen Orator in accuſando ſit: & auctoritatem, ut habeat, ac pondus Oratio; omnem odii, venalis avaritiæ, crudelitatis ſuſpicionem ab audientium animo procul arceat: atque juſtas det cauſas; quibus ad eam fuerit accuſationem adductus; qui ad defendendum inclinatius
Cic. Divin: genium profiteatur. Sic Cicero: *Si quis veſtrum, Judices, aut eorum, qui adſunt, fortè miretur; me, qui tot annos in Cauſis, judiciiſque publicis ita ſum verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem; ſubitò nunc mutata voluntate, ad accuſandum deſcendere: is ſi mei conſilii cauſam, rationemque cognoverit; unà & id, quod facio, probabit; & in hac Cauſa profectò neminem mihi eſſe præponendum actorem, putabit.* Optimum proinde dabit Criminationi Initium (præter ea, quæ hactenus dicta ſunt) deploratio præſentis temporis; quod non tantùm enormia admittat ſcelera; verùm etiam in iis impunè gloriari patiatur impios: (quod tamen de reo debet in Oratione probari) necnon & modeſtiæ ſpecies, ardorem nimium cohibere geſtientis; & tamen virtutis annuere neceſſitati. In exponendis porrò criminibus non omnia gratis augenda; cùm in omnibus nimium eſſe, puerorum ſit vitium: nec omnes ſunt eadem libertate culpandi; ſed habenda ratio dignitatis, nobilitatis, familiæ: nec coram omnibus eodem omnia modo ſunt dicenda; ſed aliquando præteritionibus, ac reticentiis utendum, cæteriſque generis hujus figuris; quæ & alienum à conviciis, ac impudentia commoſtrent Oratorem, & ſatis explicent criminis gravitatem. Probationes narrationibus additæ circumſtantias omnes exquirunt, & robuſtiora argumenta: levioribus, & quæ primo congreſſu refelli facilè poſſunt, omiſſis. Affectus demum, & motus animorum, graviores utique debent eſſe; & pro ſceleris atrocitate vehementes: non tamen unquam ſanguinaria voluntas iis exprimenda; nec capto, & undique circumvento reo muliebriter inſultandū: ſed ita agendum; ut ſolo criminis odio; ſolóque juſtitiæ,
Re-

Reiquepublicæ amore conciti videamur.

EXPOSTULATIO eſt de accepta injuria querimonia, vel querela, eam exponens; & ſatisfactionem, quà expreſsè, quà tacitè requirens. Differt autem Querela à Querimonia: quòd illa ſit inferioris precibus, & lachrymis miſerationem, & auxilium implorantis: Querimonia verò ſit majoris, vel ſaltèm æqualis; non ſine aliquo ſtomacho, & indignatione. In utraque primùm modeſtè oſtendet expoſtulator; quanti ſemper fecerit eum; de quo queritur: curabitque ſimul auditoris (ſive læſor ſit; ſive alter) captare benevolentiam. Tùm exponet injuriam patienter receptam; præmiſſa (ſi opus videbitur) veniæ petitione: & vel nulla, vel breviſſima probatione confirmabit: ut ad amicam potiùs animi patefactionem; quàm objectionem criminis pertendere videatur. Demonſtrabit, non aſſuiſſe; cur eam meruerit: ſed gratis eam ſe paſſum. Simulabit, ſe (annuente, vel reluctante ratione) velle credere; inadvertentia id factum, aut alia innocenti cauſa potiùs; quàm lædendi voluntate: quapropter à priſtina amicitiæ lege, ne latum quidem unguem, receſſurum. Precabitur denique Deum, vel Principes; ne ſimile quid in poſterum permittant: læſorénque ipſum; ne denuò id contingere patiatur. Quod verò maximè in hujúſmodi Orationibus cavendum, eſt: ne levi ex cauſa, aut frequenter aſſumatur: illiberalis enim, & muliebris eſt animi querula illa calamitatis imbecillitas, tædium auditoribus ingenerans, & mœſtitiam; imò & horrorem. Undè tranquillam cupienti degere vitam præcipit* Seneca: ut vitet comitem perturbatum, & omnia gementem. Deinde habenda ratio expoſtulantis; injuriarum; & eorum, apud quos eſt Expoſtulatio. Gravis enim expoſtulator, & magnanimus, non ulceraturum ſe debet oſtendere amicum; ſed ſanaturum: eximiánque neceſſe eſt præſeferat tolerantiam; qua appareat; eum, non ſine aliquo ſui detrimento, pluries diſſimulaſſe; plura tuliſſe; nec pauca nunc generoſo ſupprimere ſilentio; quòd non ſui cauſa dicat; ſed honeſti, vel alienæ utilitatis. Exemplum autem Expoſtulationis apud ſuperiorem exhibet Aleonoræ Angliæ Reginæ Epiſtola centeſima quadrageſima quinta, ad Cœleſtinum Papam. Apud æqualem verò Philippica prima Ciceronis.

de tranquil. l. 1.

EXPROBRATIO concitatior eſt, & acrior Expoſtulatio, beneficiorum immemori ob oculos eadem reponens, non ſine ſtomacho, & indignatione. Neque ſemper finem habet ingrati animi reſipiſcentiam: ſed ut plurimùm ſolo contenta eſt improperio. Quæ verò exprobrans præſtat, hæc sũt. Oſtendit; ſe jugiter conſueviſſe ſolo amicitiæ ſtudio benefacere: nec unquam repenſam optaſſe gratiam: quin & pluries ingratitudinis quædam ſigna diſſimulaſſe. Quia tamen hæc nimiùm in eo, quem affatur, proceſſit; improperandum tandem; ne ſuo crimine inſoleſcat: cùm præſertim ſtomachari neceſſe ſit. Appellat ipſam rei conſcientiam: ut, quæ à ſe receperit bona; quæque rependerit mala, reminiſcatur: quæ & interim ipſe, amentatas vibrans ſententias, ſuggeret; quò vitii turpitudinem primo cognoſcat intuitu, & non ſine dolore condemnet. Utraque, cùm opus eſt, breviter confirmat; aut auget, invicem conferendo. Demum epilogo motus in eo Timoris excitat, ac Verecundiæ; aliúmve peculiari ſuo fini conſentaneum. Exemplo eſt apta Macedonis Alexandri apud * Curtium Oratio ad milites *lib.* 10. miſſionem audaciùs flagitantes.

OBJURGATIO mitis eſt quædam reprehenſio à ſuperiore ferè ſemper ad inferiorem paterno animo directa, emẽdationem intendens peccantis. Gravitatem proinde requirit in objurgante: quam modò comitetur amor; modò ſeveritas. Sunt enim varia corrigendorum genera: aliique cervicoſam habent, & perfractam mentem; pavidam, & mollem alii: ut niſi primos vulneres; ſecundos lenias; utroſque ſis perditurus. Cauſam primùm exponere, quæ amicum ſemper animum ad objurgandum impellat, opportunum: ut quòd res acerba inexpectatò contigerit; quæve in apertũ diſcrimen publica, privatáve adduxerit negotia. Exponetur deinde crimen moderata ſatis amplificatione auctum; variiſque refertum ſententiis; ut Commoratione, Hypotypoſi, Admiratione, Dubitatione, Interrogatione, ſimilibuſque vim afferentibus. Lenietur demum Oratio amoris ſignis; animorum ſiquidem aucupiis potentiſſimis. Sunt autẽ ejúſmodi ſigna preſertim Excuſatio criminis: ac Spes veniæ; & totius culpæ oblivionis. Exemplum dabit Scipionis Oratio apud Livium.

SA-

Digitized by Google

SATYRA tectim reprehendit; & ſali piper immiſcet. Neceſſaria præſertim eſt; ubi rerum, perſonarúmve circunſtantiæ liberam reprehenſionem non permittunt. Sed tamen nonniſi urgente neceſſitate adhibenda, ex hoc ipſo; quòd Oratoriæ auctoritati, ac libertati non parùm detrahere videatur. Cautè tractanda eſt; ne in maledicentiam, aliúdve affine degeneret vitium: atque (ut dicitur) attentè procedendum in lubrico. Objurgationis ſervat leges, ac methodum: omnia tamen Ironiis contegit; argutiis diſtinguit; depingit Hypotypoſibus; nec rarò leporibus lenit; cuncta ad mediocrem erubeſcentiam; cuncta dirigens ad emendationem.

INVECTIVA mordaciùs, acriúſque perſtringit: ut infamiæ notam detectam velle videatur. Duplex habet objectum: res ſcilicet; aut Perſonas. Perſonas quæ vulnerat; rariſſima debet eſſe: nec unquam uſurpanda; niſi in hominem pervulgatæ infamiæ, deſperatæque improbitatis. Aptæ proinde ſunt Invectivæ D. Nazianzeni in Julianum; D. Hilarii in Coſtantinum; Demoſthenis in Ariſtogitonem; Ciceronis in Antonium, Piſonem, Catilinam; & aliæ. Res quæ impetit; in vitia plerunque vibratur: ut terrorem aliis; vitiorúnque inurat odium ſempiternum. Initium utriuſque viam ad criminis magnitudinem aperit: ſive ab excuſatione excādentis animi; quem ſecùs mitem ſemper habuit Orator: ſive à momento Cauſæ: ſive ab aliis feriendæ perſonæ criminibus; ad id tamen ſcelus non háctenus accedentibus. Crimen indè recenſet Narratio Confirmatione ſuffulta; gravioribúſque, ac vehementioribus aucta formulis: quæ nihil mite; temperatum habeat nihil: ſed furore quodam ingenii; atque Orationis impetu rapiatur. Motus ciet Epilogus pudoris, iræ, indignationis, invidiæ; & cæteros, quos criminum atrocitas promeretur.

COMMINATIO duras arietibus impetit frontes: & Invectivæ minas addit, timorem illatura. Incipit non rarò ex abrupto: & velut ex inopinato aggreditur. Facinus (quod clariſſimè exponit) amplificat; augétque uſque ad Hyperbolem: ut vel ejus cogitatio; vel ejus ipſa ſuſpicio horribilis judicetur. Ad inevitabilia progreditur indè mala: quæque ſcelus proſequentur; ea non tam deſcribit futura, quàm

quàm præſentia ad evidentiam uſque demonſtrat. Quæ omnia conciſum appetunt dicendi genus, contortum, acre, concitatum, ſententiiſque gravibus redundans. Epilogo tamen (ne ex odio profecta videatur) oppoſitam imminentibus malis ſoſpitatem optat: hortatur ad reſipiſcentiam; atque viam aperit emendationi.

PATROCINATIO ſpecies eſt defenſionis directè Criminationi oppoſita: ac juxtà fori leges reum excuſans. Huic apprimè vacare priſci conabantur Oratores: cùm pietatis, animique lenis faciat indicium. Nobis tamen ejus in explicādo artificio nō admodùm vacare neceſſe eſt: cùm ſatis actum de hoc ſit; ubi de præceptis defenſionis in genere dictum eſt. Exordium itaque Inſinuatio dabit: vel Initium Attentionem, Docilitatem, ac Benevolentiam; ſive ex propriis Oratoris officiis; ſive ex Clientis virtutibus captans. Narrationem occupabit, modò Facti; modò Nominis; modò Intentionis generalis objectæ refutatio capitibus ſparſa criminationis; purgationiſque Confirmationibus variè cōbinatis. Epilogus precibus, aptiſque affectibus rem claudet omnem.

APOLOGIA à ſubſelliis, & foro libera eſt injuſtæ Criminationis, ac calumniæ Purgatio; voce nonnunquam; ſcripto ſæpiùs occurens. Initium habet defenſionis afferens rationem: nonnullis rerum circunſtantiis delibatis; quibus ad Confutationem faciat apparatum. Succedit huic calūniarum Narratio: quas adverſæ rationes retundunt. Idque triplici diſpoſitione. Primò nanque; ſi, quæ refutanda ſunt, ad panciora redigi valent capita; hæc tantùm, veluti propoſitione, diſcutienda innuuntur. Quod optimè facit Athenagoras, trium flagitiorum infamem de Chriſtianis rumorē eſſe, docens; impietatis ſcilicet; Thyeſtæarum epularum; & concubitus inceſti: quæ ſi falſa; veritati locum apud Imperatores futurum, & innocentiæ, depoſcit. Secundò; plura, & minuta cùm ſunt, quæ opponuntur, quæque refelli oportet; cæſa, abruptáque pugnatur, Oratione ſingula ſucceſſivè referente, ac refellente: quanquam non ſine tranſitionum artificioſo ligamine; licèt in ea re difficillimo. Cujúſmodi apologeticus eſt Joſephi liber contra Appionem minutis calumniam fabulis refarcientem. Tertiò (ut ſcriptis

codi-

codicibus conſuevit) ſeorſim, non modò ſenſus; ſed & verba adverſariorum diſcutiuntur; atque ad veritatis revocantur trutinam. Quod, inter alios, prçſtitere D. Baſilius in Eunomium, & D. Cyrillus in Julianum.

DEPRECATIO poſtremum eſt deſperantis effugiũ Patroni ad Suaſorium multò accedens genus. Sive enim innocens ſit; ſive reus, qui defenditur: quotieſcunque Judex plenam habet poteſtatem ſententiam, præter allegata, probatáque ferendi; nec locus eſt ſolidis rationibus; deprecari præſtat veniam reo, vel miſericordiam innocenti; quàm languidis argumentis tedium, ſtomachum, indignationem irritare. Exordium Orationis hujúſmodi aptè præbere ſolet Inſinuatio. Narrationi vix ullus eſt locus: niſi poſſis breviter enarrando crimen tecta dexteritate minuere. Confirmatio plura reſpicit. Primò nanque animorum diſpoſitionem attendit in Judicibus: ut molles, quietioréſque reperiat; ſive quòd hos eorundem laus dulcaverit; ſive quòd perſonarũ prçceſſerit interpoſitus favor, quibus pudor fuerit aliquid denegare. Secundò in perſona læſa conſiderat motiva, quæ veniam ſuadeant: ut cùm Cicero,* parentem indulgentiam decere, oſtendit; & Cçſareã dignitatẽ clementiam. Tertiò in lçdente merita requirit: eáque, ſive ex dignitate; ut apud Tullium pro Dejotaro: ſive ex profeſſione; ut apud eundem pro Archia: ſive aliundè. Inſuper & excuſationis percurrit capita: ut cùm Tullius idẽ ab ætate Cælium excuſat. Quartò in crimine circunſtantias, quæ id minuere valeant, obſervat: ut cùm Cicerò docet; Dejotarum adductum officio, rogatum ab amicis, accerſitum à ſociis, à ſuperioribus avocatum, variis perturbatum rumoribus, ac fatali quadam neceſſitate abreptum, ad Pompeji partes acceſſiſſe. Quintò veniæ commoda perpendit: ut quòd occultam injuriam potiùs tegat, quàm prodat; qua tamen evulgata, neque mors ipſa rei perpetuùm delebit dedecus: vel quòd correctioni, (cujus non modica viget ſpes) & integrç det locum ſatiſfactioni. Accedunt his affectus: qui vel in lçdente indicãtur; putà doloris, confuſionis, humilitatis, & ſimiles, ob admiſſum crimen: vel à Patrono exprimuntur; putà adjurationis, obſecrationis, & ejúſmodi: vel excitantur in Judice; putà miſericordiç, clementiç, & quç id generis: omnes ta-

pro Ligar.

tamen pro rei, pro dicentis, pro Iudicis dignitate.

CAPUT III.

DE GENERE DELIBERATIVO.

3. Rh. 18. DIfficillimum, teſte * Ariſtotele, Rhetoricæ artis opus; ſed omni utilitate; neceſſitate, penè dixerim, omni; honoris inſignibus omnibus celeberrimum præſens continet genus. Utilitatem enim ſi inſpicias: quid eo utilius? cujus armis de hoſtibus Pericles antè triumphavit in foro; quàm in campo: Demoſthenes ferè Græcos judicandi ſpoliavit libertate: Catilinam fregit Tullius; ac Rempublicam à flammis, à cęde, ab exitio liberavit. Neceſſitatem ſi conſulas: præſtò tibi veterum conſtans opinio hoc unum ad inflectendos, & regendos animos pręſidium arbitrantiū. Præſtò tibi Moyſes; cœleſtibus licèt prodigiis confirmatus: legationem tamen à Deo ſibi impoſitam reformidans; donec audiret: * *Aaron Frater tuus Levites, ſcio, quòd eloquens ſit. Ipſe loquetur pro te ad populum; & erit os tuum*. Præſtò myſticus ille * Ariſtidis apologus: ex quo nudum, & inermem hominem univerſa cùm penè animalia multis præſtātia partibus variis excruciarent angoribus; cùnque prę conſilii inopia ipſi belluarum more inter ſe tumultuarent homines; conditionem hanc miſeratus (Promethei quoque accedente gratia) Rhetoricam ſub Mercurii comitatu Jupiter in terras miſit lectiſſimis duntaxat, ac generoſiſſimis elargiendam ingeniis; qua cæteris præſtantes reliquos eloquenti conſilio mereantur. Si ſpectes honores: hìc tibi Phalereus Demetrius: cui poſt Athenienſem Rempublicam magna in primis gloria adminiſtratam; ſtatuas trecentas, & ſexaginta quinque, erexerunt Athenæ. Hìc Gorgias Leontinus: cui non, ut aliis, aurata; ſed aurea fuit extructa. Hìc Numerianus adoleſcens Imperatoris Cari filius: cui Romæ ſtatuam ſculpſit Senatus hoc inſignitam titulo: *Numeriano Oratori potentiſſimo*. Hìc Proęreſius: cui Senatus idem alteram dicavit ſtatuam hoc ornatam lemmate: *Regina rerum Roma Proęreſio Regi Eloquentię*: quin & precarii muneris petendi

Exod. 4. (margin, beside "nec audiret")

Orat. 2. (margin, beside "mem hominem")

ſeddi copiam cùm ei feciſſet Conſtans Imperator; non paucas inſulas, nec exiguas, vectigales fieri petenti in pendendo Athenis frumento donavit; Caſtrorúnque eidem adjecit præfecturam, primariam utique dignitatem. Hìc Herodes Sophiſta: qui Conſulatum bis geſſit: tantáſque contraxit opes; ut ſtudia, & theatra ſuis ſumptibus populo ædificaret. Hic demum Piſiſtratus: cujus Oratione capti, Regium ei permiſerunt Athenienſes imperium; Solone licèt reluctante...

Eſt autem generis hujus munus; quę recta ſunt; quæ utilia; quæ prudentiæ conſona; ad ea conſultationibus, ſuaſione, cohortationibus inducere; ab oppoſitis verò retrahere. Indè nomen multiplex eſt ſortitum. Dicitur nanque Deliberativum; quòd liberas hominum dirigat deliberationes: Suaſorium ex fine, quem habet, ſuadendi, vel diſſuadendi: Civile; (quod ſibi cum Judiciali partitur nomen) ſive quia Romani locum & huic in Curia dedere, ubi civiles agebantur Cauſæ; ſive quia non ad communitatem modò, ſed & ad ſingulares plerúnque cives dirigitur: Concionale; quia ad populi frequentem cœtum, conventúnque apud Græcos habebatur; undè & ab Ariſtotele dicitur Eccleſiaſticum; Eccleſia nanque Græcè, latinè cœtus exponitur.

Ad hujus igitur generis Orationes dirigendus nobis nunc eſt Rhetoricæ candidatus. Nec incongruè poſtremum occupabit locum; quod (rude licèt, & adhuc impolitum) antiquiora cæteris habuit primordia, cum ipſis hominum cœtibus natum, cúnque primis ſocietatum veſtigiis adultum. A levioribus ſiquidem ad graviora fuit ducendus Orator; quem ſummæ dignitatis genus Oratoriis omnibus perfectum debuit muneribus reperire. Quid enim hoc amplius genere? quid præſtantius? quod inconſtantis plebis mētem clavo regit: Principibus jura pręſcribit, & leges universæque Reipublicæ moderatur. Proinde inquit * Cicero: *Suadere aliquid, vel diſuadere, graviſſimæ mihi videtur eſſe perſonæ: nam & ſapientis eſt conſilium explicare ſuum de maximis rebus: & honeſti, & diſerti; ut mente providere, auctoritate probare, Oratione perſuadere poſſit*. Cujus notæ non contemptibile ſpecimen Solon dedit; ante cujus ætatem de nullo diſerto memoriæ proditum eſſe, Cicero * teſtatur. Hic

2. de Orat.

Brut.

enim, cæterò melleus, ac ſuavis; ut in ejus ad Crœſum Re-
Plut. in Sol. gem * Oratione conſpicitur: cùm tamen fuit opus; conſtantem, virilem, ac timore immunem, non Orationem modò; ſed & animum prodens; Piſiſtratum * ſatellitio Tyrannidis,
Diog. Laert. in Sol. & Plut. Græc. hiſt. 1174. & Senatus favore fretum, concione libera ſemper, & concitata, ad forum armatus accedens, aggreſſus eſt; cujus illud initium: *Viri Athenienſes: aliis quidem ſapientior; aliis ſum fortior. Sapientior enim illis ſum; qui Piſiſtrati conatus non animadvertunt: fortior autem iis; qui ſciunt illos quidem; ſed metu ſilent.*

RUDIMENTUM I.

De ijs, quæ Deliberativum exquirit Genus.

INVENTIO, præter omnes, quos in primo diximus libro, peculiares in hoc genere locos habet: quibus fortiùs, quàm aliis innititur: & ad quos, veluti ad ſcopum, argumentorum omnium jacula diriguntur. Cùm autem quęlibet voluntas bonum ſibi præfigens aſſequendum duos (ut Philoſophi loquuntur) includat actus: alterum, quo boni proſecutionem decernit; alterum, quo præcedens exequitur propoſitum: duas partiar in claſſes generalia hęc locorum capita. Quæ igitur in objectum amorem acuit, Bonitas, in Jucundo, & Honeſto continetur. Quæ verò hanc proſequenti ſtimulos addunt aſſecutionis; Poſſibilitas ſunt; Facilitas; & ad finem alium Utilitas; & aliquando etiam Neceſſitas.

ad Alex. 1. 1. Rhet. 25. Jucunda ſunt; (inquit * Ariſtoteles) *quæ afficiunt gaudio.* Gaudium verò, ſeu voluptas, ex * eodem, eſt ſubita, ac ſenſibilis animi inſtauratio ad explendam naturam. Eſt propterea Jucundum, quidquid ad naturæ exigentiam accedit: & quidquid juxtà conſuetudinem; quæ ſimilitudinem habet quandam cum natura: & otium, ac quies; ceſſatio nempè à moleſtis, violentiſque naturæ. Quia verò dupliciter natura conſideratur hominis; quatenùs ſcilicet animalis eſt, brutiſque animantibus communis; & quatenùs rationem prædit, ac libertate: utrivis cōſentaneum quod eſt, inter Jucunda numerandum. Jucunda ſunt itaque, ſitienti potus: auribus melos: nectar guſtui: oculis pulchritudo; ſuaves

utique

ſitique lucis temperamentum. Jucunda quoque memoriæ recordatio: voluntati bonum: & intellectui novorum, magnorúnque, ad admirationem uſque, cognitio; ac veri cõtemplatio; in qua, ceu perfectioris potentiæ bono, humanam agnoſcit Philoſophus Beatitudinem. Quin & prædominantibus cupiditatibus quidquid congruit, Jucundum dicitur: licèt depravato mentis judicio. Undè irato Jucunda eſt ultio; *Dulcior effuſo quæ melle in pectore gliſcit;* ut quidam cecinit:& in fletibus quædam inhæret voluptas. Ex his igitur omnibus aptiora ſeliget prudens Orator: ut, quæ ſuadere conatur, Jucunda, & naturæ oſtendat conſentanea; ejus, cui congruunt, indigentiam præſentem, futuránque exaggerans delectationem. Sic Magnus Carolus Aquas Sextias obſidens, caſtra in arido loco data fixit opera: poſcentibúſque militibus extremæ ſiti remedium, urbem indicans, ajebat: *Viri eſtis: illuc habetis aquam.*

Honeſtum veram habet jucunditatem: ſive in ſe id; ſive in ſuis effectibus contempleris. Eſt enim Honeſtum nobiliori hominis parti, rationi ſcilicet, conſentaneum: atque (ut Ariſtoteles * loquitur) *Honeſta ſunt; ex quibus ſplendor aliquis, atque illuſtris honos in eos, qui aliquid geſſerint, emanaturus ſit.* Hæc prudentis conſilii finalis meta: hæc prudẽtum omniũ regula deliberationum. *Una hæc via eſt ad tuta vadenti: & externa deſpicere; & honeſto contentum eſſe*: Philoſophus inquit Seneca. Quidquid igitur honorem parit, & gloriam; ſuadendũ: quidquid dedecus infert; diſſuadendum prudens aſſumet Orator: alterúnque rei, ad quam urget, vel à qua retrahit, ineſſe demonſtrabit. Quoniam autem verus honor à virtute progreditur; nulláque præter eam ſolida gloria: virtutem ob oculos, contrariúnque vitium jugiter habeat: modò advertat; ſegniùs ſerviles quoſdam animos à virtutis allici bono; quàm à timore infamię coerceri. Hinc * Tullius Romanis ajebat: *Et quoniam ſemper appetentes gloriæ, præter cæteras gentes; atque avidi laudis fuiſtis: delenda eſt vobis illa macula Mithridatico bello ſuperiore ſuſcepta &c.*

* ad Alex. 1.

* pro Pomp.

Poſſibile debet id eſſe; de quo initur conſilium; quódque eſt deliberandum: non enim, niſi de futuris ab humana pendentibus voluntate, genus hoc differit. *Delibera-*

1. Rh. 6. *tioni futurum tempus datur* (inquit* Stagirita) *qui enim deliberat, de futuris deliberat.* Et apertiùs* Cicero poſſibilitatem rei, quæ ſuadetur, requirit: *Prima ſunt ſuaſori, aut diſſuaſori videnda: quid aut poſſit fieri; aut non poſſit: & quid neceſſe ſit; aut non neceſſe: nam & ſi quid effici non poteſt; deliberatio tollitur; quamvis utile ſit.* Quare ſemper bonorū ſpem erigit Orator; etiam ſi ardua res ſit, quam ſuadet. His ad arma in Antonium excitat pro Reipublicæ libertate

Partit.

Philip. 3. dicens* Tullius. *Videtisne refertum forum? Populum Romanum ad ſpem recuperandæ libertatis erectum? qui longo intervallo, cùm frequentes hic videt nos; tum ſperat, etiam liberos conveniſſe.*

Partit. Facile videtur ad Poſſibile Cicero* reducere: ait enim; *Cùm autem queritur, quid fieri poſſit; videndum eſt etiam, quàm facilè poſſit: nam quæ perdifficilia ſunt, perinde habenda ſæpè ſunt; ac ſi effici non poſſint.* Facilitatem verò oſtendunt, non modò rei natura; ſed & circūſtantiæ: ſive harum ſeorſim inſpiciatur conditio: ſive quęlibet cum obſiſtentis imbecillitate conferatur. Sic deliciis fracto Catilinæ, effeminatiſque proditionis ſociis firmiſſima Tullius* opponit

Catil. 2. Romanorum pręſidia: *Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: & primò gladiatori illi confecto, & ſaucio Conſules, Imperatoreſque veſtros opponite: deindè contra illam naufragorum ejectam, ac debilitatam manum florem totius Italiæ, ac robur educite.*

Utile, eique oppoſitum Pernicioſum deliberanti finem eſſe, docuit* Ariſtoteles: quem & Cicero;* & plures alii

1. Rh. 3. ſunt ſecuti. Licèt enim quod in ſe bonum eſt; quod jucun-

Partit. dum; quod honeſtum; finis ſit ultimatus auditoris: ſatiſque oſtendere, honeſtam rem eſſe, aut jucundam; vel econtrà; ut is, aut proſequatur, aut fugiat: id tamen docere, Philoſophi potiùs eſt; quàm Oratoris. Ex duobus verò incompoſſibilibus bonis, quod rationabilius eſt, ſuadere renuenti, ò quàm difficile! ni dicam impoſſibile. *Trahit enim ſua quenque voluptas.* Fecitque experimentum fugientium Iſacidum faſcinatio; non eloquentiſſimæ ſolùm divinæ locutionis; ſed & potentiſſimæ prodigiorum vocis ſuaſioni reluctantium: donec tandem eos dimiſerit Deus

Se-

* *Secundùm deſideria cordis eorum: ut irent in adinventionibus ſuis.* Arguti igitur Oratoris munus erit dignoſcere ad quod ex veris bonis auditoris aſpiret animus; atque ad hunc finem, ceu media, dirigere quæcunque ſuadere conatur. Inde totum ſuadentis erit ſtudium utilitatem oſtendere; vel perniciem eorum, de quibus dicit. Cujus ſumma vis eſt ſuaſionis: naturali cujuſque amore à noxiis ingenito fugiente ſtimulo; ad proficua verò, vel inter ardua, innato pondere deflectente. Ipſa enim natura dictante, vulnus ſibi luculentius aperit orcynus: modò, quo captus eſt, hamum extrudat. Ipſique veneno infectum membrum, ne cordi virus communicet, (ſummo licèt dolore) nobis abſcindi patimur. Quapropter hæc in Antonium urget * Cicero: *Noſtis inſolentiam Antonii: noſtis amicos: noſtis totam Domum. Libidinoſis, petulantibus, impuris, impudicis, aleatoribus, ebriis ſervire, eſt ſumma miſeria, ſummoque dedecori conjuncta.* *Pſalm.* 80. *Pbilip.* 3.

Neceſſarium non id conſultationis eſt capax; quod ſecùs eſſe omninò non valet; atque (ut definit Tullius) *cui nulla vi reſiſti poteſt*: niſi fortè ſuadere velis Auditorem; ne conetur in oppoſitum; neque impoſſibilem ejus ſuſcipiat evaſionem. Quis enim unquam deliberet, de non aliquando moriendo; cùm id neceſſe ſit? aut quis conſulat, ſitne gdies occaſurus? Eſt igitur Neceſſarium hujus proprium loci; ſine quo finis acquiri nullo valet modo: quod nempè vocat Cicero, *id, ſine quo ſalvi eſſe non poſſumus*. Hoc non ad utile ſpectat, ut Fabius * contendit; ſed ſupra utilitatem, unicè hanc eſſe, commoſtrat; quæ ad appetitum conducat boni. Hujúſmodi locum ſic urget * idem Orator; ut ad bellum inducat in Antonium: *Agitur enim, non qua conditione victuri: ſed victurine ſimus; au cum ſupplicio, ignominiaque perituri.* *inſt.* 3. *c.* 8. *Pbilip.* 4.

ELOCUTIO, quemadmodum in aliis, in hoc quoque genere affectus excitat, acuitque ſtylum. In utriſq; tamen prudenter cavet; ne detegat artificium: ita ut ſimplici videatur agere Minerva. Idque præſertim, ubi cum majori eſt agendum: quandoquidem hic (ut Dionyſius* ait) *Succèſſet; ſi, quaſi puer imprudens, à callido Rhetore minutis figuris inducatur: & in contemptum ſui ſucatas probationes inter-* *de Celſ.*

terpretatus, ſæpiſſimè totus efferatur.

Affectus ei præcipui tribuuntur, amor, deſiderium, ſpes, timor, odium, deſperatio: ad quos apprimè faciunt energiæ, evidentéſque deſcriptiones. Undè * Philippum Regē Athenarum incenſurus deſiderio legatus Demades, urbem ei delineavit in menſa. Tullius * verò in Antonium excitaturus odium; ejus ſic trucem depingit animum: *Nullus ei ludus videtur eſſe jucundior; quàm cruor; quàm cædes; quàm ante oculos trucidatio &c.* Reverà tamen unicè ferè in omnibus deliberantium eſt attendendum genio: eorúnque ſenſus, & animus intimè inſpiciendus; cum quibus res agitur. Natura ſcilicet; inſtitutio; motus; paſſiones; & adjuncta quæque perquirenda. Sagaciſſimi quippe ducis munus eſt obſeſſæ urbis omnia preluſtrare loca: ut, quā debiliorem viderit partem; in eam impetum congerat.

Hermog. de Invent. l. 1.
Philip. 4.

Stylus verò Gravis in primis eſto, majeſtatem habens, & amplitudinem, quæ probum, ſapienténque virum deceat. Compoſitionem modò periodicam habeat; modò conciſam; ut varia materia erit: nunquam tamen nimis fluentē, & ambitioſiùs effuſam; ſed laciniis, ut acies expoſcit, ſuccinctis, ad pugnam aptam: nec unquam econtrà nimis fractam, turbidam, furioſam. Verborum à fucis, & affectata magnificentia removeatur: atque (ut Cicero loquitur) ſententiis ſit ornatior; quàm verbis. Sententiis demum redundet; urgeátque argumentis: hæc enim arma ſunt; quibus in Oratorio campo victoria captatur. *Nos verò*, inquit * Fabius, *armatos ſtare in acie, & ſummis de rebus decernere, & ad victoriam niti.* Figuras vehementiores habeat; & graviores: quæque ſimul ornent; & vincant. Ne ſitu, ac rubigine ſqualleant arma: ſed fulgorem habeant; qui terreat tamen: qualis eſt ferri; quo mens ſimul, viſúſque perſtringatur: non qualis auri, argentique, imbellis; & potiùs habenti periculoſus. Lacertoſus demùm (ut verbo compleam) ſit, & virilis: non ad ſolam compoſitus voluptatē; & nervis carens: quem ſpadonibus aptè comparatum ſic Quintilianus * laceſſit: *Sed mihi naturam intuenti, nemo non vir ſpadone formoſior erit: nec tam averſa videbitur ab opere ſuo providentia; ut debilitas inter optima inventa ſit: nec id ferro ſpecioſum fieri putabo; quod, ſi naſceretur, monſtrum erat.*

inſt. 10. c. 1.
inſt. 5. c. 12.

erat. Libidinem juvet ipſum effæminati ſexus mendacium: nunquam tamen continget malis moribus regnum; ut ſiqua pretioſa fecit; fecerit & bona. Quapropter Eloquentiam licèt hanc libidinoſam reſupina voluptate auditoria probent: nullá eſſe exiſtimabo.

PARTES huic generi ſolùmmodo tres plerique concedere geſtiunt: Exordium ſcilicet; Contentionem; (quæ ex Confirmatione, Confutationéque coaleſcit) & Perorationem. Concedunt tamen reverà quatuor: Exordio nanque junctam Propoſitionem volunt. Narrationem verò; quæ ex principalioribus partibus ſit, & ad controverſiæ ſtatum aperiendum inſerviat; omninò reſpuunt Ariſtoteles, * & Quintilianus. * De futuris enim nemo narrat: nec quiſquam id, de quo conſulit, ignorat. Solam itaque admittunt quorundam expoſitionem geſtorum: quæ argumenti vim habeat, & exempli. De his & nos agemus: de Introductione enim, quæ eſſet altera pars, nihil occurrit ſpeciale dicendum. 3. *Rh.* 16. *inſt.* 3. c. 8.

Exordium, ut in Judiciis, non ubique Deliberatiuum genus egere, docuit * Quintilianus: eoquòd conciliatum auditorem ſupponit ei; quem conſulit. Initium tamen quodcunque habere, vult, aliquam Proemii ſpeciem: *Nec enim* (inquit) *abruptè; nec undelibet incipiendum: quia eſt aliquid in omni materia naturaliter primum*. Quin & ſi rem exactiùs intueamur: quanvis non ubique; alicubi tamen Exordio opus erit munera gerente omnia, quæ Judiciale genus expoſcit. Sæpè enim oportet, benevolos ſibi reddat auditores: non ſolùm, ut non ab adverſantium ſuaſione, aut deliberantium averſione prematur; quod maximam neceſſitatem facit: ſed & auctoritatem ut faciat auditoribus. *Valet autem * in conſiliis auctoritas plurimùm: nam & prudentiſſimus eſſe, haberique, & optimus debet; qui, ſententiæ ſuæ de utilibus, atque honeſtis credere omnes, velit*. Quæ modeſta ſui laude Cicero facit pro legibus Manilia, & Agraria. Attentionis conciliandæ tempus præſertim eſt; cùm auditor, levem rem eſſe, putat; de qua dicetur: & tunc (ex Ariſtotelis monito) majorem eam eſſe, demonſtrandum eſt: quod * Cicero ſic facit: *Paruis de rebus, ſed fortaſsè neceſſariis, conſulimur, P. C., &c.* Docilitatem omninò non reſpuit* Tullius; *inſt.* 3. c. 10. *Quintil. ibid* *Philip.* 7. *Partit.*

lius; cùm proponere docet ſuaforem; quâ mente dicat; quid vellit; quibus de rebus dicturus ſit: hortarique ad ſe breviter dicentem audiendum. Ut ſileam: quòd ſacris in Concionibus plerúnque neſciant auditores; quid ex Evangelii verbis ſit aſſumpturus Orator; niſi doceantur. Quovis tamen ex capite ſit neceſſarium: brevius eſſe debet, & gravius; quàm in Judiciis: quanvis eorum cæteras ſervet leges.

Cic. ibid. *Non enim ſupplex, * ut ad Judicem, venit Orator; ſed hortator, atque auctor.* Sedatum quoque ſit: niſi neceſſitas ſummi cogat momenti ad genus illud exordiendi, & vehementi quadam dicendi formula. Id enim exigit neceſſaria dicenti maturitas: id artis diſſimulatio requirit.

Inſt. 3. c. 8. *Cur* (Fabius * ait) *initio furioſo ſit exclamandum; non intelligo: cùm propoſita conſultatione, rogatus ſententiam (ſi modò eſt ſanæ mentis) civili debeat, atque humano ingreſſu mereri aſſenſum deliberatis.* Nónne ſatis artificioſè exordiuntur Cicero, Demoſthenes, & Chryſoſtomus? Hos igitur imitemur.

Propoſitionis artificium omne in danda rebus unitate conſiſtit. Non enim ornamentorum nimis eſt cupida in Propoſitionibus deliberatio. Hinc procul allegorica aſſumpta: procul metaphoricæ translationes. Non ferit gladius; niſi nudus: nudus quoque luctator accedit; ut vincat. Ubi ſpecies eſt belli; ludi permittuntur: at ubi ſanguine madet acies; acie jugulum eſt impetendum. Sed non ob id morem improbo quorundam Sacræ Eloquentiæ athletarum allegorias in aliquibus Quadrageſimæ Concionibus adhibentium: fortè, ne ſepiùs diſcuſſam veritatem averſus hominum formidet animus. Id tamen optarem: ne toti translationis applicationi inſiſtentes; totam Metaphoricã (ad improprium nempè munus translatam) aſtruant Orationem. Eligant proinde eos tropos, eóque novitatis velo Propoſitiones tegant, quæ non retundant ictum: ut vel leviſſima impreſſa vi, feriant, obſtinatiorem ſanguinem extractura.

ad Alex. 3 1 Confirmatio, ex * Ariſtotele, hos præſertim frequentat locos. Primò dicentis opinionem: ſi tantæ is auctoritatis ſit; ut fidem faciat. Secundò conſuetudinem. Tertiò, vel auditoribus tempore, aut loco proxima; vel ſaltèm famoſiora, maximáque exempla, ex geſtis facienda probantia; quæ

quæ huic potiſſimùm apta ſunt generi: nec non & congruentes ſimilitudines. Quartò ſententias; quæ non plenam modò; ſed & partialem quamlibet terminare poterunt probationem. Commorationes; ſive in adverſarium; ſive de ſe ipſo; ſive ad movendos affectus; in deliberationibus minimè omnium reperiuntur: cominùs enim ſtrictóque pugnandum eſt gladio: *Niſi quis* (ut inquit * Ariſtoteles) *3.Rh.18.* *à Cauſa diſceſſerit: quare debent hæc tantùm fieri; cùm alia non habet Orator; quæ dicat.* Neque reperibilibus cunctis argumentis obruatur auditor: ſed quædam (non tamen ex validioribus) relinquantur; ad quæ proprio Marte is valeat pertingere; ut Demetrius * monet: propriis enim in- *Partic.*125. ventis faciliùs credet, & adhærebit. Eſt igitur hujus generis ſermo ſimilis umbratili picturæ: in qua, quantò major fuerit eorum, quæ picta ſunt, turba; eò longiùs ſpectatur. Undè, quæ exquiſita ſunt; in utriſque, & ſupervacanea, & deteriora videntur.

Confutatio tùm adverſarii ſuaſioni; tùm etiam auditorũ tacitis objectionibus occurrit: & exempla exemplis; rationes rationibus opponit robuſtiores. Id probè ut fiat; ſat erit Judiciariè defenſionis leges imitari: ut modò ſubrepentibus; modò apertè irruentibus impetatur confutationibus: quarum plenæ exemplis Demoſthenis Orationes. Quin & univerſim quodcunque Judicialis generis artificium, & huic aptare poterit; quiſque ſe; modò actoris, modò rei Patronum imaginabitur; non hominis quidem; ſed Cauſæ: vel ſi hominis; ejus utique; cui noxia ſit res, de qua agitur; vel profutura.

Perorationem, quantùm ad munus enumerandi, non ſæpè eſſe neceſſariam ſuaſori, Cicero * docuit: fortè quia ſuadentis eſt paucis confirmare ſimplicem propoſitionem. *Partit.* At verò ſi mixta ſit Propoſitio; ſi plures diſſecta in partes; ſi ex multiplici deducta cauſa; quis enumerandum eſſe negabit? En ipſémet * ſua ſic concludit, rationes innuens, *Philip.*3. ſententia: *Quas ob res: quòd Tribuni plebis fecerunt; ut Senatus Kal. Jan. tutò haberi; ſententiæque de ſumma Reipublicæ liberè dici poſſent: de ea re ita cenſeo; ut &c.* Et hoc certiſſerè ſemper in ſacris requiritur Concionibus: in quibus plures ſuggerit materia probationes. Quantùm verò ad affe-

ctus; ea commotio decet; quæ totius Orationis themati conſentiat. Si enim Jucundam rem propoſueris; amorem, & deſiderium excitabis; ſi Utilem; ſpem, vel audaciam; & ſic de cæteris. Id tamen locum non videtur reperire privatis in conſultationibus: niſi ad familiarem aliquem, qui in aperto verſatur diſcrimine, dirigantur. Cæterùm Superiores cùm alloquimur; ac veluti rogati noſtrum exponimus conſilium: potiùs noſtri excuſatione (non affectata tamen) perorandum; qui dicere auſerimus; nihil tamen iis protulerimus dignum. Sic D. Joannes Chryſoſtomus: * *Sed videor nimis extendere conſilium. Tu verò in cauſa es: qui mihi perſuaſiſti, meque provocaſti: ut quemadmodum in lucta præſtantiores infirmioribus confidentes, interdum iis perſuadere ſolent, ut ſe credant eſſe fortiores; ita & tu videris, quæ meliùs ipſe noſti, mihi, ut minùs ſcienti, ſcribenda impoſuiſſe.*

Or. de exerc. dicendi.

RUDIMENTUM II.

De Speciebus Deliberativæ Orationis.

PRimùm genus hoc in Suaſionē, Diſſuaſionémque dividitur ex communi Rhetorum mente. Undè non parùm miror: quomodo Moguntini Patres ſuo in Eloquentiæ Palatio * inter peculiares ſpecies has recenſuerint: cùm ſint generalia capita. En * Ariſtotelem. *Deliberationis autem duæ ſunt partes: altera Suaſio: altera Diſſuaſio. Nam & qui privatè de re aliqua deliberant; & qui publicè concionantur; ſemper horum alterutrum efficiunt.* Quid, quæſo, dici clariùs potuit? Ad has igitur, tanquam ad ſubalterna genera, nonnullas, quæ ſuperſunt, ſpecies reducemus.

Exerc. 9. lect. 4.
1. Rh. 11.

CONSULTATIO ſolùm docet; quid faciendum ſit: fiat verò, nec ne; parùm curare videtur. Requirit, ex Ariſtotele, primò dignitatem, & reſpectum ad eos; quibus datur conſilium. Humiliùs nanque cum Rege, vel Superiore agendum: quibus, quidquid poſſibile eſt, deferendum obſequii, ac dependentiæ; ne ad noſtram ſe trahere mentem velle nos, credant. Non tamen ideò palpantibus, & ad aſſentationem compoſitis verbis adulandum: quod Oratore indignum. Secundò proprios quoſque affectus depoſuiſſe credatur, qui dat conſilium: & eorum induiſſe; qui

de

nde ſententia rogant. Facilliùs enim ſe ei adjungunt, quem ſciunt utilitatis ſuæ, & commodorum ſtudioſum. Undè Cæſar apud Saluſtium dicebat: *Omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, ira, amicitia, atque miſericordia vacui eſſe debent*. Tertiò totum perluſtraverit mente negotium, locique, temporis, ac cæterarum momenta rerum diligenter expenderit: ut ſcienter in utranque diſputet partem. Quis enim medico fideret non artis ſuæ præcepta, non morbi indicantia callenti? Quis nauclero ratem committeret, non polos, non littora, non portus, non ſcopulos agnoſcenti? His itaque ſervatis; cæteras Suaſionis ſequatur leges conſultus Orator: quam Enumeratione potiùs; quàm affectibus claudet, ut ſuprà dictum eſt.

HORTATIO inflammans Suaſio eſt, ac vehementior. Undè Suaſionis eam Epilogum citari Moguntini Patres facilè dicerent: licèt immeritò. Non enim ſatis eſt hortatori conſilium aperuiſſe ſuum; & quid ſit optimum factu, docuiſſe: ſed ſtimulos admovet, quibus, vel difficultate, & periculo deterritos; vel retardatos ignavia; vel otio torpentes ad opus impellat. Duobus proindè totum Hortationis equè conſtat robur: rationibus; & affectibus. Rationes præcedere omninò debent: ne ignem veluti crudo ligno nitaris ingerere reluctanti; & in aquas, ac fumum abeunti. Nunquam enim frigidum Drancem ad prælium incitabis: niſi paulatim foveris alternatis affectibus, & argumentis. Non tamen multùm argumentoſa, effluénſque prolixis rationibus ſit Exhortatio: ſed paucas habeat; vivas tamen, & igniarii chalybis ictibus ſimiles; quæ ſcintillas explodât figurarum deinde ventilatione in flammas abituras. Affectus autem animorum temperamento aptandi: Paucioribus etenim opus eſt verbis apud quoſdam (ut Plotinus vocat) *ſulphuratos*; qui ſtatim flammas concipiunt, & incendia: ſegnibus verò validiùs inſtandum. Alexandrum Timotheus tibicen, bellicum canens, ad pugnam rapiebat: ut eodem ſurgens veſtigio, ad arma proſiliret. Sardanapalum autem (inquit * Dio) deliciis effœminatum nunquam Timotheus, aut Apollo quidem ipſe, de cubili excitaſſet: ut abjecta muliebri conſuetudine, ferro ſe accingeret. Quòd ſi hortator egregiè ſit auctoritatis: rationibus parcè licet uti; tempera-

Or. 1. de regno.

peratóque motuum calore : niſi temporum, & diſcriminum ratio ſecùs expetat. Gradus enim ipſe, & auctoritas, potentiſſima ſunt ad animos feriendos:atque(ut ait Tacitus) *Exhortatio ab eo, qui jubere poteſt, vim neceſſitatis affert.*

DEHORTATIO parem fermè habet induſtriæ rationem; ſed per contraria loca verſatam ; niſi quòd animum, oppoſita Cohortatione perculſum, in contrariam retrahere debet partem; præconceptum, ſi quis eſt, ardorem reſtinguēdo. Difficillimum ſanè opus, profundum paſſim mederi vulnus: ſed, quia difficile, ardentiùs proſequendum. Duplici igitur utendum inſtrumento in contagioſioribus curandis vulneribus adhiberi conſueto : igne ſcilicet ; & ferro. Ignem adhibet; quivis eundem, quem reperit, ardorem auget ; ſed in adverſam applicat partem : ut cùm Cicero de lege dicēs Agraria contrà Rullum,ſuccenſos Quirites, quòd putarent ſe gratificantem ſeptem tyrannis, cæteriſque Syllanarum aſſignatoribus, Rulli verò lege Romanis dividi Syllanos agros, inflammat: oſtenditque tamen, eam legem, ne glebam, cuiquam de Syllanis agris adimere; ſed id potiùs agrorum genus impudentiſſimè confirmare. Ferrum verò præmittit; qui ab adverſariis perorata recidere; qui Ironiis obruere conatur : deindè veteratorum hortatorum ingenium, & ad verſutias natum detegit: poſt hæc montes aureos vanè ab adverſariis promiſſos deridet; laboréſque, turpitudinem, pericula, & incertam aleam infructuoſo opponit fini: tùm ad contrariam animi ſuccenſionem,Cohortatoris inſtar, accedit.

CONCITATIO vehementiores hominum affectus, odiū nempè, & iram,ciere pertentat. Et facilè quidem aſſequitur : ſi ſe providum oſtendit ; & pro auditorum re vigilantem : ſi receptam exaggerat injuriam : ſi ejus excutiendæ, vel ulciſcendæ ; ſaltèm aperiat viam. Flagrat enim vindictæ cupidine; & mala irreconciliabili averſatur inimicitia humanum cor. Hanc Orationis ſpeciem trucis animi,perverſæque mentis negotium perpetua dignum oblivione putant communiter Rhetores. Dicam tamen, quod ſentio. Odium ſi meretur iniquitas ; ultio ſi maximis debetur ſceleribus; non ab ea videtur penitùs abſtinendum.

CONCILIATIO ſummas Oratoris exquirit partes : ar-

dua

dua ſiquidem provincia, efferatæ multitudinis furentes animos ſuaſione compeſcere. Exigit ergo in primis in Conciliante præſidium bonæ opinionis; quod hujus faciat ſanctitas, & doctrina: ut verum ſit ſapientis Euripidis * effatum: non omnium perinde hominum valere ſermonem; ſed conceptam de alicujus præſtantia, & virtutibus opinionem momenti plurimùm ad perſuadendum adjungere. *in Hecuba.*
Exigit quoque decoram, & majeſtate quadam (ut Homerus vocat) longè, latéque radiantem frontem. Undè ſolo vultu legiones Actiacas deterruit Auguſtus: adoleſcens adhuc Severus Alexander tumultuantes ita repreſſit copias; ut vultus, & oculorū fulgura nō ferrēt. Druſus quoque à Tiberio miſſus ad ſedandos militum tumultus: (ut Tacitus * refert) vocata concione; quanquam rudis dicendi: nobilitate ingenita incuſās priora; probās præſētia; negās, ſe terrore, & minis vinci; flexos ad modeſtiam, & ſupplices apud Patrem excuſaturum promittens; ad obedientiam reduxit. *Ann. 1.*
Accedit & gratia; atque benevolentiæ ſignificatio. Qua ratione Julius Cæſar ſeditionem cohibuit exercitus, uno vocans verbo ſævientes furore milites: *Quirites*. Adhuc & tempus eſt obſervandum diligenter: neque, ſi dilatio permittitur, debacchanti primo furore turbæ occurrendum; quibuſcunque ex prædictis inſtruentibus præſidiis. Primi enim impetus regi ratione non valent; ſúntque belluarum propriæ: ubi verò deferbuerint; facilè compeſcentur. Indagandum poſt hæc; quę ſit mali cauſa; quique ex affectibus in concitatis animis regnent: illa ut eradicetur; his conſentanea ut neceſſariis miſceantur lenimentis: quod Druſus fecit timorem ſpe temperans ad medelam. Id tamen monendum: ut ad lenia ſæpiùs deflectat Oratio; dulcibúſque verbis, compoſitione, formulis, Orphei lyram imitetur. Quamobrem ad Gallos conciliandos deſtinatus Germanicus Cæſar, aſperiùs cùm ageret, eò devenit: ut clamanti, ſe moriturum potiùs, quàm fidem deſerturum; ferrúnque à latere direptum in pectus ob id deferenti; ſuaderet quidam, ut feriret; quidam verò ſtrictum offerret gladium dicens; acutiorem eum eſſe: nec aliquid obtinuiſſet; niſi ex lachrymabili Auguſtæ, natique Caligulæ effugio pudor ortus, & miſeratio, lenioribus quidem, ſed
aptio-

aptioribus affectibus, animos mutaviſſet.

POSTULATIO de rebus magni momenti eſt: quas, vel à Deo; vel à Principibus petimus; ut fieri in legationibus ſolet. Exordium aliud apertum, & medium; ubi vel res non eſt adeò magna, quæ petitur; vel non magnum Poſtulatorem inter, & eum, à quo poſtulatur, intercedit diſcrimen: aliud ſubmiſſum; cùm longè major, quà dignitate, quà fortuna, is eſt, quem alloquimur: aliud verò tectum, & per Inſinuationem; cùm averſus nimis eſt auditoris animus, & concitatus. Undè Regis Antiochi Legati * veniam à Romanis impetraturi ajebant: *Non tam, quid ipſi dicamus, habemus: quàm, ut à vobis quæramus, Romani; quo piaculo expiare errorem Regis; pacem, veniamque impetrare à victricibus poſſimus*. Propoſitio petitionem exponet, exornabitque: nonnullis de benefactoris liberalitate, & virtutibus præmiſſis. Confirmatio plures habet locos: quos inter petentis, ſi quod eſt, meritum modeſtè propoſitum: ut cùm Rex Eumenes * petit, ſibi à Romanis dari ſuorum præmia laborum. Accedunt rationes toti cõmunes Deliberativo generi; à facili; ab honeſto; reliquiſque locis: quod habet Campanorum Oratio ab eodem Livio * relata. Nonnunquam etiam (ſed rariſſimè tamen) locum habent auctoritas, & minæ; ſi has petentis gradus permittit, & robur: ut cùm Centurio Cornelius Conſulatum pro Auguſto Cæſare exercitus nomine poſcens; vidénſque, ſe remiſſiùs audiri à Senatu; capulum enſis indicans dixit: *Hic dabit*; *niſi dabitis*: quibus & ſuaſionem perfecit. Epilogus demum memorem beneficii pollicetur animum iis dicendi formulis; quæ petentis, quæ auditoris congruunt dignitati.

Liv. l. 31.

Liv. l. 37.

Liv. l. 3.

COMMENDATIO parùm à Poſtulatione differt: differt tamen. Poſtulatio nanque certam rem, & determinatam petit. Commendatio verò certæ perſonæ, quidquid neceſſarium, quidquid futurum eſt commodum, expoſcit: totáque ferè perſonarum innititur laudi; undè & plura à Demonſtrativo genere deſumit. Exordium aliquando excuſationem officii præmittit: ut plurimùm verò liberum eſt. Confirmatio cuncta reperit ab adjunctis rei, temporis, & perſonarum; ſive eius, qui commendat; ſive qui commen-

datur;

datur; ſive ad quem commendatio dirigitur: à commendante quidem, benevolentiam ejus referendo, & merita, à perſona, quæ commendatur, eam ſibi amicitia, conſanguinitate, aliόve ex capite cōjunctam oſtendendo; nec non & laudibus, gratitudine præſertim, dignam affirmando, cui faveatur: ab eo verò, ad quem habetur Oratio, beneficentiam, liberalitatem, & propenſum ad favendum animum exaggerando. Epilogus demum obſecrationes habet: & memoriam beneficii perennem pollicetur. Ideam præbet aptiſſimam Oratio; qua Valentinianus militibus Gratianum filium commendat apud Am. Marcellinum.

COMMONITIONEM ab Objurgatione ſejungo: quidquid aliqui * ſentiant in oppoſitum, duplex ejus ſtatuentes munus; corrigendi vitium; & docendi, quid facto opus ſit. Totum igitur erit Commonitionis opus in re magni momenti dubias, vel declinantes dirigere voluntates leni exhortatione ad bonum apertè cognitum, ut tale. Differt proinde à Conſultatione; cujus eſt potiùs docere mentem, quid agendum; quàm impellere animum: & à Cohortatione; cujus eſt voluntatem acriùs urgere. Initium ſumit ab ejus laude; qui monendus eſt: quaſi, qui non indigeat præceptore. Tùm à Commonentis erga ipſum amore; à quo id facere cogatur: quod ſecùs non auderet; neque currenti ſtimulos adderet; niſi de ejus gloria, vel ſalute ſatis ſupérque ſollicitus redderetur. *Videndum eſt;* (ait * Seneca) *ut offenſam fugiamus: nam vix aliquem reperies, ita paratum; ut æquis auribus, & animo defectus, & vitia ſua diſtat. Proinde reprehenſionis acerbitas, aut monitionis libertas, erit laude, vel benevolentiæ, aut amoris teſtificatione mitiganda: ſic enim blandus, ac prudens monitor faciet vitiorum odium, & pretium virtutum.* Nervum reponit omnem in honeſtatis, & turpitudinis, aliorúnque ſuaſioni, vel diſſuaſioni inſervientium rationum comparatione cum ejus, quem admonet, virtutibus, ac laudibus: ut in Q. Cæcilii Metelli Oratione diſſidentes Cenſores revocantis videre eſt * apud Livium. Commiſerationē non rarò miſcet, vel tēporum corruptorum, vel exulis à mundo virtutis, vel auditoris famæ denigrandæ. Auctoritatem quoque major interponit aliquando ſuam: libertatem familiarem adhibet,

Pal. Eloq. Ex. 9. l. 4. p. 7.

5. de Benef.

lib. 40.

bet, & preces æqualis: excuſationem audaciæ, & obſecrationes enixas inferior: quæ ſingula Epilogi vices obtinebunt.

CONSOLATIONIS frequentiſſimam arguit neceſſitatē præſentis vitæ conditio morti, ærumnis, morbis, infortuniis omnibus obnoxiæ. Hinc ſapiens ille Antiphon, & dicendi laude clariſſimus, ad mœrentium hominum leniendos dolores ſuum omne convertit ſtudium; habuitque in oppidis Græciæ diſputationes; quibus, velut amuletis, lugentium animis mederetur. Exordium, ſi remiſſam inveniet ærumnam; liberum erit. Si verò recenti adhuc ſanguine madens vulnus reperiet, vel exanguem innata debilitate animum; Inſinuatione utetur: qua videbitur Orator lachrymis indulgere mœrentis; ſéque pari dolore ſauciatum: ſed interim quædam Conſolationis argumenta diſſeminabit. Argumenta porrò ſunt: primò naſcendi, moriendique neceſſitas; communiſque omnium vitæ ſors inter ſpinas, & tribulos inconſtanti flore creſcentis: ut benè dictum fuerit: *Omnis vita ſupplicium eſt.* Quò facit illud Democriti: qui * ut Regem Darium Conjugis mortem pertinaciùs lamentantem conſolaretur; promiſit, ſe Reginam revocaturum ab inferis, ſi quæ neceſſaria eſſent, ſibi ſuppeditarentur. Erectis auribus, animóque reſumpto, ſe daturum, promiſit Rex. Et ille tres petiit homines; qui nunquam funeri interfuiſſent. Cúmque, non inveniri poſſe, reſponſum eſſet: indè argumentum conſolationis arripuit efficaciſſimum. Secundò lugentium ex omni parte conſortium: ut fatuum ſit, tot inter miſeros ſolum ſe felicem eſſe, ſperare. Quem enim mortalium; quem Principum, Regúmve ſiniſtra non agitat ſors? Hunc ad quotidianum opus laborioſa vocat egeſtas: illum divitiæ, & imperium vopto, metúque exagitant ſuo. Huic rei, famæque orbitas mœrori eſt: illi inflata quietem deturbat ambitio. Charorum alius, ac propinquorum angitur exulio: eorundem alius ingratitudine, importunitate, irreparabilibus miſeriis cruciatur. Tertiò virtus animi cunctis ſuperior infortuniis: ut enim * Bernardus loquitur: *Quomodo ſtellæ in nocte lucent; in die latent: ſic vera virtus, quæ in proſperis non apparet; eniltet in adverſis.* Cui tamen repugnat fractum, & omni re-

Julian. Ep. ad Amer.

Serm. 27. in Cantic.

rum

rum inconſtantiæ deſerviens cor. Undè * Lyciorum lex indicebat; viros in funeribus, non niſi muliebri veſte, quemadmodum & animo, indutos lachrymas fundere. Quartò Dei in homines ſemper vigilans Providentia; & in hominū bonum univerſa diſponens: cui reluctari nefas: &* *durum contra ſtimulum calcitrare.* Quintò: quòd *nullum bonum; niſi æternum: nullum malum; niſi æternum*. Sextò conſequētis vitæ perpetua felicitas: ad quam gradum offerunt patienter accepta præſentis infortunia: * *Id enim; quod in præſenti eſt momentaneū, & leve tribulationis noſtræ; ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*. Quæ omnia juxtà ſingulas temporis, perſonarum, doloris circunſtantias ſunt tractanda. Indulgendum eſt enim aliquid naturæ. Non opprimuntur fletus præceptorum ſeveritate; ſed incenduntur. Doloris ardor; aut moderatis lachrymis extinguitur; aut diuturnitate conſumitur temporis. Demū Epilogus precibus, auguriis, proprii muneris promiſſione claudit: & præ cæteris ſuaſione; ut ſe charis ſervet incolumem; ut ſe charorum amore contentum fateatur. Undè Seneca Polybium conſolaturus inter honores, quibus à Claudio Cæſare fuerat decoratus, fratris mortem plus æquo lugentem, ait: *Cum voles rerum omnium obliuiſci; cogita Cæſarem: Fas non eſt tibi, ſalvo Cæſare, de fortuna queri.* Univerſorum autem ad Conſolationem inſtruentium legum exempla dant eruditiſſima Ariſtides ad Etonei parentes; Plutarchus ad Apollonium; & Seneca ad Helviam, Marciam, ac Polybium.

Plut. ad Apollon.

Act. 9. 5.

2. Corinth. 4

CAPUT IV.

DE ORATIONE SACRA, ET SÆCULARI.

NOn hùc diſputaturus acceſſi de horum generum eſſentiali inter ſeſe differentia. Hoc ſi cuipiam arriſerit; noſtrum præ cæteris adeat Areſium ſexto capite libri primi de Arte Concionādi ex more eruditiſſimè diſſeren-

rentem. Mihi ſat erit; aliquid, idque non minimum, ea differre. Et quidem Sacræ Suadæ objectum divina ſunt, naturæque apici ſupereminentia. Undè & ea propoſitiones habet certiſſimas: nec tam ad convincendum Intellectum; quàm ad eum illuminandum, & impellendam voluntatem deſudat. Sæcularis verò terrena reſpicit, & creata: in incertum currit Cauſæ ſtatum: & argumentis innititur multiplici & ipſis fulcimine indigentibus. Quæ cùm ita ſint.

RUDIMENTUM I.

Comparatur Oratio Sacra cum Sæculari.

Digitum ori imponant, & impudentem compeſcant audaciam; quicunque Sacræ detrahunt Eloquentiæ. Tumentes faſtu detergat lachrymas: aut ſuper ſua Numina gentilis Eloquentia fleat. Non deplorabilia ſunt noſtra tempora; ceu quibus nemo ad ſuperiorem ſuorum Heroum gloriam conetur accedere. *Major* nanque * *eſt ambitioſo eloquentiæ mendacio ſimplex veritatis fides.* Tantum Sacra virorum ad Sanctitatis inſtitutorum normam Facundia præſtat humanæ: quantum ſol umbræ; terræ cœlum; flamma fumo; ſidera cicindelis; divina mortalibus antecellũt. Quis profanorũ noſtro Athanaſio gravior? quis Areopagita Dionyſio elevatior? quis Baſilio altior? quis vehementior Tertulliano? Nunquid non eloquentior Demoſthene Chryſoſtomus: non ſuavior Neſtore Ambroſius: non Solone conſtantior Hieronymus: non Ariſtotele ſubtilior Auguſtinus: non plenior Homero; non Platone numeroſior magnus Leo: non Atticis omnibus longè major unus Athenienſis civis Dionyſius Areopagita? Nunquid nõ Paulus profanis eloquentibus omnibus diſertior? Hunc longè aliter, quàm Periclem illũ, tonare, fulminare, permiſcere Concionibus orbem univerſum, miratum eſt. Hunc ſupra mortalem ſortem, quaſi de turbine loquentem, Lycaones inſtar Numinis coluerunt. Hunc ſi docentem audires; nihil illuſtrius: ſi diſputantem; nihil ejus calore pugnacius: ſi conſolantem; nihil blandius: ſi minantem; nihil imperioſius: *omnibus* demum *omnia* factum exiſtimares.

D. Ambroſ. de Abrahã l. 1. c. 2.

Exitus

Exitus acta probet. Atque in arenam Cteſiphontes exeant, Tullii, Demoſthenes; ejúſque generis Oratores ſummi. Quid Demoſthenis, in Philippum Regem è Corona vibrata profuere tela, infauſto ſemper omine deficientia? Quid profuerunt Reipublicæ in efferatum magis ſemper Antonium Ciceronis Orationes? Quid profuit Miloni poſt condemnationem ſupervacanea defenſio? At verò ex noſtris (ut Chryſoſtomum mittam; ut Auguſtinum; ut Paulum; ut Apoſtolos; ut cuncta reliqua tonantia jugiter Sacræ Eloquentiæ fulmina taceam) manſuetiſſimus ille, ac monaſtica conſuetudine agnus, Bernardus, nónne leo factus ſchiſmaticorum audaciæ reſtitit; terrores fregit; oppreſſit furorem? Mellifluus Ambroſius; ubi ſemel aculeum exeruit; nónne Imperatores ipſos ſalutari vulnere ſauciavit? Mitiſſimus inter purpuratos, adhuc Diaconus, Gregorius magnus, nónne dicendi robore eximio Patriarcham Eutychium, quam negabat corporum reſurrectionem, ut publicè fateretur, coegit; Tiberióque Conſtantino, ut ſacrilegum Eutychii librum igni traderet, perſuaſit? Leo ſuo nomine primus, è Vaticano illapſus, nónne ardentes furore, ſacrilega audentes omnia mente Attilam, & Genſericũ deterruit, *duas caudas titionum*?

Quid? ſterilitatem objiciunt dictionis: quam non vernantem; non ſplendidam; non ex amœnis luxuriantis Eloquentiæ viretis excerptam; plebis aures, & oſcitantes mulierculãrum circulos pati, dictitant? Mentiuntur ultrò blaſphemi. Animadvertant itaque Nazianzenum, Baſilium, Ambroſium, & ſexcentos alios: quibus non è ſæcularibus alter in Epidictico genere floridior: non in pingendis rebus peritior alter: nõ arguta brevitate ingenioſior. Chryſoſtomũ admiretur in allegãdis Catholicæ Religionis juribus omni Tulliana arte præſtantiorẽ. Salvianum intueãtur in vitia Demoſtheneo validiore impetu prorumpentem: ut nec Romana roſtra ſimilem; nec Athenienſes exceperint Conciones. Stylum optas, inſtar puri amnis, fluentem? En tibi Clemens in Præcognitionum libris. Adamantinam cupis Orationem; & ingenua dulcedine, ac eleganti feſtivitate reſperſam? Adeſt Martyr Ignatius in Athenagora. Multiplici rerum vis doctrina fœcundam; & robuſta ſobrie-

brietate mirabilem? Præſtò ſunt Juſtini Martyris Apologiæ. Auro, & margaritis Ægyptiorum (exterarum ſcilicet diſcipinarum pretio) nitentem quæris Oratorem? Talem Cyprianum agnoſcit Auguſtinus. Quid plura? Sacri veſtibulum Athenæi vix adeunti occurret nectare, & ambroſia redundans Ambroſius: armata divinis propémodum argumentis Auguſtini mens: ineluctabilis athleta Hieronymus: paterna familiaritate eximium Eccleſiæ decus Gregorius. Neminem (ultrò fatear) tumentem vana vocum ventoſitate: neminem liberioribus laſcivientem floribus: puerilibus neminem ineptarum jocis argutiarum vacantē: neminem, ut dicunt, tibicinum more canentem: neminem denique fabuloſis eruditionibus ſomniantē percipies. Quid tamen indè? Ideóne Sapientiam: ideóne ſacrorum Rhetorum inæquabilem Eloquentiam inficiaberis? Auguſtinum

Doctr. Chr. l.4.c.6. * audi de iis teſtantem: *Ubi eos intelligo: non ſolùm nihil eis ſapientius; verùm etiam nihil eloquentius mihi videri poteſt. Et audeo dicere: omnes, qui rectè loquuntur, ſimul intelligere; non eos aliter loqui debuiſſe. Sicut enim eſt quædā Eloquentia, quæ magis ætatem juvenilem decet, eſt, quæ ſenilem; nec jam dicenda eſt Eloquentia, ſi perſonæ non congruat: ita eſt quædam, quæ viros ſumma auctoritate digniſſimos, planeque divinos decet. Hac illi locuti ſunt. Nec ipſos decet alia: nec alios ipſa; ipſis enim congruit.*

RUDIMENTUM II.

De vero Sacræ Eloquentiæ charactere, ejuſque Speciebus.

Quam Rhetores cuncti ſuis in Oratoribus requirunt; in noſtris eſt apprimè neceſſaria Sapientia. Noverit igitur, quem inſtituimus, Orator puriores loquendi phraſes ab optimis erutas grammaticis. Primorum noverit Rhetorum leges: è quibus non parum artis, floriſque manat in ſtudia. Caſtiores libaverit Caſtalii fontis aquas: undè motus animi; verborum undè ſublimitas; undè grata jucunditas peti ſolet. Labyrinthęos dialecticorum ſinus, apertóſque Philoſophiæ campos excurrerit:

cur-

cunctáſque pro viribus humanas ſcientias perluſtrarit. Sacerdos enim (ut *Chryſoſtomus* * ait) longè ſecùs, ac Monachus, omnem omnium, rerum ſcientiam in theſauris ingenii habere repoſitam; idémque prudens, & varius eſſe debet. Præ cæteris tamen omnibus, ſcientiarum omnium ſummam, omníſque fontem Sapientiæ, Sacram inquam Scripturam, recolat mente; pleniſſimis ebibat faucibus; qua nihil ad majeſtatem excelſius; nihil ad vim efficacius; nihil ad copiam uberius; nihil ad artem omnem eruditius licet reperire. Hanc præ oculis ſemper gerat; non membranis inſcriptam; ſed memoriæ perpetuò inſculpram medullis. Hanc ſemper os reſonet: & quoties ab ea deflexerit; toties ſe extra elementum ſuum peregrinari, exiſtimet: ut potiori valeat jure ſciti illius Juriſtæ dictum aſſumere: *Erubeſcimus; cùm ſine lege loquimur.* Ad hujus igitur intelligentiam Theologico primùm deſudet in ſtadio: cujus eſt, ex Auguſtino, Fidem, quæ ſacris in literis continetur, exponere, probare, defendere, nutrire. Nec parcior ſit in ſacrarum ſtudio Traditionum; & Definitionum, quas Patres, Pontificiæ auctoritatis acceſſu, decrevere: quippe quibus, cen infallibili regula, Fides ipſa proponitur, & explicatur. Eccleſiaſticas quoque Hiſtorias non penitùs ignotas habeat: cùm lucem non modicam, ad literalem præſertim Scripturæ ſenſum dignoſcendum, adhibeant. Accederet hùc ad verſionum notitiam idiomatum cultus: maximéque Hebraicæ linguæ ſtudium: quam non immeritò Angelicā vocari ab Apoſtolo, cenſet * Haymo: & in qua tot ſacramenta, quot ſunt litteræ; tot myſteria, quot puncta; tot arcana, quot apices, recognoſcit * Antonius *Poſſevinus*. Verùm; quia non omnibus omnia data ſunt; ſaltèm peritiores, & ſanæ fidei, cùm opus erit, Interpretes adeantur.

l.6.de Sacerdotio.

in 1. Corinth.13.

l. 2. Biblioth.

Zelo poſt hæc ferveat animarum divini præco verbi; fortíque pectus Conſtantia loricatum habeat. Ignis, flammarúmque ſpeciem * Sacros inſtructurus Oratores exhibuit Divinus Amor: æternique miniſter Amoris, * igne prophetæ labia Seraphim accendit. Ubicunque loquitur Deus: vel * ardet rubus: vel * perſtrepit tonitruis, micátque horribili fulgure Sinai, fornacis inſtar ignitus: vel * igne ſternitur

Act. Apoſt. c.2.

Iſ.6. 6.

Exod.3.

Exod.19.

Patmos. *Apoc.1.*

Patmos. Ignem Dei Verbum mittere venit in terras: & ignes ósque ſui miniſtros requirit. Selenitis lapis à luna ſua ducens natalia genitricis retinet impreſſam effigiem: apéſque è tauri cadaveribus emergentes, taurini capitis imagunculam tenuiſſimis inuſtam lineis gerunt in viſceribus. A Deo igitur, qui *Ignis conſumens eſt*, inſtructi Concionatores, ignem alant in pectore per omnes terrarum plagas diffundendum. Sed ignis iſte perpetuus in altari, ſacerdotali inquam pectore, ſemper ardeat. Tigri fluvio fortitudinem comparat Ambroſius, deliciarum Dei paradiſum perennibus irrigantem aquis; & velociſſimo ſonitu, magnóque labentem curſu. Fluvium & ipſe dicam optatam in Eccleſiaſtico Oratore Conſtantiam: ſed eum; quem Daniel* (c. 7. v. 10.) videbat, igneum, rapidúmque à facie ſedentis in throno manantem. Non eum contradicentium turbines diſſipent: nō minarum fluctus extinguant: non plauſuum fumans offuſcet ambitio: non cineres ipſæ, mortis ſcilicet opprimant metus. Quòd ſi in ſuis Oratoribus à Quintiliano* (inſt. 11. c. 3.) requiritur *animi præſtantia; quam nec metus frangat; nec acclamatio terreat; nec audientiū auctoritas ultra debitum reverentiam tardet*: qualem noſtrum eſſe Concionatorem deceat; quis non videt? Qualis utique Magiſter fuit: de quo teſtatur Evangeliſta; (Marc 1. v. 22.) quòd *erat docens, tanquam poteſtatem habens.*

Reprehendenda ſunt per orbem jam ſatis latè craſſantia flagitia? Libertatem, ac nervum adhibeat omnis memor; quòd* (2. Timoth. c. 2.) *Verbum Dei non eſt alligatum*. Torpent exitiali immerſi lethargo peccatores: nec voces audiunt objurgantis? (c. 58.) Caſtrorum deponat choros; dulciſona ſcilicet arma: exaltet autem (juxtà monitum* Iſaiæ) quaſi tuba vocem ſuam; & annunciet populo ſcelera eorum: tuba nanque, (ut addit (Serm. 106. de Temp.) * Auguſtinus) *non tam oblectationis eſſe ſolet, quàm terroris; non tam delectationem proferre, quàm inferre formidinem*. Fremunt inſultantium impetus; obſtrepúntque perditorum minæ? Pro fide, & juſtitia; pro Eccleſiæ libertate; pro Dei honore ſtet, quaſi murus adamantinus: & Apoſtolum ſecutus, inſtet importunè, opportunè; arguat, obſecret, increpet in omni patientia, & doctrina; opus faciat Evangeliſtæ; miniſterium ſuum impleat. Vereantur potiùs

Ca-

* *Canes muti nō valētes latrare*: audiántque potiùs Deū per *Iſ. 56.*
Ezechielem * ſibi comminantem : *Et tu, fili hominis, ſpe-* *Ezech. 33.*
culatorem dedi te domui Iſrael. Si me dicente ad impium: im-
pie, morte morieris : non fueris locutus ; ut ſe cuſtodiat impius
à via ſua : ipſe impius in iniquitate ſua morietur : ſanguinem
autem ejus de manu tua requiram. Diſcamus ſaltèm noſtro
dedecore à gentilibus Oratoribus fugacem Patriæ gloriam
ipſi ſuæ preferentibus vitę. Diſcamus à Solone: cujus côſtās,
virilis, ac timore immunis, non Oratio ſolùm; ſed animus.
Qui, licèt ſuavis ac melleus: (ut in ejus ad Crœſum Regem
Oratione conſpicitur) cùm tamen fuit opus ; * Piſiſtratum *Plutarch.*
ſatellitio fretum Tyrannidis, & Senatus favore, Concionē *Græc. hiſt. in*
libera ſemper, & concitata, ad forum armatus accedens *Solon.*
aggreſſus eſt : cujus illud initium : *Viri Athenienſes : aliis*
quidem ſapientior: aliis ſum fortior. Sapientior enim illis ſum;
qui Piſiſtrati conatus non animadvertunt : fortior autem iis ;
qui ſciunt illos quidem; ſed metu ſilent.

Caveat tamen (ut cum Chryſoſtomo * dicam) increpa- *Hom. a l E-*
tionis prætextu ſuam cupiditatem ulciſci: paſſionibus enim *pheſ. 6.*
omnibus vacuum ; etiam ſecularem, eſſe decet Oratorem.
Tùm quæcunque reprehendit; cum veritate reprehendat: ne
in eum retorqueri poſſit ; quod adoleſcenti cuidam: cui di-
centi è roſtris: *Quid me torvo vultu intueris, Severe?* reſpon-
dit Caſſius : *Non, mehercule, faciebam; ſed ſic ſcripſiſti.* De-
ſcendat autem non rarò, medicorum exemplo, ad peculia-
ria vitia conſideranda : teſte enim * Mercurialis Galenus, *Art. gymn.*
Hippocratis, atque Platonis ſecutus placita ; in omnibus *l. 4. c. 1.*
quidem artibus ; ſed in medicina præſertim ; univerſales
methodos parùm juvare, clamat ; niſi particularium ; &
individuorum tractationes acceſſerint. Sacrum verò Ora-
torem animarum eſſe medicum ; quis ignorat? Solùm ta-
men excipiam Luxuriæ ſpecies : ad cujus ſingulas deſcen-
dere circunſtantias, ſcandalum ſaperet ; & ſanctitati hu-
jus miniſterii, ob nimiam ſui fœditatem, eſt indignum.
Nunquam verò peculiares apertè detegere perſonas, qua-
rum vitia notantur, fas erit : niſi publicum conſpicuę de-
lictum ſcandalum populis intulerit: ut cùm Elias Achabū
& D. Joannes Chryſoſtomus Eudoxiam redarguit Impera-
tricem. Neque ullus eſt ſtatus, vel profeſſio, quæ ſine pec-
cato

cato exerceri valet objurganda; quamvis in genere: ſed ii duntaxat reprehendantur; qui particularibus vitiis abutuntur. Modeſtè denique in Eccleſiaſticos procedendum; tùm ob debitam eorum ſtatui reverentiam: tùm ne audaciã indè ſumant ſæculares; quà eos deſpiciendi; quà eorum, quæ reprehenduntur, prava opera imitandi. Quare & Mariæ murmurantis,* crimen lepra publicè mulctavit Deus: fratris autem Aaron non ita. Quin & cujuſque eſt aliquid gradui deferendum: undè D. Gregorius * ſeptuaginta duo diſtinguit perſonarum genera; quorum quomodo ſingula ſint reprehendenda, inibi docet.

Num. 12.

de Cur. Paſtor.

LOCOS jam nunc ut inveſtigemus; è quibus ſuas haurit rationes Sacer Orator. Primùm Sacri ſunt Interpretes adeundi: præcipuè verò primitivæ Eccleſiæ Doctores: hos enim ad Sacrorũ Bibliorum cœlum illuſtrandum, micantium inſtar aſtrorum, ſplendentiſſimus divinæ Sapientiæ Sol accendit. Habes igitur in iis, quæ ad Græcam, Hebræánque pertinent hiſtoriam, diſertiſſimum omnium Hieronymum: in Allegorico ſenſu, & Anagogico, Originem, & Ambroſium: in morali Gregorium, & Chryſoſtomum: in obſcuris illuſtrandis locis, ſolvendíſque difficultatibus, Auguſtinum: quos omnes claro continet compendio Lyranus. Ex his autem ſenſibus, Litteralis efficacior eſt: atque doctis proinde gratior. Myſticus popularibus magis accommodatus; & oſtentationi proprii acuminis aptior: ſed & periculum in eo ſubeſt; ne, dum præter Sanctorum Patrum, graviorúnque expoſitorum mentem laſcivit ingenium; in ineptias incidat, & errores. Adduntur his reliqui, Theologia, quos ſubminiſtrat, loci: Traditiones ſcilicet Chriſti, & Apoſtolorum; Concilia; Univerſalis auctoritas Eccleſiæ; Sacri Canones; Eccleſiſticæ Hiſtoriæ; Revelationes ab Eccleſia probatæ; & ſolidiorum Sententiæ Theologorum.

Externas adhibere doctrinas, permiſſum: nec improbandus mos utendi gentilium auctoritate ad veritatem fortiùs roborandam. Licet enim (ut Auguſtinus loquitur) Ægyptios ſpoliare ad ditandos Hebræos. Sed tamen modus eſt adhibendus. Pediſequæ ſint, non dominæ, alienigenæ doctrinæ. Sanæ doctrinæ viti ſolùm aſſeratur mandragora; ut

gra-

grata communicetur vino ſuavitas : ſuccum ſi propines ; mortem pro voluptate dabis, & venenum : Sponſę murenulas * aureas cupit Salomon : argento verò ſolummodo vermiculatas. Sapiens ille ab Eccleſiaſtico * deſcriptus totus *in prophetis vacabit* : ſed verò *in terram alienigenarum gentium pertranſiet*. Quæ nanque lucis ad tenebras proportio ? Quid pro Paulo Seneca; Tullius pro Iſaia ? At verò ſi tam cautus eſſe jubetur divini Verbi miniſter in adducendis gentilium, morali nonnunquam vita celebrium, auctoritates : qua fronte Poetarum ; atque ut plurimùm, non profanas modò, ſed & obſcœnas cantiones immiſcere; Deũ, divóſque falſis comparare Numinibus quis audeat ? quóve corde tale nefas plauſibus non vereantur excipere Chriſtiani ? Quò vobis cum impudica Venere, puritatis prodigiũ, Maria ? Quò cum Narciſſo Chriſtus ? Quò cum Arca Dei Dagon : cum Dei filio Belial ? Quid veſtris auribus falſorum Numinum inceſtus ; ſomniantis libidinis inquinamẽta ? Athenienſes cùm gladiatorios ludos pravo vicinarum exemplo ſuæ inferre cuperent urbi ; ferunt, Demonactem, in ea tunc Republica clariſſimum, ſtrenuè, gravitérque obſtitiſſe : aut enim, ajebat, ab illa hominum cruenta lanienâ abſtinete : aut aram miſericordiæ, quæ veſtris in delubris colitur, funditùs evertite. Quidni & exclamare nobis continget. Sacri, qui dici vultis, Oratores : aut fabulæ taceant; obmuteſcant tot ſomniantis gentilitatis oracula: aut certè (ſi fert animus) ſacros ignes extinguite; tremẽdas Chriſti aras ſubvertite, & templa ; tótque noſtræ religionis ſigna ; quæ contra hujúſmodi clamant ineptias, evellite. Potiori ; mediusfidius, jure vos quoque Tertullianus * redarguet, monens : *Affines eſſe multimodæ Idolatriæ; quibus neceſſe eſt Deos nationum prædicare ; numina, genealogias, fabulas, ornamenta, honorifica quæque eorum enunciare.*

Cantic. 1. Eccli. 39. de Idol.

ELOCUTIONEM pro dignitate exquiſitam ; & quæ in gravibus Sacerdotes exhibeat ; in mediis Præceptores ; in familiaribus Patres ; vel ipſis è fontibus ſæcularis hauſtam Eloquentiæ ; noſtros decere Oratores, non arbitror dubitandum. Donum Dei eſt Eloquentia : malam igitur nemo dixerit ; qui ſanæ fuerit mentis : niſi abutentium pra-

Doctr. Chr. l. 4. veritate adulteretur. *Cur autem* (inquit * Auguſtinus) *facultas eloquii; quæ ad perſuadendum, ſeu prava, ſeu recta, valet plurimùm; non bonorum ſtudio comparetur, ut militet veritati?* Novit ſuperſtitionis ſpolia religionis in trophæa commutare pietas ingenioſa; novit idolorum fana triumphantis reddere fidei capitolium. *Pinxerat* (inquit de natura * Plinius) *remedia in floribus; viſuque ipſo animos invitaverat; etiam deliciis auxilia permiſcens.* Hoc & induſtrius præſtat Orator. Ignorantiæ tenebris obvolutum orbem, & vitiorum cœno ſubmerſum; aut miraculis erui; aut illuminari Eloquentia, neceſse eſt. Indè Criticorum caninis impetitus morſibus * Nazianzenus; *Eloquentiæ*, inquit, *parcerem; ſi ſermonis, ac doctrinæ loco, ſignorum, ac miraculorum vim haberem.*

l. 22. c. 6.

Orat. 2.

Hæc tamen ita nollem intelligas: ut liberas me dare putes laſcivientibus ingeniis habenas; & leviculis Cacozelorum ineptiis indulgere. Moderatum in primis exigo illecebrarum uſum. Nolo tot deſcriptiunculas; tot fabellas: nolo tot nugas. Et mihi pariter, ac Alexandrino * Clementi, *non eſt boneſtus ille cibi apparatus; qui plura habet condimenta; quàm; quæ nutriant: nec bellus, ornatuſve Orationis uſus; qui auditores magis poteſt delectare; quàm juvare.* Putidam deinde logodædalorum ſolertiam penitùs improbo ſyllabas omnes aſſiduo pumice levigantium; & à tritis (ut vocant) Sacri nomenclatoris vocabulis abhorrentium. Quæ etenim novos ſciolos; quæ Ciceronianulos hoſce cœpit temeritas: ut (juxtà Apoſtoli * cenſuram) adulterantes verbum Dei, Poetarum tropos, atque ejuſmodi (ut Mamertus * loquitur) *ſpumam puerilium verborum, qua imperitæ aures conſpuuntur*, Sanctorum Patrum phraſibus; quin & ipſius Dei vocibus anteponant? Scio, Græcam irridere Eloquentiam Theodoretum * objicientem; quòd *Piſcatorum ſolæciſmi Atticorum vicere ſyllogiſmos*: Scio; Triphyllio quodam Ledrenſium Epiſcopo in adducendis Evangelii verbis pro *Grabbatum* aliud proferente nomen, quod magis Demoſthenem ſaperet; antiquæ ſimplicitatis generoſum Patronum juſſiſſe Spiridionē: ut *Grabbatum* pronunciaret: ſcirétque; ſe meliorem illo nō eſſe, qui *Grabbatum* dixiſſet; ut ejus uti verbis erubeſceret.

Strom. l. 1.

2. Corinth. 2.

de ſtatu animæ l. 3.

de Nat. homin.

De-

Demum; quæ adhibentur, quantúmlibet moderata, ornamenta; utilitati ſingula famulentur. Hoc apertè clamat Sapientia, dum ait: *Flores mei fructus honoris, & honeſtatis*. Hoc etiam Divinus proteſtatur Sponſus: dum à dilecta invitatus in hortum, ire non renuit; ſed fructus collecturus; non vacuos flores: *Videamus, ſi flores fructus parturiunt.* Eccli. 24. Cantic. 7.

PARTES eaſdem, quas Sęcularis, habet. Exordium duplex exigit neceſſitatis caput: nam & plures Sæcularium quandam Orationum formam noſtræ retinent Conciones; & quæ peculiarem habent methodum, primitivæ Lectiones Eccleſiæ; cùm à ſui origine ſolas preces prætulerint, & Angelicam Salutationem; ne abruptæ viderentur, & acephalæ, jam præludium quoddam communiter obtinuere. Quod primùm quidem ſimpliciter de precipua Orationis materia, ejúſque partibus dociles auditores reddere cœpit: deinde triplex Exordiorum exercere munus; atque à reliquorum omnibus locis erui (ut videre eſt apud Patres) conſuevit. Introductio non minùs hìc apta, quàm alibi, contingit; ſi rectè fiat: cùm hìc præſertim quæſtionum multiplicitas poſſit occurrere diſtinguenda. Propoſitio quoque ſuum occupat, vel Narratio, locum. Illa; quæ totam ſuſtineat Concionem: ſive tota vis hujus in uno themate, quaſi fruges in ſemine, claudatur: ſive plura, quæ pertractanda ſunt, ad unum aliquod, juxtà varias Propoſitionum leges, reducantur. Hæc verò; quæ varia, diverſáque continentem Scripturæ hiſtoriam, alteriúſve generis locum, modò totum exponat, priuſquam aliquod indè inferatur: modò ſparſim moralibus permiſta reflexionibus, rationibúſque; judicialium narrationum inſtar, integram occupet Concionem. Confirmatione quæ non eget Oratio? In hoc tamen genere, ſolidiorem eam eſſe, convenit; & iperſtringentem. Peroratio demum; non tam ad oſtentandam jactabunda repetitione memoriam; quàm ad urgendum acriùs, affectúſque excitandos, exigitur: quod ſæpè munus ſubit Apoſtrophe.

Quoniam verò noſtra in Italia dividi frequentiſſimè Sacra conſuevit Oratio in primam, ſecundámque partem: quod nedum forenſibus primis Oratoribus; ſed & primiti-

vę Eccleſiæ Patribus, aut primævis Concionatoribus nunquam in uſu fuit: idcirco de hac poſtrema nonnihil erit addendum. Secunda igitur pars familiaris, & candida debet eſſe; &, quoad fieri poterit, popularis. Exquiſitam tamen contineat materiam: ſervat enim diſpoſitionis regulam; ex qua debet creſcere Oratio. Pro ſui, totiúſque Orationis coronide ſemper affectus moveat: motos ut auditores relinquat; quamvis in prioris partis epilogo fuerint excitati. Artificium (ut brevi dicam) ſervet omne proprium eorum; quos familiares Sermones nuncupamus. Quò tamen ea tendet? inquis: aut quì ejus erit ſcopus? Multiplex ab uſu vario comprobatur. Ad duo tamen reducam capita. Vel enim dicendi genus mutat: vel retinet. Mutat autem; cùm ſtabilita jam in prima parte Propoſitionis veritate, & Peroratione exactâ; ab argumentativo ad doctrinale fit greſſus; & modus exequendi, quod in prima ſuaſum eſt, in ſecunda parte aperitur: quod genuinum eſt ejus partis officium. Retinet verò; cùm, vel ex pluribus Propoſitionis partibus aliqua; (& ea quidem; quæ fructuoſior eſt) vel ex pluribus Confirmationibus evidentiores; vel demum Confutationes objectorum (& hæ ſemper ulterioribus roborandæ rationibus) poſt expletam priorem partem reſervantur.

SPECIES demum Concionum; prout ab optimis noſtrorum temporum Concionatoribus exhibentur, hæ ſunt in uſu. Primò Panegyres in Beatiſſimæ Virginis, Sanctorúmque laudem afferuntur ſtylo cæteris longè venuſtiore, & acuminibus redundante: ut ſatis ex D. Ambroſio in laudibus Agnetis; & Baſilio de laudibus Virginis: ex quibus tandem; vel imitatio; vel ſaltèm devotio, & fides in Sanctos ipſos eruatur. Secundò Sermones de Sacroſancto Euchariſtiæ myſterio: qui Panegyris habent non rarò ſpeciem de tanti excellentia Sacramenti; ſed aliquando etiam non incongruè ad Deliberativum genus morali themate reducuntur: & in primo caſu floridiorem; graviorem in ſecundo ſtylum expoſcunt. Tertiò Funebres Orationes: quæ traditas, cùm de Exornativo genere, ſervant univerſales funerum leges; habitò tamen reſpectu ad Sacri Oratoris dignitatem. Quartò Conciones Annuales in Adventu fieri cóſuetæ:

ſuetæ: quæ genus habent Deliberativum, licèt aliquando ad Judicialis inſtar contexantur: & hæ quidem gravitatem prioribus majorem, & robur, venuſtatibus frequentioribus temperant; ne ſui aſſiduitate tædium faciant; præſertim cùm tempore fiunt æſtivo. Quintò Quadrageſimales Conciones omne poſcentes ſanctis illis temporibus permiſſum Eloquentiæ robur; auctoritatem Concionatorum omnem*. *Erit enim tempus; cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt* homines: ſiquidem (deplorabilis quæ noſtrorum eſt temporum conditio) Paſchali ſuperveniente lætitia; cunctus bonæ voluntatis non ſatis accenſus ignis extinguitur; omniſque corruit minùs ſolidata ſtructura. Sextò Pomeridianæ Sacræ Scripturæ Expoſitiones; quæ vulgò Lectiones nuncupantur: in quibus expedit magis claritas, & amœnitas; quàm energia: ſed de his aliquid ſequenti fuſiùs agendum capite. Septimò Familiares ſermones; ac veluti populares diſcurſus ab artificioſis ornamentis abhorrentes: qualia ferè ſunt Magni Gregorii Moralia. Sed tamen ſunt in duplici differentia: vel enim affectibus ſolúmmodo gaudent; ut ii, qui fieri ſolent pro Sanctorum Novenis: vel etiam nervo conſiſtunt argumentativarũ formularum; ut in Miſſionibus fit; in quibus nunc ſumma libertate, & energia exagitantur vitia; nunc ſumma lenitate, & amore ad virtutes, propriique ſtatus recognitionem vocantur auditores.

2. Timoth. 4.

C A P U T V.

DE ARGUMENTATIVO GENERE; ET DOCTRINALI.

MUnus utrunque perfecti eſt Oratoris: docere ſcilicet; & convincere. Argumentis ſiquidem tota vis ineſt Orantis: iiſque totus Rhetoricæ finis innititur; nempè Suaſio. At verò: *quis* (inquit * Caſſiodorus Rhetor) *feret Oratorem; niſi docuerit?* Ut delectet in ſuadendo; jure quidem id habitum: non tamen ſemper eſt expectandum; quia & præſtari non ſemper, ac libuerit, poteſt. Docere verò

in Rhetor.

verò ſemper eſt opportunum. Indè Pericles ab Anaxagora in phyſicis eruditus, non ſine plauſu, primus in foro doctrinam adhibuit; mentiſque exercitationem à reconditis, abſtruſiſque rebus ad Cauſas forenſes, & populares traduxit. Nos verò longè ſecùs Argumentativæ Orationis à Doctrinali taxamus differentiam: & quæ tota ferè rationibus aliquid contendet à cathedra remotis; hanc prioris: quæ verò in exponendis præcipuè doctrinis deſudat; hanc poſterioris generis reputamus.

RUDIMENTUM I.
De Argumentativa Oratione.

SAtis ex dictis hàctenus liquet; quid ſuis in Orationibus Argumentativum genus exoptet. Sagax illa locorum, quæ inſita rei dicuntur, inveſtigatio; ſedula extrinſecorum circunſpectio; Argumentativæ ferè tota deſervit. Inſtructæ ad normam aciei diſpoſitio: & argumentorum; aut irrumpens, creſcente ſemper impetu, copia; aut confertæ ſimilis manui coacervatio: tota ferè huic militat generi. Formulas omnes cogentes intellectum; arbitrium impellentes: harmonicos illos caſtrorum choros; periodorum, inquam, vocúnque ſonos numeris dimicantium: Argumentativa ferè cunctas Oratio præſcribit. Hæc modò in Concionibus urget: modò inter Panegyres luſitat: modò Cauſas agit in foro: nec raro Doctrinali ipſi mutuam aliquam dat partem. Hujus arti, quotquot utriuſque ſunt Eloquentiæ magiſtri; quotquot aſſertores; hàctenus inſudarunt. Huic uni Moyſis, & Aaronis ſimul miniſteria conceduntur. Ab hac una tabernaculum ſimul, & tentoria præſidium recognoſcunt. Nihil igitur nobis actum agere renuentibus de ea cùm explicandum remaneat: ad alterum genus liceat pertranſire.

RUDIMENTUM II.
De Oratione Doctrinali.

NOvum miretur Eloquentiæ genus Suada: & ſingulare Sacræ Rhetoricæ inventum veneretur. Rhetores

ſes in Græcâ dictos Eccleſia ſacrarum interpretes litterarũ; meminit.* Codinus. His viam aperuit Synagogæ. è Moyſis ferè temporibus, * divinæque legis primordiis originem ducens conſuetudo: juxtà quam & Apoſtolorum temporibus in eadem, poſt lectionem prophetarum, & legis,*Cõcio habebatur; exhortatorius ſcilicet ſermo, ac moralis; * veluti ejuſdem lectionis Paraphraſis. Eoſdem poſt hæc Patris inſtruxit Æterna Sapientia; cùm Apoſtolos * miſit in mundum univerſum prædicare Evangelium omni creaturę; *& docere õnes gentes ſervare, quæcunque mandaverat. Tandẽ clariùs his erudivit infallibile Divini Numinis Oraculum, * Tridentinum Concilium: *Docendo ea, quæ ſcire, omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem: annunciandoque eis cum brevitate, & facilitatè ſermonis vitia, quæ eos declinare; & virtutes, quas ſectari, oporteat.*

SPECIE tamen duplici genus hoc à noſtri temporis Oratoribus pertractatur: Expoſitoriè ſcilicet; & Diſputativè. Primum habet illa priſtina Patrum prędicatio: de qua hàctenus dictum eſt; tota in expoſitione ſacrarum inſiſtens litterarum. Secundum verò ad illius normam fuit introductum à recentioribus, quod libuerit, aſſumptum aliquod agitantibus variarum, quas introducere poſſunt, quęſtionum reſolutione: quod præſtant Areſius de Tribulatione; Juſtinianus in templo Lauretano ſuper Litanias; & alii.

Expoſitoriæ Doctrinæ munus exigit primò: ut explicetur Scripturæ locus; non ſolùm juxtà litteram; verùm & ſecundùm omnes myſticas intelligentias: allatis, ad majorem doctrinæ ubertatem, omnibus ad eam tendentibus explicationem; quæ magis erudiunt circa Sacrorum ſenſum Bibliorum auditores. Secundò: ut paſſim fiant morales quędam reflexiones: breves quidem; ſed maximi tamen roboris: ac tandem alicui morali diutiùs inſiſtatur puncto; quod & Orationem claudat; & viam ad affectus aperiat, ſive contritionis; ſive alios quoslibet, Epilogo conſentaneos. Hoc enim (inquit * Areſius) inter Theologum eſt; & Didaſcalicum Oratorem: cathedram inter; & ſuggeſtũ: quòd ibi Theologo ſufficiat, ſi ejus intelligantur doctrinæ; hìc Orator, ut Rhetorici non obliviſcatur finis, ex iis, quæ docet, motus conetur eruere voluntatis. Tertiò: ut ſi, quod

De Offic.
Philo de vit. Moyſ. & Joſeph hebr. l. 2. cont. Appion.
Cornel. à Lap. in Act. Apoſt. c. 13. v. 15.
Anter. M. à S. Bonau in Act. Apoſt. 13. v. 15.
Marc. 16.
Matth. 28.
Trid. ſeſſ. 1. c. 2.
Art. pred. l. 1. c. 6.

deliberandum occurrit, obſcuram habeat praxim, vel difficilem; aperiatur, explanetúrque via: & ſic etiam doceantur auditores. Cùm autem congruum ſemper ſit; ut, quemadmodum innuimus, aliquid de litterali Scripturæ ſenſu proponatur: quo id præſtandum eſt loco? De tribus, quantùm arbitror, partibus quæri poteſt: Exordio ſcilicet; Introductione; & Orationis reliquo corpore, quod vices gerit variæ Confirmationis. Ex his ſola tertia capax videtur prolixioris explicationis; quemadmodum & in forenſibus dictum eſt, totam quandoque Actionem à Narratione occupari. Ejus verò, quæ brevibus abſolvi poteſt, aptior locus eſt Introductio; quæ ſegregatæ Narrationi Judicialium correſpondeat. Solet etiam haud nunquam eſſe non importunum Exordium; quaſi docilem reddens, & ad exponenda myſteria attentum auditorem.

Diſceptativæ verò munus eſt plures, quà Theologicas, quà alterius ſcientiæ quæſtiones paſſim inſerere ad rei, de qua ſit ſermo, naturam dignoſcendam, & circunſtantias: è quibus moralia paſſim monita (ſed prolixiùs aliquantò in fine) ad Epilogum uſque deducantur. Sic de Virginitate acturus inquiret cum Scripturæ interp retibus; quod habuerit in terris initium hæc virtus? inquiret cum Theologis; quæ integram Virginitatem conſtituant; & quæ parata Virginibus aureola? & in utriſque verſandis quæſtionibus plura incidenter nectet exagitanda. Opus utique difficillimum. Parùm nanque fortaſſis erit Cyclos, & Zonas; Polos, & Æquatores nominare: Diametros, & Peripherias; Rhombos, & Trigonos dicere: Diapente, & Hemitoniũ circumſonare: de Circumſeſſionibus, & matutina, vel veſpertina cognitione quidquam dicere: levis enim labor, è tot auctorum libris pauca tranſcribere. At verò cœleſtiũ circulorum, ſignorúnque diſtantias, ſitum, proprietates reliquas illuſtrare: at Matheſeos explicare elementa, propoſitiones, problemata: muſicas at noſſe, & diſtinguere, & implicare figuras: at Theologicas è nucleo ducere difficultates; & veluti ex cathedra loqui: *hoc opus; hic labor.*

LOCI autem, è quibus hauriri doctrina poteſt, omnem utique Rhetoricæ Inventionis includunt Topicam: ut de re qualibet diſputari queat; quod nomen; quod ge-

nus ſit; quænam ſpecies, vel partes; quænam oppoſita, vel comparata; quæ demum cauſa; vel reliquę circumſtantiæ. Sed quia miſtum Theologico Rhetoricum tenet imperium noſter Orator: aliorum quoque pręſidio locorum ſepitur. Primùm igitur quadruplex illud Philoſophicæ diſceptationis caput adhibebit, inquirens; an res ſit, de qua verba facit; quid ſit; qualis; & propter quid ſit. Mox Propoſitione qualibet de re formata; multiplicem ad argumentandi recurrat modum; à priori; à poſteriori; à pari; à ſimili; à fortiori. Sic (inquit * Areſius) probaturus; humilitatem ſatis diſponere ad divina recipiendum beneficia; docebit, quomodo Deus in omnibus, ut primarium finem, ſui intendat gloriam; ſecundariò verò noſtram utilitatem: ut indè probans; humilem, & cuncta Divinæ tribuere bonitati; &, quòd inopem ſe credat, magis inter divinas largitates proficere; inferat à priori, Deum ſibi magis, quàm in cæteris, in humilibus complacere. *Art. pred. lib. 1. c. 32.*

VIRTUTES verò, quas exigit doctrina, quantùm ad nos attinet, ſunt Sanitas; Utilitas; Claritas; Ornamentum. Sanam in ſuo Tito doctrinam requirit * Apoſtolus: *Tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam*. Primò itaque noſter eſt monendus Orator: ut nolit * *omni ſpiritui credere: quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundū*: ſed, quas afferre cupit doctrinas, ex ipſo catholicorum auctorum hauriat fonte: vel ſaltèm examinet ipſe; aut cenſuræ exponat alterius doctioris. Secundò non ab iis ſolùm abſtineat; quę falſę ſunt: verùm &, è quibus ignarum vulgus ſcandali ſugere venenum poſſet; cujúſmodi latiores ſunt quędam Moralium Theologorum opiniones. Tertiò (his conſentaneè) ne rebus fidei, pacificum ubi ea poſſidet, animorum imperium intermiſtis de hæreticorum erroribus, ac fallaciis, diſceptationibus exturbet; ſed de iis duntaxat verba faciat; communis aliquis error cùm eliminandus occurrit: & ne plùs eorum explicet ſophiſmata; quàm ſui neceſſitas muneris expoſcat. Quartò demum caveat: ut non à rebus modò, quas docet; ſed & à verbis, quibus utitur, periculum quodvis erroris abſcedat: plura nanque ſanam ex ſui primordiis ſortita ſunt ſignificationem; quæ tamen in perniciem humana malitia pervertit. Quod poſtremum *ad Tit. 2. v. 1.* *Jo. epiſt. 1. c. 2. v. 1.*

inter Elocutionis vitia ſub Cacophati nomine reprehendit
inſt.8.c.3. * Quintilianus; quantùm ad modeſtiam attinet: cùm ea ſemper fuerit temporum infelicitas; ut plura ſanctè priùs dicta, deinde prava conſuetudo in obſcœnum detorſerit intellectum. Quæ licèt culpam non dicentium habeant; ſed audientiũ: *tamen vitanda; quatenùs verba honeſta moribus perdidimus; & evincentibus etiam vitiis cedendum eſt.*

Utilem ut exhibeat Orator; non debet jejunam, & à morum directione remotam proferre doctrinam: ſed indè ſemper conetur aliquid ſuaſionis concludere; ut ſapientiæ radii aurum bonæ deliberationis producant. Meminerit ſui præceptoris: de cujus prędicationis verbo Hieronymus * intelligit; quòd ſimile ſit grano ſinapis omnibus minimo ſeminibus; quod tamen fixis in animorum campo radicibus, cùm creverit, *Majus factum eſt omnibus oleribus.* Quid enim operis habent tot curioſæ quæſtiones? Quid tot idiomatum lexicis farcinatus ſermo; & pluſquam fabuloſum illum tricorporem Geryonem redolens? Quid poſtliminio ſæculorum in lucem reducum tot abditorum obſervationes auctorum: tot ignotæ ſententiæ? Quid demum habent ſtellarũ ſupputationes: dimenſiones cœlorum: Regnorum, Provinciarúnque ſingula recēſita nomina: ab Adamo repetitæ Genealogiæ: teſtimoniorum idem reddentium farragines: & hujúſmodi cæteræ doctrinæ enervis oſtentationes? Sit igitur doctus noſter Orator; ſed prudens: & ne quid, præter Orationis finem, & Artis proferat inſtitutum.

in Matth. 13.

Claritas in omnibus ſemper; in doctrina tamen apprimè neceſſaria: cùm ejus ut plurimùm objectum longè plebis captum excedat. Hanc duo præſertim faciunt: Primò nanque nimis abſtruſæ, & è ſcientiarum ſacrariis petitæ doctrinæ, utpotè vulgo prorsùs ignotæ, non ſunt in medium adducendæ. Nam (ut Auguſtinus * ait) *Quod ſimplicibus dictum fuerit; ſcholaſtici intelligere poſſunt: quod autem eruditis fuerit prædicatum; ſimplices omninò capere non valebunt.* Quomodo autem movebuntur à rebus; quas non intelligunt? Quare de elatioribus Theologiæ quæſtionibus aliquando prædicantem D. Joannem Chryſoſtomum cùm audiſſet, quæ convenerat, anicula; è ſuggeſto deſcendentem re-

Serm.7. de temp.

redarguit; monuítque, ut ea in poſterùm diceret, quæ ab omnibus intelligerentur: monitíſque paruit Sanctus Doctor. Secundò, quæ neceſſariò ſunt afferendæ, apertiſſimis verbis explicentur; & quo fieri valet, clariſſimè: popularibus etiam ad captum adhibitis ſimilitudinibus. Quod & idem Africanus Doctor * monet: ut ſcilicet *verbum; quod, niſi obſcurum ſit, vel ambiguum, latinum eſſe non poteſt; vulgi autem more ſic dicitur, ut ambiguitas, obſcuritaſque vitetur: non ſic dicatur, ut à doctis; ſed potiùs, ut ab indoctis dici ſolet.* Undè annunciaturum Chriſti teſtimonium, non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ, ſe veniſſe, * Apoſtolus profitebatur.

Doctr. Chr. l. 4. c. 10.

1. Corinth. 2. v. 1.

Ornatam demum oportet eſſe Doctrinã; ac ſimilitudinibus, ſententiis, cæteríſque Rhetoricis indumentis veſtitam: non incomptam; non nudam; non horridam: modeſtè tamen; & ſine fuco ornatam, & jactantiam. Quare abſtinendum omninò ab iis, *Attendite Theologi*; ſimilibúſque formulis rem oſtentantibus ſingularem: ut ritè monet *Areſius. Abſtinendum quoque à facili alienarum cenſura opinionum: quæ ſi notæ haud ſunt auditoribus; ſileantur potiùs: ſi verò notæ; verecundè, & boni ſecùs auctoris ſuppreſſo nomine, redarguantur. Ea demum ſerventur omnia; quæ aptus audientibus ſtylus ſuperiori in libro præſcripſit.

Art. pred. l. 1. c. 33.

STYLUS autem huic aptus generi familiaritatem petit; ſed gravem. Vocibus inter communes melioribus utitur: quæ tamen ab omnibus intelligantur. Eſt denique prudens: accuratus: ad motus omnes flexibilis: omnibus, inſtar Prothei, ſe accommodans; non calliditatis illicio; ſed alienæ ſalutis induſtria: felici quodam profluvio per omnes partes æquabiliter fuſus. Interim tamen, aut attentè monens; aut acriùs objurgans; juxtà varias incoſtantis plebis inclinationes: ut populare decet dicendi genus. Popularem enim ne putet aliquis humilem; abjectam; vilem quorundam dicendi formam: qui ferè nihil præmeditati, quidquid in buccam venit, eructantes; familiariter ſe putant dicere, cùm clamant; cùm lamentatrices ſimulant; cùm proverbia proferunt è triviis petita, & plateis. Nec popularem appello Stylum; qui vulgo utcunque placet. Hoc

enim (ut Tullius * ait) *interdum non probandum Oratorem probat: cùm à mediocri; aut etiam à malo delectatur.* Quare; cùm Athenienſis Phocio plaudentem ſibi populum adverteret aliquando; doluit, veritus; ne ſibi verbum minùs artificioſum imprudenter excidiſſet; quod vulgi plauſus mereretur. Et de hujuſmodi acclamationibus Plutarchus * affert illud Euripidis: *Vulgo placere, ſapientibus eſt diſplicere.* Dico verò populare dicendi genus: quod ita plebi arridet; ut ſuadeat: quódque ita delectat; ut proſit: &, ne quidem apicem, ſolis aurium blandimentis impendit. Hoc enim; cùm ad normam fit artis; licèt populare, Doctioribus etiam commendabitur: quandoquidem * *Mala multi probant: nemo improbat bona.*

in Brut.

de Educand. liberis.

Quintil. inſt. 12. c. 10

PARS SECUNDA.

DE ORATIONIBUS NON-ABSOLUTIS.

HActenus Orationum præcipua tractantes genera, in effingendo Suadæ ſceptrum deſudavimus, & coronam. Gemmas his protinùs, margaritáſque nectemus: ut neque ſummum ipſum intellectualium Artium decus ſuis careat ornamentis. Ea verò triplex ad caput attinent: quorum prius ſub grata Symboli obſcuritate ſenſus arcana locutione promentes continet Orationes; quæ proindè Symbolicæ dicuntur: habet poſterius eas; quæ ad memoriæ perennitatem conſuevere lapidibus incidi; vocatæ ob id Lapidariæ: poſtremum verò reliquas complectitur omnes ad genus hoc attinentes. Quod utique genus Non-abſolutarum donavi nomine: quòd non omnem, abſolutámque Rhetoris exquirant artem ad ſui perfectionem. Licèt enim & ipſæ, quæ requirunt, perfectiſſima velint Oratorum munera, ſuique partes: non tamen omnia requirunt. Nul-

lam

Iam ſiquidem exigio Memoriam dicentis, Actionem nullā, aut Prolationem Hiſtoria, vel Epiſtola, aut ejuſmodi quælibet Oratio: niſi ex iis ſimus; queis emendatam ſcribendi rationem id generis Orationum Pronunciationem arridet impropriè nuncupare.

CAPUT I.

DE ORATIONE SYMBOLICA.

Quidquid alterius Signum eſt; id omne generico* poteſt Symboli nomine nuncupari. Quare Stagirita* pro eodem utrunque ſumens ait: *Nominū autem quodvis eſt Symbolū*; id eſt ſignum. Proinde Symbola dicta ſunt nuptiales annuli: ænigmata: numiſmata Imperatorum: literę collybiſticæ ad permutandā abſque vecturę periculo pecuniam inſtitutæ: militares quoque literæ; quibus locus, quò conveniendum eſſet, militibus indicabatur: quin* & Epiſtolæ quælibet; ac chirographa. Inſuper & Symbola vocabantur teſſeræ: ſive hoſpitales à Civitatibus datæ iis, quos amica hoſpitalitate à fœderatis oppidis recipiendos vellent: ſive militares; ut in caſtris Syllæ, Apollo Delphicus; quibus ab hoſtibus milites diſcernerentur: unde & fidei confeſſio Apoſtolorum dicitur Symbolum; veluti teſſera; quia veri à falſis Apoſtolis ſegregabantur; à quibuſdā ſcilicet Judæis, qui lucri gratia Chriſti ſe Apoſtolos ſimulabant, errores prædicantes. Rursùs; quodcunque plures ad comparandam cœnam conferebant; Symbolum appellabatur. Quare Terentius* ait: *Symbolum dedit: cœnavit; &c.* Et apertiſſimè* Divina Sapientia monet: *Noli eſſe in conviviis paratorum; nec in commeſſationibus eorum, qui carnes ad veſcendū cōferunt: quia vacātes potibus, & dantes Symbola conſumentur.*

Suid. v. Symbol.

Ariſt. de Senſu, & Senſili.

Plaut. in Bacc.

in Andr.

Prov. 23. v. 20.

Nunc tamen à nobis accipitur Symboli nomen pro Figura rem aliquam ingenioſo Tropo denotante. Licèt enim quævis translatio, quemadmodum & fabula, & ænigma, & comparatio quævis, præſertim Metaphora ſimilitudinis,

Sym-

Pal. Eloqu. exerc. 3. lect. 3. p. 11. Symbolum ſit; ut hoc diviſerint* Patres Moguntini in verbale, & pictum: attamen hic de ſolo picto ſermo eſt. Definiri itaque Symbolum poteſt *Apparens Figura translata à propria ad occultam aliam ſignificationem*. Quod duo importat explicanda: locos ſcilicet, ex quibus ejúſmodi deduci figuræ valeat: & determinativum; cujus vi alienam potiùs, quàm propriam exhibeat ſignificationem.

LOCI ſunt iidem; qui & Metaphoras, & reliquos pariter ſubminiſtrant Tropos: ut volens exprimere avarum hominem Gryphum ſufficienter exponam; cujus eſt auro tenaciter adhærere: & ſic de cæteris. Quælibet igitur ſculpi, aut deſignari coloribus poſſunt; cuncta Symbolis dant figuram. Poſſunt autem quæcunque excogitabilia: ut ritè Ludionis picturas Plinius Secundus dixerit *Pictura argutias, & facetiſſimos ſales*: atque de Timante aſſeruerit; *In omnibus ejus operibus intelligi plus ſemper, quàm pingitur; & cùm ars ſumma ſit, ingenium tamen ſupra artem eſſe*. Naturalia igitur primùm corpora Symbolis figurata inſerviunt: ut ſi ocymum herbam (*Baſilicam* vulgo dictam) depingeres, ingenium ſecutus Genuenſis Oratoris Franciſci Marcheſii;* qui à Galeacio Sfortia Mediolani Principe cùm, ſemel, iterúmque petens, ut debitam Genuæ libertatem permitteret, excluderetur; eidem convivanti intrà argenteum vas ocymum miſit; ut indicaret, Genuenſes, inſtar Baſilicæ, leniùs tractatos amoris fragrantiam; graviùs attritos ingratum hoſtilitatis odorem emiſſuros. Artificialia quoque ſunt apta: cujúſmodi miſit* Boleslaus Poloniæ Rex uni ex Proceribus; qui fugiens anſam dederat exercitui ſigna deſerendi; adjunctum ſcilicet lepuſculi pelli colum, & fuſum: cujus ingenioſæ cenſuræ ſignificatio eã in hominem confuſionem induxit; ut ſuſpendio ſibi mortem intulerit. Poetica pariter, ac Chimærica locum habent: ut Pegaſus: aut, quod monſtrum Ægyptiis inſculpebatur pyramidibus, Onoander; ſcilicet Homo-aſinus. Portentorum accedunt imagines non obſcuriorem habentes, quàm ipſa portenta, ſignificationem: ut ſi narratam ab Ariſtotele Micitii ſtatuam effingeres improviſa ruina Micitii occiſorem opprimentẽ; ad denotandam imminentem ſceleſtis ultionem: aut aquilam imperiti Diadumeni pileum Regis cujuſdam ſtatuæ ſuper-

Juſtin. Genuenſ. Hiſt. l. 6.

Cromer. l. 6.

perimponentem; veridicum præſagium Regiæ dignitatis. Ideales addit ingenioſa pictura imagines: cujus induſtriæ princeps fuit, & adinventor Apelles: cùm enim vellet indicare, Alexandrum non modò Perſiam armis, ſed & pacis olea bellum ipſum viciſſe; poſt triumphantis currum Macedonis Furorem bellicum coloravit, Juvenis inſtar furentis, oculis igne flammantibus, ſanguine ſpumantibus labiis, obtritis armis, vulneribus pariter, & catenis onuſti. Quin & colores ipſi Symbola ſunt: cùm enim priſcis à quibuſdam Philoſophis datus fuerit Flavus Soli; Candidus Lunæ; Cæruleus Jovi; Viridis Veneri; Ruber Marti; Purpureus, aut Violaceus Mercurio; & Niger Saturno: indè coherenter ad horum planetarum influentias, vel ad ſomniatas falſorum numinum fabulas, ſignificat primus Nobilitatis, Divitiarúmque ſplendorem; ſecundus Fidem, & Innocentiam; tertius Cœleſtia, ſupernáque meditantem; quartus Vindictam, & Bellicam virtutem; quintus Induſtriam; ſextus denique Mœſtitiam, & Lugubria.

DETERMINATIO his omnibus Symbolorum corporibus ultimam tribuit perfectionem. Quemadmodum enim artificialis figura aurum determinat, ut ſit annulus potiùs, quàm inauris; ipſæque voces, præter ſuum ſonum, quem ex ſe habent indifferentem, ut hoc præ illo ſignificet, requirunt ex hominum placito idiomatis ſignificationem: ita & Symbolorum figuræ exigunt determinari. Solem etenim, quis neſcit, poſſe, vel ob ſimilem in ſplendore virtutem; vel ob indifferentem ſui luminis effuſionem, paternam Dei importare Providentiam; qui *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos? Matth. 5. Determinatur autem figura ſex præſertim ex capitibus. Primò nanque Naturalis, quæ principalior ſit, & conſpicua, rei depictæ qualitas vim habet determinandi: undè Vulpes aſtutiam; Gryphon; quòd auro ſemper incumbit, avaritiam deſignat. Secundò primorum alicujus Symboli inventorum voluntaria Inſtitutio inviolata lege jugiter obſervata: cujus generis ſunt oculus ſceptro ſuperpoſitum ad denotandum Deum omnia videntem pariter, ac moderantem, atque ejúſmodi cætera famoſiora Ægyptiorum Hieroglyphica. Tertiò brevis additarum Vocum acceſſus integram cum figura metaphorã

com-

complentium; quod Lemma dicitur: ut ſi ad Dei Providentiam exprimendam Soli ſupponerem : *Super bonos, & malos*. Quartò circunſtantiæ, in quibus Symbolum explicatur: ut cùm accepto nuncio à filio Gabiis degente, rogantéque rationem, qua populi compeſcere poſſet tumultus; Tarquinius hortum adiens, coràm nuncio ſumma cœpit papavera longo vimine dejicere; ac tacens ſe in palatium recepit: quod ingenioſè filius interpretatus, rebellionis proceres capite detruncans, pacem revocavit. Quintò cunctarum partium figuræ concurſus; ſingularum ſcilicet figurarum in totatem unam conſpiratio; quod habuere Caligula, & Domitianus; cùm ſtatuis, ille Capitolini Jovis, hic Herculis, capitibus detruncatis, proprii capitis imaginem ſuperpoſuere; ut ſe Deos facerent: habuere & Scythę; cùm ſuperbæ

in Melpom. illi Darii epiſtolæ, de qua * Herodotus, reſponderunt ſolo munere avem continente, murem, ranam, & quinque ſagittas; quaſi, ſe hoſtes confoſſuros, minarentur; niſi vel in cœlum ſubvolarent, vel reſilirent in paludes, vel terræ

Ælian. l. 9. ſubirent penetralia: habuitque domum * Taurosthenes; dum ad bellum proficiſcens, columbam à pullis recentiſſimè natis abductam cùm ſecum evexiſſet; ubi Piſam incolumis pervenit, ornatam purpura domum remiſit ſuæ nunciam ſalutis. Sextò denique ipſius activitas figuræ: qualem habebat ab Apelle depictus Alexander fulminibus ſtrictis; ut Jupiter crederetur: idémque à Liſippo cœlum aſpiciens inſculptus; quaſi, terrarum orbe univerſo triumphato, cœlo bellum indiceret; reverà tamen ſic expreſſus; ne gibboſus, ut erat, redderetur. Quæ tamen omnes determinationes tranſlatæ ſemper eſſe debent; & aliquid præter certam illam figuræ ſignificationem importantes; quod ſagax inveniat, explicétque ingenium ſpectatoris. Quare Symbolum nequaquam dicimus Cleopatræ ſibi aſpidem applicãtis iconem, quam poſt currum duxit triumphans Auguſtus Cæſar: ea nanque veræ Cleopatræ, quam ſolam explicabat, proprium ſignum erat.

His itaque de Symbolis univerſim expoſitis: ad cunctas nunc eorum ſpecies eſt deveniendum. Quamobrem ſit.

RU-

RUDIMENTUM I.
De Hieroglyphicis.

SI non etymologiam modò; ſed, & primam inſtitutionem ſicet inſpicere: idem omninò Hieroglyphicū eſt; ac *Sacra Sculptura*. Ut enim Clemens * refert Alexandrinus; ante inventum characterum, & ſcripturæ uſum, conſueverant Ægyptiorum, Chaldæorúnque poſt hos, Sapientes per animalium figuras (ut loquitur Cornelius Tacitus) ſenſum mentis de ſacris rebus exprimere: ſimul, & ænigmatum ſiuvolucris, ne in plebejorum intelligentiam facilè permanarent, obvolvere; rerum imaginibus characterum loco Templorum valvis, ac pyramidibus incidentes. Proinde hujúſmodi Symbola *Ignorabiles notas* vocat Apulejus: Budæus verò Sacra quædam monumenta, non literis, ſed ſculptis rerum, animaliúnque figuris ſignificantia. Dátque Florus Apollo * in exemplum Apem; quam depingebant ad populum Regi obſequentem ſuo deſignandum. Cùm tamen aliæ deinceps nationes præter arcanam ſacrorum ſignificationem ejúſmodi cœperint adhibere figuras: (quod pro privatis etiā ſupputationib' cōſueviſſe Septētrionales populos, teſtatur * Olaus Magnus) indè cœpit nonnullis latiùs Hieroglyphicorum patere nomen; è quibus * Emmanuel Theſaurus id definiens Metaphoram ſignificantem ſimplex objectum media ſculpta, aut depicta figura. His tamen (ut apertè loquar) acquieſcere minimè poſſe videor.

Strom. l. 5.

l. 1. Hieroglyph. 59.

l. 1. c. 21.

Cann. Ariſt. c. 17.

EST itaque nobis Hieroglyphicum Sacrum Symbolum verbali determinatione non indigens: ſeu clariùs eſt *Apparens figura translata à propria ad occultam rei ſacræ ſignificationem. abſque exigentia verborum ingerendam*. Ut quid enim ſolius ſimplicis objecti Symbolum velim Hieroglyphicum: & non, quemadmodum è ſimplicium objectorū vocalibus ſignis; ita pariter ex figuratis Orationē componendam permittam? Metaphoram jam habeo, imò & Tropos omnes; dum translatam appello figuram: ſed volo quoque Sacram ad Stemmatū Numiſmatúnque diſcrimen: ſed volo ſine vocibus, & ſe ſola ſignificantem, ad Emble-

 matum,

matum, ac Phrenoſchematum, quæ ſacris de rebus fieri, nihil obſtat, differentiam: de quibus omnibus infrà.

ERUITUR verò Hieroglyphicorum figura triplici ex capite ab Alexandrino Clemente *enumerato: Imitatione; Tropis; & Allegoricis Ænigmatibus. Imitatio, ut explicat * Sixtus Senenſis, per characteres rebus ipſis perſimiles deſignat; ob extrinſecæ, credo, formæ ſimilitudinem: ut ſi circulum pro Sole; vel pro Luna ejuſdem cornuum formam præſeferentis ſculperes imaginem: quæ ſola ſunt hujus capitis exempla à Clemente allata. Tropi per convenientiam traductam, atque translatam exhibent ſignificationem: qua utuntur; (ut inquit Clemens) qui Regum laudes fabulis, per quas in Deos referuntur, mandantes; inſculptis inſcribunt notis: puto; ut ſi Academici ſui Promethei aræ ejus incidiſſent imaginem; ſive luteos formantis homines; ſive ferula ad ſolis currum admota, ignem rapientis: quò eundem deſignaſſent; quà homines ad urbaniorem vitam è ſylvis evocantem; quà cœleſtis ignis eliciendi rationem mortalibus indicantem: ob quæ divinum ab hominibus eſt adeptus honores. Allegorica verò Ænigmata ſolùmmodo à Tropis prędictis cenſeo differentia; quòd obſcura ſint in ſui prima inſtitutione; illi verò notiores: affert enim horum bina exempla noſter Alexandrinus; alterum Serpentis, ad ſydera, ſtellatúmve cœlum indicandum* ſquamarum varietate; alterum Scarabei pillulam è ſtercore geſtantis, ad oſtendendum ſolem, cujus opera Scarabei proprietatibus haud paucis comparat Appion Grammaticus apud * Pierium. Universè tamen deſumitur Hieroglyphicis apta figura ex õnibus iis locis; quę Tropos quoslibet, ac pręcipuè Metaphoram ſubminiſtrant.

Strom. l. 5. *Biblioth. l. 3* *Pier. l. 14.* *l. 8. cap. 1.*

RUDIMENTUM II.

De Emblematibus.

NIhil penè fuiſſet primævæ illi, ac eruditæ Græcorũ ætati corporis vacare ornamentis; niſi eiſdem virtutum quædam inſignia arcanis indicata figuris copulaſſent. Proinde quæcunque ad ornatiorem vitæ uſum adhibebantur; Symbolicas iis quaſdam inſerebant imagines; quas

quas Argumenta, Parerga, Anaglypta, & communiùs Emblemata nominabant. Erat igitur primitùs Emblema aſcititium quoddam ornamentum: cujúſmodi in veſtibus, & aulæis phrygiatum quodlibet eſt; in pavimentis,& lignis teſſellatum quodvis, aut ſegmentatum: in parietibus muſeatum, uermiculatúnque opus: in vaſis demum aureis, argenteiſque, ac Corinthiis, gemmæ, claviculi, ac reliquæ ſunt cælaturæ, cùm libitũ eſſet, exemptiles. De quorũ furto poſteriorum Verrem * accuſat Cicero; quòd Haluntinorum vaſa Emblematibus ſpoliaſſet. Sunt hìc,qui putant; Emblemata quoque fuiſſe clypeorum quaſdam, vexillorúnque Symbolicas figuras; quæ non adhuc lemmatibus animatæ conſurgerent in Phrenoſchemata. Verùm his opponitur Emmanuel Theſaurus; * dũ Clypeũ, apertè docet, eſſe Phrenoſchematis propriũ locũ; idénque ab Emblemate diſcernere. Ex quo etiam ſequitur;Emblemati non competere vexilla: cùm & ipſa Martialia ſint inſtrumenta, primáque naſcentis cunabula Phrenoſchematis. Nec mira nominum penès antiquos auctores confuſio: priúſquam enim ab Italis excolerentur Phrenoſchemata; propriã non erant ſortita nuncupationem.

Act. 5.

Cann. Ariſt. c. 16.

PARTES porrò communiter tres Emblematibus aſſignantur:& harum eſſentiales duæ; Figura ſcilicet, & Inſcriptio: & harum primam, ut materiam; ſecundam verò, ut formam,cenſet * Alexander Donatus: tertia accidentalis; nempè Thema.

Art. Poet. l. 3. c. 32.

Figuram unicam non ſemper eſſe debere; contra Lucam Contilẽ ſuadet exemplum Alciati; quem, utpotè Artis hujus omnium conſenſu Principem, pro ſe affert* Silueſter Petraſancta. Ea verò poteſt, quæcunque velis,repræſentare. Repræſentat enim apud Alciatum modò Naturalia corpora: modò Artificialia, Poetica, Hiſtorica, Idealia, aut Chimærica. Naturalis eſt * Quercus;laciniatis quanvis foliis ventorum impetu decuſſis; validis tamen innixa radicibus: Fortitudinis idea. Artificiale * Sepulchrum eſt Archilochi inſculptas de marmore circùm habens veſpas: Maledicorum nec mortuis parcentium ſignum. Poeticus eſt * Narciſſus reverberatæ ab aquis imaginis ſuæ contemplator: Philautiæ, amoris ſcilicet proprii, Symbolum. Hi-

Symbol. Her. l. 5. c. 2.

Embl. 42.

Embl. 51.

Embl. 69.

Embl.29. ſtoricus eſt * Regio cultu triumphali currui inſidens Antonius; quem ſubjugati leones trahunt ad oſtendendum ſe
Embl. 122. etiam ferociſſimos domari. Idealis eſt * (qualem Lyſippus effinxit) Occaſionis imago; ferè nudæ; pedibus alatis; fronte longiſſimis luxuriante capillis; occipite calvo; ac novaculā manu geſtantis acutiſſimam. Chimærica demum
Embl.68. * Scylla eſt, biforme monſtrum; fœmineum exhibens vultum, & pectus; alatos humeros; infima ſui parte in varia monſtrorum deſinens capita, quibus peculiaria aſcribuntur vitia: quam figuram aſſerit Impudentiæ.

Inſcriptio Carmen dicitur ab aliquibus: fit enim metro; quod vel diſtichon habeat; vel ad ſummū Epigrāma; aut aliud; modò nō prolixius. Undè miſtā ex Rhetorico, atq; Poetico opere ſuaſionem habere dicitur Emblema. Quod verò Carmen deſiderat, miſtum vocatur; quaſi ex Emblemate, & Phrenoſchemate coaleſcens. Munus autem Inſcriptionis eſt duplex: alterū explicare figurā: alterū eam applicare documento; quod poſtremū in miſtis Emblematibus ſupplet lemma. Documentum verò Morale eſſe debere, omnes conſentiunt. Quidquid autem ſuadet: modò evidenter monet: modò tacitè; laudando ſcilicet ſolùm, aut vituperando, quod agendum videtur, aut fugiendum: & utrumvis ſub quibuſcunque figuris excogitabilibus. Primum habes apud
Embl. 196. * Alciatum Veneri à Phidia ſculptæ hęc ſubſcribentem:

Alma Venus; quænam hæc facies? quid denotat illa
Teſtudo; molli quam pede, Diva, premis?
Me ſic effinxit Phidias; ſexunque referri
Fœmineum noſtra juſſit ab effigie.
Quodque manere domi, & tacitas decet eſſe puellas;
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.

Embl. 53. Poſterius verò contemplaris in * ejuſdem Chameleonte Adulatoribus comparato: ſub quo hęc legis:

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram
Reciprocat Chamæleon:
Et mutat faciem; varios ſumitque colores;
Præter rubrum, vel candidum.
Sic & Adulator populari veſcitur aura;
Hianſque cuncta devorat:
Et ſolùm mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudici neſcius.

Thema, ſeu (ut alii vocant) Lemma, eſt brevis notatio rei, de qua agit Emblema, figuræ ſuperaddita: ut cùm prædicto Chamæleonti * ſuperſcripſit Alciatus: *In Adulatores*. Hoc neceſſarium certè non eſt: ſatis enim ab Inſcriptione determinatur figura, totúnque explicatur Emblema. Admittitur tamen ut plurimùm ob id; quod de ſuorum Epigrammatum lemmate ſic monet * Martialis: *Embl. 53.* *l. 14. Epigr. 3.*

Lemmata, ſi quæris, cur ſint adſcripta; docebo.
Ut, ſi malueris, lemmata ſola legas.

EST igitur Emblema Symbolum populare; ſeu *Apparens figura explicata ſimul, & translata per breve carmen ad aliquid morale universè monẽdum.* Differt proinde à Hieroglyphicis: quòd hæc arcana ſint; & quæ Sacra ſolúmmodo ſignificant, ſub myſteriorum, & obſcuritatis contegant involucris: Emblemata verò ſint popularia; & evidentiorem habeant figuræ ſignificationem, tùm quia ex hujus ipſius natura claram, tùm quia expoſitam Inſcriptione.

Dividitur à Theſauro,* Verano, * & aliis primò in Deliberativum, Demonſtrativum, & Judiciale: ſi aliquem commendare, aut ſuadere, aut accuſare, vel defendere geſtiat: quod apud Alciatum habent * Bellerophontes inſidens Pegaſo; * Æthiopem fruſtrà lavantes; & * Virtus ſupra Ajacis tumulũ dolens de ſententia à Græcis data pro doloſo Ulyſſe ſuper armis Achillis. Dividitur ab aliis ſecundò in Morale; quod ad mores pertinet: Phyſicum; quod naturam exponit rerum: Hiſtoricum; quòd facta narrat: & Mythologicum; quod ficta commentatur. Dividitur tertiò à Theſauro * prædicto in Rationale; quod per modum Enthymematis explicatur: Morale; quod ſentẽtiosè docet: & Pathethicum; quod continet affectum. Sed meliùs, herclè, feciſſent; ſi tot numeraſſent Emblematum ſpecies; quot figuras habet Rhetorica; quótque imaginum genera continet univerſum. Unius igitur ſpeciei purum eſt Emblema; nempè Populare; Morale ſcilicet indeterminatè quenque docens, cui id ſpectare contigerit: cętera verò ſunt; aut variæ imaginum repræſentationes; aut formulæ vim addentes, & ſpiritum documentis.

Theſ. Cann. Ariſt. c. 16. *Ver. Panth. l. 10. exp. 3.* *Embl. 14.* *Embl. 59.* *Embl. 48.* *Cann. Ariſt. c. 16.*

RUDIMENTUM III.
De Phrenoſchematibus.

NOn ævi noſtri faſtidientes gloriam; ut quidam arbitrantur: ſed ut, quantum diuturna profecerint expolitione quæque Artis inventa, ſit clarum; ſingulorum originem inveſtigamus. Occurrunt autem hìc nobis inter vetuſtiſſima ingeniorum commenta Phrenoſchemata; quæ vulgò ſolent Impreſiæ nuncupari. Horum primordia (quanvis, ut naturæ eſt, perfectionis nondum attingentia ſignum) à Cariſcæ gentis militibus ducit Herodotus: qui (utpotè tūc temporis acerrimi ingenii) & galeis criſtas imponere; & deinde clypeis incidere ſigna; & poſtremò lora ſcutis addere primi docuerunt. Quos indè Romani præſertim duces ſunt imitati: ut colligi ex eo valet; quod (ut cætera ſileam) de fulminante legione Jovis ſignum, tergéminum nempè fulmen, inſculptum clypeis geſtante ſcribit * Horatius. Eadem ab Arturo Britanno Rege repetunt alii. Alii à temporibus trahunt Agamemnonis, Ulyſſis, & Perſei: quorum primus in Trojano bello Leonem; ſecundus * Delphinum; Meduſæ tertius, ſeu Gorgonis caput ſuis clypeis incidere. Repetit quoque * Æſchilus à ſeptem ad Thebas ducibus. Homerus autem, & Virgilius ab iis, quorum geſta commemorant, Heroibus. Nec defuit Hebræus Joſeph; qui apud * Veranum teſtatetur; Davidem etiam ſuū ejúſmodi Symbolo clypeum animaſſe. Quæcunque tamen ſit hujus antiquitas Symboli: certè Heroum eſt ſoboles antiquiſſima Phrenoſchema: quare Heroicum Symbolum ſolet pariter appellari. Verùm de Nominis nuncupatione lis aliqua pendet inter Auctores.

Hor. lib. 6.

Plut. de Solert. animali.

Æſch. Tragœd. de Sept. ad Thebas.

Panth. l. 10. exp. 8.

NOMEN itaque primùm ſortitum eſt Phrenoſchematis; quaſi mentis ſchema ſit: mens enim græcè genitivum habet *Phrenòs*. Floruit nanque poſteris temporibus penès Græcos hoc Symbolorum genus; & præſertim apud Athenienſes: quos tamen aliquando Lacon irridens dux, muſcā inciſam lineis ſuo dedit ſcuto, dicens; tam propè ad hoſtes ſe acceſſurum; ut vel muſcam illam diſpicere poſſent. Ubi verò Italiam ſalutavit: non modò ſui ſtudioſos habuit

buit invictos duces: verùm & perfectiorem longè Minervã; & peculiare nomen eſt nactum. Impreſiæ nanque appellationem non (ut ajunt * Taſſus; & * Capacius) ab *imprimendo* ductam cenſeo: hinc etenim potiùs dici debuiſſet *Impreſſa*. Neque (ut alii) à latina haurio voce, *Imprendo*; quæ laudabilis, arduæque rei denotat aggreſſionem: cùm indè meliùs dicta fuiſſet *Imprenſa*. Sed cum * Areſio, * Petraſancta, & aliis, totam ab Italica dictione *Impreſa* deſumptam puto: quanvis idem ſignificet; ac facinus, & opus; quod quiſque aggreditur, atque imprendit.

Taſſ. pag. 266.
Capac. l. 1. c. 7.
Areſ. Impreſ. l. 1. c. 1.
Petraſ. Symb. Heroic. l. 6. c. 1.

LEGES quoque ab Italia recepit. Primus enim; qui de re hac ſanciret, oſtenderétque ſimul Phrenoſchematis naturam; fuit Paulus Jovius: quem egregiè, præ cæteris, ſunt ſecuti Bargalius, * Areſius, & * Emmanuel Theſaurus. Solent hi tamen diſtinguere Simplex à Perfecto Phrenoſchemate; aliud ad ejus eſſentiam; aliud verò ad ſummam, quæ haberi poſſit, perfectionem jubentes: tótque requirunt ad poſterius hoc conditiones; ut ipſimet ultrò, citróque fateantur; nullum adhuc inventum hujúſmodi; ac penè reperiri non poſſe. Quin & inter ſeſe non parùm diſſident in ſanciendis legibus auctores. Nec mirum; quòd diſſenſionis ſit cauſa Phrenoſchema: dum inter prælia primum habuit ortum; ac, Scytharum more, clypeis eſt exceptus: undè clypeos, quaſi *Glyptos*, ſeu figuratos, ac ſculptos dici, putat Plinius ſecundus. Nos tamen rem brevibus, faciciliorибúſque expedituri, ad triplex, quæcunque eſſentiam reſpiciunt, reducemus caput; quod Figuram; quòd Lemma, breve ſcilicet dictum; quódque Translationem utriuſque ſimul partis continet, percurrentes: quæ de perfectione dicuntur, poſtremò paucioribus indicaturi.

Areſ. Impreſ. l. 1.
Theſ. Cann. Ariſt. c. 15.

Translatam itaque debere figuram eſſe, quæ Phrenoſchema conſtituit; indubium eſt ſcientibus, id eſſe Symbolum. Quare * non Impreſiæ cenſeri debent hominum imagines ad eoſdem exprimendos aſſumptæ, quorum ſunt: ſive præcipuæ habeant figuræ munus: ſive præcipuæ accedant; ut ſi fidelem polliciturus conſtantiam, canis quis linearet imaginem, ſimúlque amatæ perſonæ velut canem percutiétis. Hujúſmodi nanque meritò omnes reſpuit uſus; quanvis, Phrenoſchematum inſtar, lemmatibus ſubſignatas;

Areſ. Impreſ. l. 1. c. 18.

quia

quia ſcilicet eorum, quos indicant, immediata ſunt ſigna. Conſequenter Phrenoſchematum faceta duntaxat ſimia fuit cujuſdam inter duos amẽtes depicti imago; addito Italico lemmate: *Noi ſiam tre*: quaſi, qui medius erat, diceret: *Tres ſumus fatui*. Nec verò Phrenoſchemata cenſeo; quæ primùm inſculpta clypeis fuere, Imperatorum, ſub quibus militabatur, nomina; undè milites memorat * Hartius Cn. Pompeji nomen habentes; & Dio Caſſius refert, M. Antonium ſuis præcepiſſe, ut Cleopatræ nomen inciderent in ſcutis; quod & de Centurionum nominibus; & de ſuis quoque poſt hæc nonnulli facere conſueverunt: in his enim omnibus Translatio nulla apparet. Ænigmaticas pariter rejicio quaſdam figuras; quæ ob ſimilitudinem quandam cum characteribus, pro his aſſumuntur: ut ſi dimidiā lunam, ſolem, & forcipem depingens adderes, *Flagrat*; ad exprimendum, *Cor flagrat*. Ob id quoque excludo compendiarias quaſdam, aut clandeſtinas notas; ſive primas occultæ vocis literas offerentes; ſive ſuæ appellationis præbentes voces; quæ diviſæ, compoſitæ, variè combinatæ, addito quoque non rarò lemmate, aliud ſonent. Hujúſmodi autẽ ſunt *M T C*: nomen ſcilicet Ciceronis, Arpini oppidi inſigne monumentum; quòd talem Romæ dederit vitũ. Eſt quoque *FERT*; quod in torque Ordinis Sanctorum Lazarii, & Mauritii Sabaudiæ circunferunt Principes, quaſi Magni elogium Amadei: ſcilicet, *Fortitudo Ejus Rhodum Tenuit*. Flos etiam, quem *Semper vivum* dicimus: cui Virginius Urſinus addidit epigraphen: *Virtus reddit*. Muſicæ inſuper notæ, quas vocant *Fa Re*; & quas *Mi Sol Re*: quarum priores imperanti Cæſari propoſuit quidam ſuaſurus, ut Regem faceret; poſterioribus verò reſpondit Cæſar, ſe ſolum eſſe Regem: de quibus ingenioſus quidam ajebat; nobiles ſeciſs cantores eos non eſſe concordes. Arithmeticæ demum figuræ, 66. quibus addidit quidam: *Perche m' uccidi?* quarum hanc voluit interpretationem: *Si ſancta es, cur me necas?* Et cætera hujúſmodi ænigmatum genera: in quibus non à propria ad alienam ſignificationem imagines transferuntur; ſed pro vocibus aliquot, quæ vocalia ſunt ſigna, figuræ, quæ earundem ſunt vocum reales notæ, ſubſtituuntur.

* de Bello Alex.

Locos

Digitized by Google

Locos verò Translationibus præbent Tropi; cujuſcunque ſint rationis: quilibet enim Translationes ſunt. Synecdoche igitur cùm partes adhibeat pro toto; quanvis non poſſit ejus, quem Symbolum repræſentat, partem exhibere ad totum hominem innuendum; poteſt tamen abſtractā formam, quæ eidem tribuatur, ſu gerere: ut in Ducis Gulielmi Juſtitia, cum epigraphe: *Cuique ſuum*. Metonymia delineanda monet, quæ propinqua ſunt, & affinia; putà cauſas, effectus, ſigna, inſtrumenta, & ſimiles circunſtantias rei, quæ Phrenoſchemate eſt deſignanda: quod habet Cæſaris Calamus junctus Gladio (inſtrumenta ſcilicet utriuſque Palladis) cum lemmate: *Ex utroque Cæſar*. Catachreſis cùm unius nomen ad alterum aliquid affine, & ſub eodem genere poſitum denotandum adhibeat; ut poſſit, qui Matrem occidit, Parricida nuncupari; docet, affinis quoque imaginem opportunam Phrenoſchemati: quare, calamitoſæ parenti nunquam ſe defuturum, ut quis profiteretur, Cimonis Ducis filiam poſſet incidere * ultimæ ſenectutis Patrem cuſtodiæ, famique traditum proprio lacte alentem; cui additum: *Grata vice*. Antonomaſiam, ſi rigorem à nobis requiſitum, cùm de Tropis ageremus, ſervatis, fateor, non habere hìc locum: cùm exprimi nullo valeat pacto commune aliquid; quod uni, præcellentiæ merito, tribuatur, excludere tamē eam nequeũt; * qui Salomonē dicere pro Sapiente, vel pro ſtrenuo duce Martem, Antonomaſiam arbitrantur: nihil etenim minus habet virium eorundem depicta imago, quàm prolatum nomen, ad Tropicè ſignificandum. Metalepſis hìc pariter, quàm in omni alio dicendi genere, rariſſimum habet uſum; quia remotiùs transfert; adeóque obſcuriùs: ſed tamen habet aliquē; ſi imago, quæ cernitur, etiam ipſa Translatione quadam id deſignat, quod Phrenoſchematis objecto comparatur: cujúſmodi cenſeo Clodovei ſchema duo cœlo ſupina habens brachia; quæ duobus itidem aliis brachiis fulcirentur; hac ſubſignata dictione: *Tutiſſimus*: Moyſen etenim * protenſis orantem manibus, ceu partes præcipuas totum, Synecdoche brachia ſignificabant; & ille Regem Clodovaum hoſtilibus cuneis fuſas ad Deum preces, velnti inſuperabile præſidium, opponentem. Antiphraſis non * inte-

Valer. Max. l.5.c.4.

Areſ. Art. pred. l.3.c. 14.

Exod. c. 17.

Areſ. Im- pr. l.1.c.14.

grum ſubdit oppoſitæ ſignificationi Phrenoſchema ; ſed, quemadmodum Tropis unicam dat vocem à circunſtantiis, aliiſve determinandam vocibus ; ita & Symbolis hiſce figuram præbet, epigraphe * ad oppoſitam rem trasferendam : ut cùm Herculeis ſubſcripſit columnis Carolus Quintus ; quod latinè reddi ſolet: *Plùs ultrà*: & ingenioſus Hiſpanus ſauciato cervo, dictamnum in ore habenti lemma ſubdidit ; cui latina interpretatio : *Hic medelam habet ; non ego*. Inficiatur poſtremo huic loco Bargalius ; eoquòd cenſeat, non poſſe lēma figurę opponi, & hāc ei denegare, cui Phrenoſchema tribuitur : fatetur tamen ; hujúſmodi Phrenoſchemata communi uſu recipi, & omnibus artis hujus præceptoribus reliquis probari. Hoc nobis ſufficit ; & cum his ſentiendum ; tùm quòd, * ubi evidens ratio non evincit, unicus de re hac judex eſt uſus, & vocis, *Impreſia*, univerſalior acceptio ; tùm quòd rationem ſatis hìc aſſignaſſe me puto ; cùm innuerim, quomodo translatè poſſint oppoſitæ figuræ objecto Phrenoſchematis applicari: non enim ſola ſimilitudo, aut Metaphora, Translatio eſt.

Areſ. Impreſ. l. 1 c. 1 add. vn.

Areſ. Impreſ. l. 1. c. 4.

Metaphoræ tamen pacificum omnes tribuunt regnum, uſúmque frequentiorem ; quippè quæ eruditi ſermonis flos eſt, & deliciæ ; ſed non omni. Cùm enim duplicem ea habeat, in qua fundetur, convenientiam ; Similitudinis ſcilicet ; & Proportionis : huic ſoli perfectionis encomia tribuunt quidam ; ex quibus * Emmanuel Theſaurus, eam * inter Definitionis conſtitutiva comprehendens. Non tamen eſt nobis ; cur à prædictis recedamus. Quapropter ex utraque Maraphoræ ſpecie conſurgere Phrenoſchema poteſt : ex Similitudine ſcilicet ; ſive ſpecifica cum altero ſolùm individuo, ut cum Phœnice, unico ſuæ ſpeciei alite ; ſive in immediato genere cum integra altera ſpecie, ut cum Elephante : aut ex Proportione in eo conſiſtente ; quòd (ut ajt * Ariſtoteles) *Sicut ſe habet ſecundum ad primum ; ita quartum ad tertium*. Habent proinde veram Phrenoſchematis eſſentiam : tùm Areſii * Phœnix in rogo pro Sancta Apollonia in ignem proſiliente, cum lemmate: *Multiplicabo dies* ; tùm Elephas Emmanuelis Philiberti inter oves manſuetus ; cum epigraphe: *Infeſtus infeſtis* : tùm Helitropium in Sole Margaritæ Navarræ Reginæ à ſuo nunquam diſceſ-

Theſ. Cann. Ariſt. c. 15. th. 13.

ibid. c. 17.

Poet. 20.

Impr. 40. l. 5.

ſuræ

ſuræ ſponſo, cum inſcriptione: *Non inferiora ſecutus.*

Ad quem tamen transferri debeat *Phrenoſchema*; quadruplicem habet quæſtionem; nec omnes eodem modo definiunt. Primò nanque lis eſt: poſsitne hujuſmodi Symbolico idiomate alter de altero loqui; an de ſeipſo debeat? Utrunque autem poſſe, ſuſtineo cum Ferro, Bargalio, & * Areſio contra Herculem Taſſum. Id enim translatæ, figuratæque locutionis natura permittit: approbat verò communis conſuetudo: ut apparet in Comete, qui *Micat inter omnes*; in Aſsyriorum quoque clypeis columbam exhibentibus, tanquam ſuæ Reginæ Semiramidis ſignum; aliiſque offerentibus, ſive Principum, ſive Ducum, ſive Deorum imagines. Neque auctores, quos plures conatur Taſſus afferre apud * Areſium, intelligendi, niſi de prima Phrenoſchematis perfecti inſtitutione; quæ tamen ampliorem deinde provinciam obtinuit: ſecùs enim; quia Sacræ tunc non aderant Impreſiæ; neque nunc veram hujus Symboli continerent eſſentiam. Abſit tamen, quòd tantum noſtri ævi derogemus ingeniis; ut nihil novi, inventorum inſtar, valuerint reperire. Secundò igitur decernēdum occurrit: an ſolos homines; an etiam Divos; aliáque generis cujuſque objecta poſſit Phrenoſchema reſpicere? Mihi tamē dubiū haud eſt; tū homines; tùm Divos eſſe Phrenoſchematū objecta poſſe; non verò irrationabilia: quia hoc fert uſus; ut notat * Areſius: ſecùs enim nihil prohibuiſſet; ne laude, aut vituperatione quodpiam afficeretur animal Phrenoſchemate; ſicut & poematibus conſuevit. Exemplum autē de Sanctis offerunt uberrimum: tùm integram * Areſii cunctis laudatiſſimum opus: tùm plura; quæ referuntur à * Petraſancta. Permittit verò * Areſius, aliquid de Philoſophia, cæteriſque ſimilibus facultatibus Phrenoſchematibus prædicari: cui conſentio. Tertiò dubium valde eſt: pluribuſne; aut uni tantùm translata ſignificatio ſit tribuenda? Plures enim apertè Brixienſes permittunt Academici: unicam verò, ac ſingularem ſtatuere videntur perſonam Caburacius, Bargallus, * Emmanuel Theſaurus, & alii. Meliùs cum * Areſio cenſemus: pluribus quidem aptari poſſe; qui tamen unitatem aliquam præſeferant determinatam. Determinatum proinde erit Phrenoſchema quoad principale ob-

Areſ. Impreſ. l. 1. c. 15.

Impr. l. 1. c. 15.

Impr. l. 1. c. 17.

Areſ. Impr.

Petraſancta Symb. heroic. l. 1. c. 1.

Areſ. Impr. l. 1. c. 17.

Cann. Ariſt. c. 17.

Areſ. Impr. l. 1. c. 17.

jectum: ut non modò certam exprimat actionem; utpucà inalterabilem amorem erga tribulantem: ſed & referatur actio ad peculiarem certam perſonam, aut Academiam, vel aliam communitatem; quanvis non exprimat Symbolum, quænam ea ſit; cùm hoc ſatis poſſit à circunſtantiis indicari. In eo enim ab Emblemate Phrenoſchema diſcernimus; quantùm utriuſque requirit eſſentia: quòd illud vagum quemlibet inſpectorem innuat, quem inſtruere contigerit: hoc verò ſtatum habeat objectum. Quartò demum contendit * Areſius: debere Phrenoſchematis objectum non à ſolo indicari lemmate; verùm & à figura; nec ſufficere, quòd hæc expreſsè ſolùm denotet opus: quare bonas non cenſet plures, quas refert, Impreſias; quas inter Gordius nodus cùm lemmate: *Quoquo modo reſolvam*. Verùm de bonis Prenoſchematibus tantùm locutum credo eruditiſſimum præceptorem: quod & * Theſaurus de ſuo perfectiſſimo jubet; requirens ulteriùs, quòd ita figura competat objecto; ut de eo figuratum valeat prædicari metaphoricè; poſsitque, exempli cauſa, dici, Ludovicum eſſe Hiſtricem. Cæterùm neutrum ad eſſentiam requiro. Non primum; quia ſufficit, quòd ex figura ſimul, & lemmate, integrus fiat ſenſus, qui transferatur: unde non minùs, ac à ſola figura, poterit à ſolo lemmate perſona indicari; complente altera parte metaphoricam prædicationem. Nec ſecundum: quia ſolùm ille modus tribuendi figuram locum in Metaphoris habet; quæ in Proportione fundātur. Quin fortiùs: veriſſimum Caroli Quinti Phrenoſchema, communiter eſt; ipſo teſte * Areſio: & tamē auctorem, nec figura exprimit, nec epigraphe; ſed ſolæ innuunt circunſtantiæ: nil enim aliud continet, quàm Herculeas columnas, & inſcriptionem: *Plus ultrà*.

Areſ. Impr. l. 1. c. 18.

Cann. Ariſt. c. 13. th. 4.

Areſ. Impr. l. 1. c. 16.

Quid verò de ſuo objecto prędicabit? Hoc etiam multiplicem habet dubitationem. Primò enim futurum ſolúmmodo tempus translatæ concedunt ſignificationi Bargalius, Contilis, & alii; quòd hoc ſolū importari credāt à voce, *Impreſa*; & in eo duntaxat Phrenoſchema cenſeāt à Numiſmatibus diſtingui: præſens addit futuro Taſſus: præteritum verò habent plurima exempla; quæ primi illi commendatæ artis ſcriptores probant, Jovius, Ruſcellus, & alii; ullam

quan-

quanvis haud faciant de præſenti controverſia mentionem. Utrunque nobis aptum eſt; quemadmodum & * Areſio. Id enim probant in Aſsyriorum clypeis inciſa Principũ Symbola; ſub quibus præſenter præliabantur. Id evincunt plurima de præteritis rebus exempla. Inſuper & Phrenoſchematum origo; quorum materies, ad clypeorum, galeárúmve decus, partæ inſignia victoriæ, alteriúſve ſimili digni laude facinoris, primùm fuere. Quò tendit illud Virgilii militem deſcribentis; qui jejuno gladio, *parmaque inglorius alba*, è bello revertebatur. Undè fortè ad dedecus effugiendum; qui geſta non habebant, quæ proderent; gerenda facinora promittebant. Nihil verò de voce, *Impreſa*, laborandum: cùm æquè denotare facinus poſſit, quod aggreſſus eſt aliquis, aut actu aggreditur, ac quod eſt aggreſſurus. Differentiam autem à Numiſmate, rigoroſam, & quæ eſſentialis dicitur, non requirimus: quod fuſiùs aliquantò ſequenti explicabimus Rudimento. Secundò interimlis nobis audacter eſt cum * Areſio docente; explicari à Phrenoſchemate actum aliquem intellectus; opinionem ſcilicet, quam de ſe, vel de aliis auctor aſſumit ſuſtinendã. Oppoſitum tamen apertiſſimè teſtantur Hercules Taſſus, Contilis, Caburacius, & Politus, in Phrenoſchemate definiendo: teſtari quoque puto, licèt ſubobſcurè, reliquos omnes; dum in ſuis definitionibus de animi conceptu faciunt mentionem. Diſtinguendum nobis videtur, aſſerendo: auctorem explicare quidem ſuam opinionem; de Impreſia tamen, ſeu Conſilio, quã ſuo, quáve alterius: quod tranſlata indicat ſignificatio. Tertiò vitioſa conſilia, aut probro ſubjecta, & dedecori, prorsùs eliminat Contilis; ſola militaria, & amatoria recipit Ruſcellus; generoſiora, quæque, & ardua cõtendentia Jovius amplectitur: ſufficit verò Bargalio; ut non vulgaria, ac vilia ſignificentur. Nobis cum * Areſio ſentiendum: quamlibet materiam hic habere locum; ubi de ſola agitur eſſentia. Nam ſi, moraliter bona ſunt requirenda: quare non amantium, imò & amentium inſanias rejiciemus? Sed verò hæc cenſentur communiter vera Phrenoſchemata. Aliud enim eſt, eſſe verum; aliud bonum. Quartò Satyras excludit Taſſus. Admittimus tamen non ea modò; quæ vituperationem habent; quorum

Areſ. Impr. l. 1. c. 16.

Areſ. Impr. l. 1. c. 15. & 17.

Areſ. Impr. l. 1. c. 17.

Areſ. impr. l.1.c.15. rum plura refert * Areſius exempla: ſed & , quę facetiis in aliorum inducunt deriſum ; cujúſmodi eſt laudatus à Bargalio Porcus jugulum offerens cultro , cum lemmate: *Tantùm frugi*. Quintò Moralia monita,doctrináſque, Hercules Taſſus arcet; utpotè Emblematum, aliorúnque Symbolorum ſpecificativa . Non tamen video ; cur vitioſos , viléſque conceptus qui cum Areſio admiſi ; non morales pariter cum * eodem , & * Theſauró recipiam . Volo tamen ; quòd determinatam reſpiciant perſonam : in quo ſatis ab Emblematibus , popularibus ſcilicet , cõmunibúſque Symbolis , diſcernentur . Undè Phrenoſchematibus diſtinctam reor auream torquem illam(qua à parentibus donabantur Ægyptię puellę) ſex ornatam figuris: Turture ſcilicet , cum epigraphe: *Sic ſola*: Columba , cum lemmate: *Sic Caſta*: Aquila, cum inſcriptione : *Sic Prompta*: Ciconia; cui additum : *Sic Pia*: Noctua ; cujus monitum : Sic Vigil : Alauda ; cui appoſitum : *Sic Sancta* . Doctrinas verò,pręter morum directionem, quomodo poſſit ad peculiarem referre perſonam Phrenoſchema; non adhuc inveni. Sextò denique ; Unicus cùm,omnium calculis,eſſe debeat unius Phrenoſchematis conceptus; quemadmodum & unũ Poema , & unam eſſe oportet Orationem : dubium tamen eſt ; quam exigat unitatem . Et quidem;ineptum eſſe copulativum lemma ; benè docet * Areſius : ut ſi indicaturus in Sole , & Chriſti Domini mortem cum Famiano Strada ; & Divinam Majeſtatem cum * Areſio ; inſcriberes ex utroque: *Spectatur , cùm deficit : & Malè operantibus pavor* . Sed neque aptam cenſeo campi unitatem ad plures diſparatas figuras unificandas ; quamvis idem ſit lemma utrique applicabile : ut ſi Hiſtrici Ludovici , & Gladio ſclopetum habenti in manubrio à * Petraſancta propoſito eandem cũ utriſque ſubderes epigraphen : *Eminùs; & Cominùs*. Multò minùs recipiam ſolum localem plurium lemmatum cõſortium figurę quantumvis uni additorum;epigraphen ſcilicet ſine conjunctione plures diſparatas actiones pręcipuas inſpicientem : ut ſi ex duplici lemmate è Bargalio deſumpto Soli apponeres : *Impollutus Diſcutit , & fovet*: nec concedam * Areſio ; hoc eſſe materialiter duntaxat multiplex Phrenoſchema . Nexum enim , qui lemma uniat , etiam

Areſ. Impr. l.1.c.17.
Theſ. Cann. Ariſt.c.15. th.30.
Areſius Impr.l.1.c.17. add.1.
Areſ.Impr. l.2.
Symb. Heroic.l.8.c. 10.
Areſ.Impr. l.1.c.17.

quan-

quantùm ad proprium attinet ſenſum, Rhetoricum volo qualis eſt relatio multiplicis modi ad unam pręcipuam actionem feriendi *Cominùs*, *& Eminùs*: vel antitheſis plurium actionum, aut qualitatum pręcipuam reſpicientium figuram: ut in Roſa; ex qua nectar Apis; venenum haurit Scarabęus: *Uni ſalus; alteri pernicies*. Amphibologicas proinde reſpuo Impreſias; & quę plures habent ſenſus; quorum tamen alterum ſolúmmodo verum eſt: nullam enim conceptus ii connexionem habent; dum ſimul verificari non poſſunt: cujúſmodi eſt, quam amplectitur * Areſius, herba Lotos ſoli expoſita cum Italico lemmate: *Per te m'ergo, & immergo*: quod duplicem habet ſignificationem: *Ob tui amorem exurgo, ac declino*; te ſcilicet oriente, aut cadente: vel *Tui favore elevor; tuique deprimor culpa*. *Impr.l.1. c. 17.* Æquivocos tamen conceptus, quique utranque retinent ſenſus veritatem, & amplector, & laudo: hi autem idem ambo reſpicient principale objectum; quia ſecùs non ęquivoci, ſed diſparati erunt, & incompacti. Eſt verò hujúſmodi cujuſdam ſupremi Venetę militię ducis Aquila; cui ſerpens maculoſa, Dipſas appellata, pectus admordet; cum lemmate: *Semper ardentiùs*. Quo indicabat: ſe tùm ardentiùs eò mulierculam ſuam deperiturum; quò ſibi frequentiùs ejus recordatio pectus remordebat: tùm avidiori animo hoſtilem bibiturum ſanguinem; quò virulentiùs inimicis armis vulneraretur. Id enim eſt Dipſadi venenum: ut * morſu humorem omnem conſumens maximam inducat ſitim. *Lucan.l.9.* Duplicis itaque ſignificationis unitatem ſimul exigo: tranſlatę ſcilicet; & proprię. Tranſlatam ſemper dat principalis unitas objecti: quod determinatum ſuprà neceſſariò requiſivimus. Propriam verò dabit unum ſubjectum; figura ſcilicet principalis; ad quam plura referantur Rhetorico ligata nexu: neque enim unica plurium principalium ſubjectorum proprietas, niſi per modum unius acceptorum, uni poteſt objecto tranſlatè tribui; ſed altera tantùm figura pręcipuum ſemper habebit locum.

PARTES verò ad Phrenoſchematis conſtitutionem, & eſſentiam, omnium ferè calculis requiſitę duę ſunt: Figura nempè; & Lemma. Moneo tamen: pro figuris ſtare; tùm Ludovici Cardinalis Borbonii clypeus (qui campus eſſe

Phre-

Phrenoſchematis ſolet) in altero campo depictus, picturam in ſe non continens illam; cùm lemmate: *Melior fortuna notabit*: tùm mœrentis inconſolabiliter Comitis Eſſexiæ parmula alba in campo pariter lineata ſuo; cum epigraphe: *Par nulla figura dolori*. Solum autem lemma quamvis Capacio ſufficiat: mihi tamen; non Phrenoſchema eſſe, ſed ſententiam, aut laconiſmum; evidentius eſt luce meridiana. Solam quoque figuram ſufficientem ad Phrenoſchematis eſſentiam putat idem Capacius: quia plura, quæ figurantur, proprietates habent notiſſimas; ut non opus ſit eas explicare lemmate: & etiamſi reconditas habeant; non rarò tales exigit auctor; ut non ab omnibus intelligatur; cùm claritas non ſit de eſſentia Phrenoſchematis. Eandem non ſufficientem modò; ſed & perfectius reddentem Phrenoſchema cenſet Ruſcellus: quia tales, inquit, imagines ſunt; quas primi circumgeſtabant Heroes: talia Ægyptiorum Hieroglyphica: talia divina Symbola; ſive tabernaculo, & arcæ fœderis inſculpta; ſive oſtenſa prophetis. Mihi tamen etiam opus eſt lemmate: non ſolùm ad Phrenoſchematis proprietatem, juxtà quam nunc temporis ſumitur; ut ipſi fatentur adverſarii: verùm & ad completam, integrámque eſſentiam. Cùm enim præter proprietatem, quantumvis claram, plures habeat, licèt actuoſa, figura: ut vel unicam illam avem, Phœnicem, inſpiciens interrogo, neſcias; utrum vitam exprimat ex morte hauſtam; an electam ex aromatibus pyram, ſymbolum morientis virtutum inter odores, & charitatis flammas, quas divinus accenderit Sol; aut alias proprietates: indè ſequitur; nunquam ſolam figuram, & ſine lemmatis acceſſu fore, quantùm ad propriam intelligentiam, ſubjectúmque principale, determinatam: proindéque nec transferibilem ad certum aliquem exprimendum conceptum: quod eſſentialiter ſupradicta Phrenoſchematis unitas exigebat. Quæ autem nobis opponit ex ſacris litteris exempla Ruſcellus: ea vel Hieroglyphica ſunt; vel alterius incertæ nobis ſpeciei Symbola: cùm nec leges ſervent ab ipſo Phrenoſchematibus aſſignatas. Veterum autem Herdum figuræ: ſi de præteritis erant facinoribus; ad Stemmata, vel Numiſmata, aliaſve ſimilis ſpeciei pertinebant Symbola: ſi verò futura polli-

pollicebantur; Phrenoſchematum erant duntaxat embryones. Has porrò partes ita communiter ad invicem comparant; ut cum Jovio figuram Impreſiæ corpus appellent; animam verò lemma. Alii tamen id mordicùs inficiantur; malentes utranque ſimul partem corpus dicere; animã verò utriuſque ſignificationem. Nobis in hoc immorari nõ expedit: ſi expediret tamen; potiùs ad poſteriorum accederemus opinionem. Si cui arridet; legat * Areſium, * Theſaurum, & * Petraſanctam: dum nos ſingularum eſſentiam partium explicabimus.

Areſ. impr. l.1.c.6. & 7.
Theſ. Cann. Ariſt. c.15. th.5.
Petraſancta Symb. Heroic. l.6. c.7.

FIGURAM cùm exquirimus; Apparentem optamus; & in qua totum dignoſcatur, quod transferri debet; niſi ſuppleatur à lemmate: ut ſi volatus fundet translationem, ſufficiat avis quæcunque; ſi vitæ renovatio, Phœnix diſcernatur. Quòd ſi ejúsmodi figura non erit; ut ſi flumen depingeres: adde aliquod clariùs determinans: quod Nealcus fecit, ut indicaret; claſſicum certamen, quod depinxerat inter Ægyptios, & Perſas, in Nilo flumine contigiſſe; bibentem addens ad ripam aſellum, cui Crocodilus inſidiabatur. Scriptum verò adhibere ad ſolùm indicandum, cujus rei ſit figura, ridiculum eſt: niſi tamen id rei natura ferat, quæ, qualis inſpici ſolet, depingatur: ut ſi Templi foribus ſuperſcribas nomen ejus, cui dicatum eſt: exempli gratia, flagranti Epheſinę Dianæ Templo, quod quidam ex Caroli Quinti Ducibus poſuerat, addas: *Dianæ Epheſinæ*. Quare non immeritò amatorias cujuſdam literas in rogo Bargalius deridet: quibus appoſitum fuerat: *Amoris rogus*. Id potiorem habet difficultatem: an ſit idonea figura; quæ principale ſubjectum non exprimat; ſed adjuvante lemmate, ſubintelligat: qualia ſunt Cardinalis Philippi Spinolæ ſydera, oriente ſole, non apparentia, cum epigraphe: *Non cernuntur; & adſunt.* Cui tamen negativè reſpondeo: non enim figuram habeo, quæ ad principalem transferatur objectum; non igitur integrum habeo Symbolum. Coloribus autem an indigere poſſit figura; parùm noſtra refert; qui & inciſam, & depictam pariter admittimus: dummodo (utrovis proponatur modo) ſive arte, ſive colorum energia diſtinguatur, cujus ſit. Campus enim uſitatiſſimus Phrenoſchematum licèt à prima inſtitutione

Clypeus fuerit, aut Galea: undè referuntur ſcutis impreſſiſſe ſuis, Leonis caput Agamẽnon; Cupidinẽ fulmẽ ſtringentẽ Alcibiades; Draconis caput Thebanus Epaminondas; Turnus verò * Chimæram; Cimbríque variis ferarum iconibus pro criſtis uſi: attamen ampliata modò provincia eſt; & æquè in telis colorantur, ac inciduntur in ſcutis.

Pauſan. l. 1.

. Eſſe autem Figura poteſt cujuſque rei; quæ cælo ſculpi, aut lineari penicillo valeat; ut rectè docet * Areſius. Neque enim probare per modum rigoroſi argumenti debent Phrenoſchemata; ut Chimericas, Ideales, Fabuloſas excludamus: ſed ſufficit; ſi per modum ſimilitudinis, aut translatæ locutionis rem explicent. Neque incapacia ſunt ſacræ ſignificationis, media figura ex Hieroglyphicis petita: aut periculum ſubeſt confuſionis cum Hieroglyphicis ipſis, aut figuratis Hiſtoriis; ſi hinc eruantur imagines: ſatis enim lemmate diſcernentur. Neque Artificialium dedignantur figuras: quæ & nobiliora pluribus naturalibus; & ſupra modum inſignia haberi poſſunt: vel certè poterunt vulgarioribus deſervire conceptibus; quos Heroicos diximus eſſe neceſſariò non debere. Humanam quoque recipiunt imaginẽ: modò non ejus ſit; quẽ debent translata indicare locutione. Mẽbrũ, quod pingi ſolet à toto corpore ſeparatũ, ut cor, aut ex nubibus, alteróve loco veluti prodiens, non horrent; ſive ſit principalis figura; ut apud Bargalium Manus januam pulſans; ſive acceſſoria: in eo tamen vitari, quoad poteſt, horrorem; prudens conſilium; non eſſentiale præceptum reputamus. Individua verò quare Taſſus delineari abſolutè prohibeat; non videmus. Licèt enim otioſum eſſet ectypon efformare individui; cujus nulla ſingularis proprietas translationi deſerviat: poteſt tamen hæc aliquando in peculiari fundari proprietate: ut cùm, accepta à Carolo Quinto Regnorum adminiſtratione, Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex Herculi ſuccollanti Atlantis onus addidit: *Ut quieſcat Atlas*: & Sigiſmundus Malateſta Arimini Princeps Mutium dexteram flammis ſiccandam exponentem exhibuit, cum lemmate: *His graviora*. Literarum quoque, Numerorúnque figuras libenter admittimus; ſi pro ſe ipſis, & non pro vocibus, quibus leguntur, propriè ſtent, ad objectum noſtrum tropicè

Impr. l. 1. c. 8

trans-

tranſferendæ: cujúſmodi (bona * Areſii pace) fuit Nihilum arithmeticorum; (Italicè *Zero*) cui ſuperſcripſit Ferrus: *Adjuncta numerat*: fuit quoque Proſperi Alterilii, quadratus campus; cujus angulos tenebant *b*, *d*, *q*, *p*; quatuor ſcilicet characteres ſola poſitione diverſi; medium verò occupabat lemma: *Verſo poſitu*. Realia tamen corpora pro figuris explicata Phrenoſchemata vocat Bargalius; irridet Ferrus; permittit ludicris tantùm in concertationibus * Areſius; uſus in gravibus ignorat: nobis tamen potiùs Phroſchematum ſimiæ videntur; cùm rationem genericam Symboli, prout hìc ſumitur, non retineant. *Areſ. Impr. l. 1. c. 5.* *Areſ. Impr. l. 1. c. 19.*

Dubium hìc tamen oritur: poſsitne Figura Phrenoſchematis una eſſe; vel multiplex. Sufficere autem unam, omnes fatentur: exceptis Chiocco, Guaccio, & Ruſcello, licèt contra communiorem praxim, duplicem requirentibus; (illo ad eſſentiam; his ad perfectionem) quæ agat ſcilicet; & quæ patiatur. Multiplicem verò à perfectiſſimo eliminat * Theſaurus: à vero qui removeant, non invenio. Plures igitur admitto: non ſolùm, quæ unam aſtruant rerum ſpeciem, ut plures oves gregem; ſed &, quæ diſſimilis ſint ſpeciei; connexas tamen in ratione ſaltèm actionis, & paſſionis: hoc enim frequentiſſimus ſuadet uſus. Admitto pariter & unicam. Quæ utique ſi correlativum habet; vel id (ut Taſſus ait) recipit à lêmate; ut in ſolo Elephante contingit, cum epigraphe: *Infeſtus infeſtis*; vel determinatæ non habet ſpeciei, quæ valeat colores ſubminiſtrare; cujúſmodi eſt Hiſtrix *Cominùs*, *& Eminùs* infenſum quodlibet animalium ſaucians genus. Sed verò caret ut plurimùm: ſive quòd immanentem exprimit actum; ut Leo apertis oculis dormiens: ſive quòd figurati meram proprietatem appellat; ut Bargalii Sol *Impollutus*: ſive demùm; quòd defectui innititur rei; ut ciſterna ſine aqua; cui additum: *Expecto deſuper*. Quæ tamen, inquis, plures adſunt; ad quem uſque numerum multiplicari permittuntur? Non omnes eundem aſſerunt. Ex iis verò duas, tréſve ad ſummum Ruſcellus, Chioccus, Guaccius; aliique permittunt: quod & explicant diverſimodè. Aptiùs tot cum * Areſio concedendas puto; quot confuſionem non generent; & diſcernantur: modò tamen unica ſemper ſit, quæ eſt *Cán. Ariſt. c. 15. th. 16.* *Areſ. Impr. l. 1. c. 12.*

eſt principalior; ut ad conceptus requiritur unitatem. Principalior autem quæ erit? Ferrus eam cenſet; quę actionem importat. Verùm; non ſemper actionem deſignari; mox dictum eſt. Areſius * quatuor proponit conditiones: ſive ſcilicet; quòd de ea intelligatur; eánque in recto deſignet lēma: ſive quòd ad objectū principale transferatur: ſive tertiò; quòd ſit agens, & non merū paſſionis ſubjectū: ſive demum; quòd ejus ſit proprietas, quæ per epigraphen explicatur: quæ, prout plures, pauciorésve pro aliqua concurrunt figura; plùs eam, minúsve indicent principalem. Aliud tamen videtur præcipiendum auctori: aliud verò monendum ſpectatorem. Ille principalem habeat; quam præcipuo vult ſubjecto tribuere: eique epigraphen aptet; ut, ſive actionem, ſive paſſionem, ſive proprietatem ejus aliquam expreſsè notet; quam vult transferendā. Secùs enim, verum Phrenoſchema eū expoſiturum, nego: quia non habet veram translationem. Sícque exemplo Monoceros aquam à veneno cornu purificans, cum lemmate: *Sine noxa bibuntur*. Quem, quęſo, penès bonos grammaticos ſenſum hæc habent: niſi quòd Aquæ ab Unicorne depuratæ venenum omne depoſuerint? Aquis autem non ſe, quem principale ſtatuit ſubjectum; ſed ſua vult auctor deſignata. Quapropter; proprius, translatúſque ſenſus cùm non cohæreant; Symbolicam Phrenoſchematis locutionem componere non valebunt. Inſcribe igitur potiùs: *Ut ſine noxa bibantur*. Spectator verò non adeò huic legi tenaciter adhæreat; ut, ſi oppoſitum circunſtantiæ de mēte gerentis Symbolum moneant, nolit credere: diſcerptum tamen id eſſe, ſciat, & ſeparatum.

Areſ Impr. l. 1. c. 12. add. 2. & c. 15.

LEMMA verò complementum Phrenoſchematis eſſe figuræ proprietatem determinans, eánque transferens, certum ex dictis eſt. Proinde, ne dimidiatum ſit Symbolum, integram reddere enunciationem debet; quà propriā; quà translatam: ſive ſcilicet figuræ uniatur; ſive referatur ad ſubjectum: utrique enim aptari poſſe, neceſſe eſt; quanvis non eodem utrique modo. Otioſum etiam communiter excludunt. Eſt autem hujúſmodi primò; ſi quæ omnibus univerſim conveniunt, exprimit: ut quod ſuperpoſuit Lauro Hieronymus Ruſcellus: *Deo coadjuvante*. Secundò

ſi ad

ſi ad figuram attinet, velut cancer ad Lunam: cujúſmodi cenſet Taſſus Italicum illud; quod accenſæ faci quidam addidit hæc habens: *Et nihil ſtringo; & totum orbem amplector.* Tertiò (ex Taſſi, ac Ruſcelli mente) ſi integrū exhibet ſe ſolo conceptum; quem auctor toto Symbolo cuperet explicare: jam enim ea pars, quam etiam offert figura, ſuperfluit: quo laborare vitio cenſet * Areſius Scævolæ appoſitum illud: *Agere, & pati fortia Romanum eſt.* *Areſ. Impr. l.1.c.13.* Quartò ſi nomen continet figuræ: ut ſuper Aſpidem aures obturantem: *Mentem ne læderet auris.* Excipe tamen; ſi figuræ nomen aliud antonomaſticè ſignificet in epigraphe: ut * quod Adamantis inter malleos conſtantiam indicat: *Semper Adamas.* *Areſ.Impr. l.1.c.11.* Excipe quoque, ex * Petraſancta, & * Areſio; ſi partiales cùm interveniant figuræ; non ſatis aliundè conſtet, ad quam præſertim ſignificatio referatur: ut cùm ſuper Columnam ad ſolis variam oppoſitionem, & altitudinem, umbram emittentem fuit inciſum: *Tantùm volvitur umbra*: intelligi nanque ſecùs potuiſſet; de ſolis vertigine locutum auctorem. *Petraſ. Symb. Heroic.l.8.c.2.* *Areſ.Impr. l.1.c.13.* Quintò pariter otioſum eſt; ſi, quæ primo clarè dignoſcuntur intuitu, figuratæ rei proprietatem ſonet, vel actionem, aut actionis aliquod attributum: quare vitioſum cum Hercule Taſſo reor; quod Millo circunſcripſit Nicolaus Urſinus: *Sanciat; & defendit.* Non tamen ſic de *Cominùs, & Eminùs* Ludovici puto: quia milli omnes illicò munus advertunt; non verò modum, quo ferit hiſtrix. Sextò ſi apertè refert ejus nomen, ad quem ſignificatio transfertur. Apertè inquam: nam tectim, & argutè comprehendere, perfectio eſt: undè laudatiſſima eſt Cardinalis Veralli Roſa cum epigraphe: *Ver alo.* Septimò ſi demonſtrativa ſubjecti, aut figuræ, habet pronomina: cujúſmodi cenſet * Petraſancta Clypeum cum eo celebri Spartanæ matris admonitu: *Aut cum hoc, aut in hoc:* cenſet quoque * Areſius Loton Solem inſpicientem; cui Sancti Lucidi Marchio ſuppoſuit: *Sic lux alma mihi* ſi enim hęc non eſſent ſuperflua; ab omnibus neceſſariò exigerentur Phrenoſchematibus; ut certa deſignaretur perſona, ad quam figura transfertur. *Petraſ. Symb. Heroic.l.8.c.2.* Octavò ſi comparativis particulis utranque confert ſignificationem: quale in præallato exemplo eſt adverbium *Sic*. Hoc ſolum, quia Lunę ſurſum

exer-

exeréti cornua]interpoſuit Vincentius Conſaga Dux Mantuæ; locum dedit cenſuræ: licèt ab aliquibus excuſetur; quaſi trium vocum compendiariis initiis dicere geſtierit: *Sic Illuſtrior Creſcam*. Quibus tamen ex vitiis; duo priora ſemper deſtruere puto Phrenoſchematis eſſentiam; alterum, quia non determinans; alterum, quia non cohærens: reliqua verò poſſe verum componere, licèt imperfectum; ſi præter ejuſmodi otioſas voces, alias contineat proprium lemmatis munus exercentes; cùm mera ſuperfluitas monſtrum reddat cujuſque generis compoſitum; ſed verum tamen permittat.

Quantitati porrò Lemmatis Brevitatis anguſtias omnes præſcribunt: non omnes tamen eandem. Et decet utique; id breve eſſe; quod protaſis duntaxat ſupplementum eſt: conducítque pariter ad diſcrimen ab Emblematis Carmine. Indè nonnulli cum Contile duas tantùm ei voces concedunt: alii tres cum Jovio: integram alii, ſive Italici, ſive Latini carminis menſuram. Sunt etiam; (quanvis rari) qui verſus dimenſionem excedant; quale Struthioni fuit datum: *Si ſurſùm non efferor alis; curſu tamen prætervehor omnes*. Mihi, ut verum fatear, eſſentiã ſolùmmodo nunc inveſtiganti ea videtur apta; quam integritas conceptus exquirit: dummodo, ſi pauca ſupereroges, eſſentiam non deſtruas; deſtruas tamen, ſi plura.

Ne demum hic pluribus deſim agitari ſolitis quæſtionibus: Modos, Tempora, Figuras; ſub quibus efferri Lemma poteſt; breviter recenſebo. Modos itaque recipit omnes; ſi receptis exemplis eſt auctoritas. Indicat enim ſupra Famiani Stradę Horologium ex horti deliciis conſitum: *Docet; & Delectat*. Imperat circa verſatilem Lucernam: *Verte: non extingues*. Optat ſub Urſa informem partum officioſa lingua perficiente: *Utinam perpoliatur*. Subjunctivũ eſt prope Phœnicem in rogo Cardinalis Chriſtophori Madrucii illud: *Ut vivat*. Infinitum verò Navis, quæ in portum pervadere invitis conatur ventis; hoc habet: *Aut ingredi; aut perire*. Tempora pariter admittit omnia. Præſens retinet ſupra Cardinalis Gambaræ Vomerem: *Longo ſplendeſcit in uſu*. Præteritum ſub Sole in rorida nube ſuam imaginem imprimente: *Quia reſpexit*. Futurum ſuper Du-

cis Leonardi Loredani gravidam Elephantum: *Naſcetur.* Figuras demum expetit; quaſcunque Rhetorica dictare poteſt Elocutio: quarum tamen paucas, prout ad calamū venient, nunc addam. Antitheſis addit Cancro: *Retrocedens accedit.* Annominatio Bombyci Joannis Baptiſtæ Portæ ſuperſcripſit: *Deficiam, aut efficiam.* Metaphora artificioſiſſima de Mari in littus placidè illabente (ex * Areſio contra Bargalium obſcuritatem reformidantem) clariſſimè loquitur: *Oſculatur limites.* Reticentia Comminatione Sclopeti rotæ hanc ſuggerit: *Si tangar.* Meliora tamen ſunt, quæ nullam habent enunciationem: ut *Eminùs, & Cominùs* Ludovici. *Areſ. Impr. l.1.c. 18.*

DEFINIRI jam, hiſce poſitis omnibus, nūc exigit Phrenoſchema: nec animus ſuggerit omnes omnium, qui de re hac ſcripſere, cōgerere definitiones. Plures, variáſque referunt * Petraſancta, & * Areſius: nobis ſat erit noſtram aperire mentem iis, quæ hactenus diximus, innixam. Eſt igitur Phrenoſchema: *Apparens figura lemmatis ope tranſlata à propria ad occultam aliam de certo objecto ſignificationem.* Apparens autem quòd eſt figura ad aliud denotandum à propria ſignificatione tranſlata; cum omnibus, de quibus hìc ſermo eſt, Symbolis convenit. Lemma quòd requirit; differt à Hieroglyphicis, Trophæis, cęteríſque id generis Symbolis ſequenti explicandis Rudimento. Certum verò quòd habet objectum; ab Emblematibus diſcernitur: nō iis modò, quę miſta vocant; habētia ſcilicet è carminis documēto deductū lemma: verùm & aliis; quæ ſimplicia dicuntur; quippe quibus diſtichon eſſe pro carmine poteſt; quam etiam ad menſuram pertingere, lemmati poteſt eſſentia permittere Phrenoſchematis. Stemmata autē, & Sigilla, Numiſmata quædā ad modum Impreſiarū figurata, * non video, cur debeant à noſtris Symbolis eſſentialiter ſecerni: niſi velis dicere; vel campum; vel explicandi variam occaſionem (quod utrunque hìc habes) eſſentialem inducere diverſitatem. *Petraſ. Symb. Heroic. l.6.c. 4.* *Areſ. Impr. l.1.c.22.* *Theſ. Cann. Ariſt. c. 15. th.17.*

PERFECTIO demum quæ Phrenoſchematis exigit principaliora; ex aliorum doctrina breviter colligamus. Hoc autem eadem, quà ſuprà, methodo pręſtabo; tria diſtincta conſiderans: Figuram nempè; Lemma; & Tranſlationem.

Fi-

Digitized by Google

Figuram igitur* Veram, & Realem (ſaltèm juxtà communem fidem; qualis eſt Phœnix) Perfectum exigit Phrenoſchema: * non Chimæricam; cujus videlicet partes non habent inter ſe proportionem: non * Fabuloſam; quippe quæ ſua fictione conceptus intenti fidem infirmat: non * uſui rerum contrariam; ne veriſimilitudini deroget Trãſlationis. Naturalem verò * reales inter eligit: ſiquidem Artificialibus omnibus eò præſtantiorem; quò Arte nobilior eſt Natura: quare priorum Heroum clypeos ſi conſideras; Noctuam Palladis Symbolum vides; Leonem Agamemnonis; Aquilam Jovis Regis contra rebelles; variáſque feras ſeptem ad Thebas ducum; ut alios taceam plures. Humanam tamen * è Naturalibus omnibus excludit: non quòd (ut ajunt nonnulli) inter ejuſdem individua ſpeciei (cujúſmodi Homo ſunt, & Homo) dari nequeat vera Proportionis, ac Similitudinis comparatio, qualem Tranſlatio requirit: Ariſtoteli nanque * arguta Imago eſt; quæ *Democrates Oratores Nutricibus conferebat; quæ deglutientes cibum, ſaliva pueros inungunt*: ſed ut conformior ſit communibus præceptorùm votis: tùm ut mirabilis ſit, nováque proprietas; in qua fundatur translatio. Mirabilem etenim; *& Novam eſſe Prenoſchematis figuram; maximè decet: ut vel non obvia nimiùm ſit; vel ſaltèm proprietatē occultiorem, & à communibus rerum qualitatibus aliquãtò diverſam offerat: nam (ut de metaphora docet * Ariſtóteles) *Inuſitatiora ſunt adhibenda: hęc enim ex omnibus maximè admiramur: admirabile autem omne jucundum eſt.* Proprietatem autem Singularem eſſe poſſe; ſive quòd alteri penitùs non conveniat; ut Phœnicem è cineribus renaſci; ſive quòd noſtro ſubjecto in præſentibus circunſtantiis meliùs, quàm omni alteri, competat; ut Aquilæ præ omnibus avibus in Quercus ſinu nidificare; * monet Emmanuel Theſaurus. Cognoſcibilis tamen * figura ſit; & non adeò nova; ut penitùs evadat obſcura: quare faciliùs in proprietate, quàm in corpore ſingularitas requiretur: cùm proprietatis ignotam novitatem poſſit detegere lemma. Coloribus proinde non indigeat; poſſitque facilè in quavis repræſentari materia; præſertim inciſione: perfectiſſimi nanque Phrenoſchematis proprium inſtrumentum eſt cælum;

lo-

Theſ. Cann. Ariſt.c. 15. th.17.
Areſ. Impreſ.c. 24. reg.1.
Ibid.reg.4.
Ibid reg. 2.
Theſ. Cann. c.15 th.8.
Theſ. ibid. th.9. & Areſ.loc.cit. reg.3.
Ariſt.3.Rh. c.4.
Theſ. ib. th. 11.& Areſ. cit.c.27. cond.1.
Ariſt 3. Rhet.c.2.
Theſ. Cann. Ariſt.c. 15. th.13.
Theſ. ibid. th.11.& Areſ. Impr l.1 c.24. reg.5.

locus verò eſt Clypeus: ut, vel antiquiſſimas criſtas Phrenoſchemata non eſſe, cenſeat Palatius; quin ut, audere ſe, putet; cùm eas aſſerit ſimiles Phrenoſchematibus. Actuoſa * quoque ſit; ut ultrà ſubjectum, proprietatem ejus, vel actionem exprimat: ut cùm Hiſtricem Ludovicus, ſpinis partim exertis, partim ejaculatis, in actu feriendi lineavit: undè metaphoram * Ariſtoteles commendat; *Si præ oculis rem ponit, quaſi agatur*. Unicam porrò vult * Theſaurus: Duplicem verò * Areſius cum Guaccio, & Ruſcello; eoquòd putet; apertiùs ſic inſpici paſſionem ſimul, & actionem ſubjectorum. Solam tamen * uterque ponit; ab omni ſcilicet ornamenti conſortio liberam: id enim (inquit Theſaurus) ſervant Stemmata, Numiſmata; & Vexilla; cum quibus convenit, quo ad ſubſtantiam, Phrenoſchema: ſecùs verò (ait Areſius) ſuperfluę penitùs erunt ejuſmodi arborum, aliorunque ornatuum imagines, & otioſæ. Nobilem demum, & Pulchram exquirunt Jovius,* Areſius, & * Theſaurus: ut ſcilicet neque vilium ſit rerum; neque immundarum: nam terribilium horrorem mitigat ſculptura; ut in primorum Heroum Leonibus, Serpentibus, Draconibus, aliiſque ſimilibus eſt compertum.

Lemma * Applicabile ſit, tùm figuræ, tùm objecto, ad quod ea transfertur; ut perfecta compoſitio utranque complens ſignificationem requirit: undè imperfecta omnibus erit alata Teſtudo, cum epigraphe: *Amor addidit*. Perpetuò quoque Verum * eſſe debet de re figurata; ne dubiam faciat fidem tranſlationi; cujuſmodi non eſt; quod additum Navi, reluctantibus ventis, portum contendenti: *Non morantur; ſed arcent*: non omnes etenim naves arcent ventorum impetus. Breve * inſuper eſſe petit ut non modò Otioſum nihil habeat; & tantummodo ſuppleat, quod neceſſarium ad intelligentiam deeſt figuræ: verùm & quoad materialẽ quãtitatẽ ſit tale; cùm hujus quoque proportionẽ delectare, experiamur. Quã tñ brevitatẽ ad unicã dictionem reſtringit Areſius: Theſaurus verò ad triplicem: quod aptius mihi videtur arguriis epigraphem animantibus. Claritati * verò non præjudicet brevitas: non quòd aliquam reſpuat ingenioſam obſcuritatem Phrenoſchema: ſed quòd tale eſſe nolit, ut indigeat OEdipo; unico ſcilicet ænigma-

Areſ. Impr. l. 1. c. 27. add. 1. & Theſ. Cann. Ariſt. c. 15. th. 12.
Ariſt. 3. Rhet. c. 10.
Theſ. Cann. Ariſt. c. 15. th. 16.
Areſ. Impr. l. 1. c. 27. add. 1.
Areſ cit c. 26. reg. 5. & Theſ. cit. th. 17.
Areſ. Impr. l. 1. c. 24. reg. 8. & Theſ. Cann. c. 15. th. 7.
Areſ. Impr. l. 1. c. 25. reg. 1.
Areſ. ibid. reg. 2.
Areſ. ib. c. 27. add. 4. & Theſ. l. cit. th. 22.
Areſ. Im- pr. l. 1. c. 25. reg. 7.

ænigmatum interprete, quę proponebantur à Sphinge; eſt enim Phrenoſchema perfectum (ut * Theſaurus monet) Populare quoddam Ænigma; mediæ ſcilicet obſcuritatis. Argutum * igitur ſit lemma: quis enim non acumina præcipuum ingeniorum illicium; Orationum ornamentum non fateatur? Antitheſes proinde habeat; Paranomaſias; Figuras omnes vivaciores, & ingenioſiores. Idioma huic melius, ac nobilius tribuendum ex iis; quæ docti regionis illius, ubi explicatur, intelligunt: quale Italis ſolum Latinum eſſe; meritò cenſet * Theſaurus: quæcunque enim alia peregrina ſunt. Neque enim plaudo Petraſanctæ * toti Europę Grecum etiam, & Gallicum, atque Hiſpanicum aſſignanti: nimiùm enim provinciam extendit; dum Grecùm nobis aſſignat, quia Europæis: & ſimul ad vulgaria deſcendit; dum & Hiſpanum, & Gallicum admittit. Auctoritatem * demum induat; quam celebris alicujus ſententia; vel melioris notæ ſcriptoris dictum ſubminiſtret *: non quòd liceat ab aliis lemmata rapere: ſed quòd delectet, & ornet; quæ ab aliis egregiè ſunt prolata; nova ad noſtrum intentum applicatione, gratiora reddere, & elegantiora. Metrum * tamen non deſtruat; cui lemmata placuerit ex Poetis haurire: quod aptiſſimum cenſet * Theſaurus, & Petraſancta. Ut verò facilè hujuſmodi lemmata apud auctores ſit invenire: conſiderari poteſt utraque propoſitio, quam explicat Phrenoſchema; tùm propria ſcilicet; tùm translata: & de utriuſque partibus quęri in ſylva à nobis * propoſita, aut alia ſimili: quæ ſemper aliquid innuet. Sit exemplo Flumen eò magis creſcens; quò diutiùs currit: quod in commendationem Præſulis Piccolominei eò cumulatioris virtute; quò ætate majoris; erexit Bargalius. Habes, quod quæras, Flumen: habes ex Mobilitate Augmentum: habes Ætatis curſum: habes & Incrementa Virtutis. Et certè Mobilitas indicavit Bargalio; ut poſtremum aſſumeret hemiſtichium ex eo Virgilii carmine; quod hæc habet de fama:

Mobilitate viget; vireſque acquirit eundo.

Translationem Metaphoram Proportionis vult * Theſaurus: ex Ariſtotele enim *Translationes, quæ ſecundùm Proportionem ſunt, maximè probantur*. Sed tamen magis plaudit

Theſ. Cann. c.15.th. 27.
Areſ. Impr. l.1.c. 27. cond.5. & Theſ. Cann. c.15.th. 22. & 25.
Theſ. Cann. c.15.th. 26.
Petraſancta Symb. heroic. l.8.c. 10.
Areſ. Impr. l.1.c. 27. cond. 3. & Theſ. Cann. c.15.th.24. & Petraſ. Symb. her. l.8.c.9.
Theſ. loc. cit.
Theſ. loc. cit. & Petraſ. loc. cit.
hic lib.1. p. 1.c.3.rud.2.
Theſ. Cann. c.15.th.2.

dit Proportioni habenti ſimul Attributionem ; quam nos putamus Metaphoram Synecdochi copulatam : ut ſunt Arma velo conteᵭa, ad denotandas vires, non animum, ab hoſtibus oppreſſas ; cum lemmate : *Conduntur ; non retunduntur*. Prędicabilem * quoque vult de objeᵭo, ad quod transfert, rem figuratam ; ut valeat, exempli gratia, Ludovicus Hiſtrix metaphoricè nuncupari : in hoc enim ſimilitudinibus reliquis excellit Metaphora. Decora * ob id ſit Metaphora ; & apta perſonis, ad quas tendit : ut neque ſublimior ; neque iis ſit vilior : neque enim * elatam, turgenténque ſuperbiæ faſtu ; neque vulgarem amat hujus magnanima Symboli nobilitas : ſed Heroicam ; * quale perfeᵭiſſimum exigit eſſe Phrenoſchema. Particularem ; & Unicum debere conceptum exhibere ; ſequitur ex requiſitis ad eſſentiam Impreſiæ conſtituendam : monet id etiam * Theſaurus ; dum perfeᵭorum Phrenoſchematum ſancit leges. Circunſtantiis tamen ulteriùs eſſe convenit addiᵭã ; ut non æquè alteri, quàm objeᵭo convenire ſuo poſſit : quod habetur ; ſi vel figura, vel lemma, vel utrunque ſimul, perſonę alludit ad ſtatum, nomen, familiam, ſtemma, vel anteaᵭa facinora. Eò accedebat hians Equa, cum lemmate : *Auſtro ſpirante concipiam* : quibus ad Philippi Regis nomen (Philippus enim græcè ſonat ; quod latinè *Equorum amator*) ſimul, & Auſtriacam familiam, quis alludebat, ſpem faciens ; fore, ut Auſtriaci ſpirante favoris aura, conciperet ; & aliquando ingenii partus egregios eniteretur.

Theſ. Cann. c.15.th.4. *Theſ. ib. th. 31.* *Areſ. Impr. l.1.c.20. reg.2.* *Theſ. Cann. c.15.th.19.* *Theſ. ibid. th.18.& 20* *Areſius Impr.l.1.c.27. concl.6. & 7.& Theſ, Cann. c.15. th.28.*

RUDIMENTUM IV.

De alijs Symbolorum generibus.

FUit, qui putaret ; ex Deorum menſa etiam analeᵭa ſedulò colligenda. Ex heroicorum nos menſis ingeniorum colligemus reliquias : & quanvis Symbolorũ celebrioribus exaturati cibis ; inferiora tamẽ aliquot ex iis, quæ remanent, non faſtidiemus. Sunt autem, quæ proponuntur, Stemmata ; Annuli ; Sigilla ; Numiſmata ; & Trophæa : quibus & de plurium Miſtione Symbolorum aliquid addemus.

STEMMATA primùm dicta reperio ex collectis conſicta floribus coronamenta. Poſt hęc tamen, uſitatiſſima nomenclatura, majorum imagines clarorum in atriis poſitæ cœperunt Stemmata nuncupari. Translatum indè nomen eſt ad inſcriptiones ſaxis inſculptas: quibus egregia cujuſque facinora tradebantur æternitati. Quorum denique quia perenne reddunt poſteritati teſtimonium Gentilitia ſigna; etiam hæc Stemmata dici conſueverunt. Teſte enim Plinio: Romani diu ſtatuis ſunt uſi; quibus appendebantur inſignia; deſcripta ſcilicet in linteis eorum præclara geſta: quorum deinde vice quædam adhiberi Emblematica ſigna conſuevere. Sunt igitur Stemmata (ſi legitimam conſiderare fas eſt originem) majoribus propriæ virtutis præmia: poſteris autem incitamenta laborum: utriſque verò grata, & glorioſa rectè factorum memoria. Quare non difficilè etiam hæc Heroica vocarem Symbola: niſi tritus jam eorum nunc temporis uſus, omnibúſque generis, ac meriti cujuslibet communis, ſolis hoc gloriæ nomen Phrenoſchematibus reliquiſſet. Vix enim nunc eſt ullius gentis privata familia; quæ non ſibi hujuſmodi inſigne aliquod ſtatuerit: ut nihil aliud jam Stemma ſit; quàm *Symbolum quodpiam ad ornamentum, & diſcrimen familiæ delectum.*

Artificium porrò Stemmatis conſtruendi omnia prædicta Symbolorum genera ſubminiſtrant. Hieroglyphico accedit Mœcenatis Rana, ad ſilentii indicium. Miſto Emblemati ſimilis eſt Auguſti Papilio cum fluviatili Cancro, ad maturitatis commendationem: cujus epigraphe: *Feſtina lentè*. Phrenoſchema pariter Jovis Regis, nempè Aquila, tranſiit in Stemma plurium gentium: ex quibus Æneæ familiam reperit in Phrygia; undè in Latium pervolavit. Neque enim differunt à reliquis Symbolis Stemmata: niſi penès hæreditariam ſucceſſionem poſterorum; & uſum accidentalem. Colores quoque palmarum in Stemmatibus obſervantur: niſi enim campum impleat figura; ſuam habet à coloribus ſingulis ſignificationē; de qua pro Symbolis in genere dictum eſt. Perfectum tamen eſſet Stemma: cujus non modò palma; ſed neque figura à coloribus dependeret: ut æquè poſſit incidi annulis, & ſigillis.

ANNULUM qui primus induerit digitis; ignotum eſt

Pli-

* Plinio. Vetuſtiſſimum tamen ejus uſum, & antiquiorem *Plin.l.33. c.1.*
belli Trojani tẽporibus, (quibus ejus primordia ille tribu-
it) etiã ſacræ teſtãtur hiſtoriæ: ex quarũ monumentis con-
ſtat; in Palæſtina, & Ægypto viguiſſe; atque * Judam Pa- *Geneſ. 38.*
triarcham nurui Thamari Annulum cum armilla, & baculo
dediſſe. Ab Ægyptiis autem, & Hebræis ad Græcos veri-
ſimile eſt Annulos manaſſe: & ab his indè ad Romanos;
qui multi nimis in ea re fuere. Servi enim in libertatem vo-
cati; ut antiquæ non obliviſcerentur conditionis; circulo
ex catena, cum fragmento lapidis, de quo empti fuerant,
illi inſerto, tanquam annulo donabantur. Cui mori conſo-
nat Promethei fabula: qui exertum ex ferrea catena, qua
ad Caucaſum adhæſerat, Annulum cum parte rupis geſtaſ-
ſe dicitur; ut maneret jugiter pœnæ recordatio. Ex quo
factum ajunt: ut in parentis gratiam annulos deinde ho-
mines adhibuerint. Et certè apud Pythagoram ſervitutis
Symbolum Annulus erat: qui proinde vetuit; ne quis ar-
ctum ferret Annulum: ſuadens ſcilicet per hujúſmodi ver-
borum ambages; ne quis in duram ſe injiceret ſervitutem.
Quapropter Diali Flamini interdictus à Gentilibus legi-
tur uſus Annuli: cùm libertatem maximè decere Sacer-
dotes, arbitrarentur. Rectiùs tamen à nobis conceditur no-
ſtris; tanquam liberæ illius, ac nobiliſſimæ ſervitutis teſſe-
ra; de qua dicitur: *Servire Deo regnare eſt*. Sed deinceps
tranſiit in honoris teſtimonium: undè, poſt exactos Reges,
ferreus Annulus dabatur Imperatoribus: qualem etiam à
Matre dono accepit Seleucus Rex.

Materia etenim Annulorum prima fuit ferrum. Ex ferro
nanque fuiſſe, quem Judas Patriarcha geſtabat; indè con-
jicitur; quòd * pro uno hœdo eum ſimul cum baculo dedit, *Geneſ. 38.*
& armilla. Ferreo quoque utebantur Spartæ, & Macedo-
nes: & plures aliæ pariter nationes. Aureus tamen inte-
rim non penitùs arcebatur: hujúſmodi nanque fuit; quem
* Joſepho dedit Pharao Rex Ægypti, cùm eum Proregem *Geneſ.41.*
nuncupavit: fueruntque etiam; quos in Tabernaculi do-
naria Hebræorum Matronæ contulere. Ubi tamen Ro-
ma exulaverunt aurei mores; creſcente luxu; ac labente
diſciplina: primùm communis Legatis, dum publicè pro-
dirent, aureus fuit Annulus; deindè etiam Equitibus, Tri-
bunis,

Digitized by Google

bunis, ac Centurionibus traditus; quò priores à Plebe; poſteriores à milite diſtinguerentur. tùm Medicis omnibus promeritus ab Antonio Muſa liberto in præmium recuperatæ p eũ ab Auguſto jã cõclamatæ valetudinis: demũ à quibuſcunque, procul ab omni conditionis, ſexúſque diſcrimine, domi, foriſque fuit indifferenter aſſumptus. Quin & eò luxus crevit: ut Heliogabalus; toto anno quotidie cùm mutaret Annulos; quem ſemel induerat, ſuperba reſpueret profuſione.

Ornatus verò Annulorum præcipuus gemmæ ſunt. Ob cujus valorem celebris fuit Nonii Senatoris Annulus ſeſtertiûm vigintimillium habens lapidem. Addidit verò natura pretium * in Regis Pyrrhi prodigioſà achate; Apollinẽ cum citharà, Muſáſque propriis cum inſignibus delineás: ut non in rupe; ſed in gemma Parnaſſum mirareris. Sed non infimi pretii, vel ſine gemma, dedit Annulos artis induſtria: cujúſmodi æternitatis fama dignum habuit Carolus Quintus diei, noctiſque tempora diſpenſantem. Erat enim in ejus funda, vice lapidis, horologium parvis libramentis, & machinulis aptum: quod non foris tantùm ſingulas indiculo ſignabat horas; ſed intus præterea, ad cujuſvis lapſum, digitum ſecretiore obſequio perſtringebat.

Plin. l. 37.

Pronubos autem Annulos * penès Romanos (etiam Plinii tempore) ferrum componebat; nec ulla gemma decorabat. Quare; ſimplicem circulum, nullo inſerto lapillo, dari conſueviſſe Hebræis puellis, dum accedebant ad Nuptias; cenſet * Joannes Baptiſta Laurus. In regionibus quoque Septentrionalibus nonnullis expers gemmæ Annulus datur, novi connubii teſſera. Obtinet * nunc autem (nec novam habet originem) in Europæ provinciis variis conſuetudo: ut pro gemma duas aſtrictas dexteras, invicénque jugatas Pronubi referant Annuli; quas *Fidem* vocant. Horum autem (cujuſvis ſint artificii) locus proprius fuit digitus, qui auriculari præcedit: quemadmodum reliquorum fuit primùm index; deinde minimus; ac poſtremò omnis reliquus; excepto medio; utpotè * infamiæ notato ab Athenienſibus. Idque factum cenſent: quia ſcribunt auctores varii; nervum tenuiſsimum ex annulari digito (ſic enim

Alex. ab Alex. l. 2. c. 5.

Ann. B. V.

Pier. l. 41.

Abrah. Gorlæus preloq. Dactyloth.

enim penultimus vocatur) ad cor uſque pertingere: undè & æſtimarunt priſci; eo coronari cor; ac per venulas gemmarum virtutem ad id adverſùs faſcinum, & venenum transmitti: quod cauſæ pariter fuit; ut aurum in ima parte gemmæ non intercederet; ſed nudum ea tangeret immediatè digitum; quò faciliùs ſuam vim communicaret.

SIGILLA nunc ſequuntur: utpotè ad annulos præſertim attinentia. Quanvis enim generica appellatione Sigillum dictum fuerit (quaſi diminutivum vocis *Signum*) quodlibet parvum rei ſimulacrum: undè & ſigillatos vocavit * Cicero ſpoliatos à Verre ſcyphos, quos Emblemata ornabant: & ſigillaria * Tertullianus appellavit parva idola, fictiléſque veterum Deos: atque Ethnicos irridebat * Arnobius, quòd ſigillaria ſua Deos crederent; putaréntque, in minimis ſigilliolis Deos contrahi; extendi verò in magnis ſimulacris. Attamen Sigilli nomen peculiares quaſdam cælaturas ſignatè denotat annulis primùm incidi conſuetas. Veteres enim (inquit * Macrobius) potiùs ſignandi gratia, quàm ſe ornandi, annulos circunferebant. Additque Alexandrinus Clemens: non ornatus cauſa olim à viro traditum ſponſæ cælatum annulum; ſed ut eo potiùs, quæcunque erant domi, obſignaret: quòd viri ſit Rempublicam; uxoris domeſticam rem adminiſtrare, ac cuſtodire.

Cic. in Verr. act. 6.

Tert. de Orat. c. 12.

Contra Gent. lib. 6.

Macrob. Saturnal. l. 7. c. 13.

Clem. Alex. Pedagog. c. 11.

Uſus autem annuli ſigillarii triplex erat: in Sacrificiis; in Tabulis; in Domeſticis rebus.

Sacrificia religionem quandam olim annulis intulere: adeò ut * gravatis ſomno, aut morientibus detrahi conſueverint: vetueríitque Tiberius, metu propoſito extremi ſupplicii; ne ſignati non vulgaris argumenti icone in lupanaria, latrinas, cæteráve obſcœna loca annuli inferrentur. Annulis igitur ſigillatæ victimæ offerebantur: erátque * Sacrificulis capitalis pœna; ſi non ſignatas hoſtias obtuliſſent: quod & Horus * inſinuat Apollo; dum Orygem, ait, non debuiſſe deorum ſigillo ſignari; ne in horum poſſeſſionem, quæ impuri erat, ſceleſtique typus animi, obſcœna bellua tranſcribi videretur. Signum autem * victimis à ſolis imprimebatur Sphragiſtis: reddebátque hominem in genua provolutum, manibus revinctis, gladiúnque habentem ad jugulum: quaſi, bruta offerri, teſtaretur, ad eluendam Numinis

Plin. l. 23. c. 1.

Herodot. l. 2

Hor. Apoll. l. 1. hieroglyph.

Plutarch. l. de Iſide, & Oſir.

minis offenſionem ; hoc victimas acceptante, ne periret omnis homo ; cùm omnis eſſet mortis reus.

Tabulæ quoque, tùm privatæ, tùm publicæ, ſignaban-
Gorroz. de dict. mirab. tur annulis ; ut earum conſtaret fides. Quanvis Magnus Carolus non in annuli gemmula ; ſed in enſis capulo ſigillũ habuit ; quo edicta obſignabat, & leges : quòd ejuſdem cenſebat eſſe gladii, & leges promulgare, & tueri. Tutior autem ut fides eſſet, & locus adulterinis non ſupereſſet no-
Suet. in Neron. c. 17. tis ; in principatu * Neronis, Romani Senatus decreto ſan-
citum fuit ; ut publici quæquæ, privativè contractus tabulę,
Paul. Juriſconſ. ſent. l. 1. tit. 25. teſtibus adhibitis, in marginis ſumma adufque mediam partem perforatæ, triplici conſtringerentur lino ; ſupra quod ceræ (quæ Aſiatica * ſolebat eſſe, cujus nunc vices ge-
Cic. pro Flacco. rit Hiſpanica) ſigna imprimerentur. Non ſolùm tamen fidem teſtantur annuli ſigillarii ; verùm & exigunt ſilentii
Plutarch. fortuna Alex. ſecretum. Quare * Alexander Macedo Hepheſtioni ſuo clàm Olympiadis epiſtolam cùm ſublegiſſet ; ut ſilentium injungeret Regum arcanis debitum ; ejus ori ſignum Imperatoriũ admovit. Cælaturas autẽ varias habere cõſueverunt. Deos enim, quos colebãt, frequẽter ſculpere, fuit antiquis in uſu ; cujuſmodi armata * Venus in Cæſaris annulo : ac
Dio Caſ. Rom. hiſt. l. 43. Marſyæ ſuperati ab Apolline, & ad arborẽ excoriati, in Neronis digito ; quippe qui illius exercebat lanienam. Non rarò Philoſophos exprimebant, quorum ſectabantur mores, & inſtituta : ut Stoici Zenonem ; Platonem Academi-
Cic. de Finib. ci ; Peripatetici Ariſtotelem : undè & * Tullius memorat ; Romæ ſpectari ſolitam, non in tabulis modò ; ſed & in annulis, ac poculis imaginem Epicuri. Patriam alii, ac Atavos figurabant ; ut Africani Patris ſimulacrum : Lentulus
Catil. 3. Avi ſui (de quo * Cicero loquitur) viri clariſſimi : & Hebræi (captivitatis præſertim tempore) Jeruſalem Civitatẽ ;
Pſalm. 136. quod fortè notat * Pſalmiſta : *Si oblitus fuero tui Jeruſalẽ ; oblivioni detur dextera mea.* Nõnunquã cælabãtur præclara facinora : quare Ptolemæum Regem Lucullus gerebat : Magnus Alexander Darium : Jugurtæ traditionem Sylla. Illuſtrium quoque vultus virorum : ut Alexandri imago penès
Auguſtum, & Amazonis apud Commodum Imperatorẽ.
Philo Jud. Gigantes * alii, atque Coloſſos cogebant in unius anguſtia gemmæ : alii animalia, rerumque aliarum ſigna ad Sigilla-

rios

Digitized by Google

rios annulos trāſferebant. Nomina nonnemo ſua ſculpebat: quod innuere videtur * Symmachus; ubi ait: *Cupio cognoſcere; an omnes ſubſignatas acceperis eo annulo;quo nomen meum magis intelligi, quàm legi poteſt*: puto quòd nominis elementa clandeſtinè haberet(ut nunc etiam fieri ſolet) invicem implicata. Nec defuere; qui Emblemata, aut Phrenoſchemata annulis traderent:ut in Cæſaris ſphinge; aut Delphino anchoræ adjūcto, cum lemmate: *Feſtina lentè*:undè videas;quàm materialis ſit horum ab illis differentia. Quò memorabilis * facit annulus à Pharaone Joſepho traditus Crucem habens in ſignum ſupernæ poteſtatis exigendi à reis pœnam: propheticum ſanè ejus Symbolū; cujus * *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* *Symm.lib.2 epiſt. 12.* *Gretſer.l.4. c.9.* *Iſ.9.v.6.*

Domeſticis obſignare Sigillis armaria, horrea, penuaria; neceſſarium fuit œconomiæ ſtudium: quanvis cum Plinio * queri oporteat; quòd priſcorum innocentia nihil ſignatum requiſierit; ætate verò noſtra; cibos quoque, & potus, ac vilia quæquæ utenſilium,opus ſit à rapina mancipiorum annulis vindicare. Sordidum tamen ſemper viſum eſt * Theophraſto reliquias de menſa, & raphanorum ſemeſas partes; vel etiam * Plauto ſal, & condimenta, avaro ſtudio notare. Prudentiſſimum verò ſemper ratum pecuniç ſacculos annulo munire: ne (ut notat * Apulejus) dolo exemptis optimis,adulterini nummi ingererentur.Quē morem innuit * Plinius: dum ait; aurum interdum, argētúmque, aut æs, fulmine liquatum; ſacculis nullo ambuſtis modo; ac ne quidem ceræ ſigno confuſo. Non defuit tamen contra ſigna * Lacedæmoni Gylippo aſtutia: qui diſſutis infernè ſacculis, intactis ſigillis, pecuniam à Lyſandro ſurripere aſſuevit: donec tandem innuens Magiſtratui; multas noctuas(nummos ſcilicet noctuis ſignatos.) ſub heri tegulis cubare; ignotæ fraudis dedit indicium. Uſum tamen ut noſtrorum temporum hujúſmodi annulis aſſignemus: Juſtus Lipſius * refert; inventos inter Batavos antiquos ex ferro annulos, cum adjuncta clavi,ad claudendi, aperiendique munus: cujus generis æreum reperit * Abrahamus Gorlæus onychinam habentem gemmam; in qua binæ inciſæ ſpinæ; quarum medium navis gubernaculum obtinebat. *Plin.lib.33. c.1.* *Theophr. c. de Obſcœn.* *Plaut Perſ. act.2.Scœn.3* *Apul.l10. Metamorph.* *Plin.l.12.c. 13.* *Plut. in Lyſandr.* *Comm. ad lib.2.Taciti* *Gorl. Dactyloth.*

NUMISMATA vetuſtiſſimam jactant originem. Nummis enim ad rerum commutationem, mutuámque ſocietatem uſi ſunt primi homines, dum pecori vacarent. Ne enim ſemper ovem pro veſte, aut pro calceo hœdum dare aſtringerentur; Nummum, veluti fideijuſſorem, (ut loquitur *Ariſtoteles) invenerunt. Æris itaque pondere pretia quæquę rerum cœperunt primò exęquare. Deinde verò ad tædium fugiendum toties ponderandi, quoties commutare neceſſę eſſet; ſuffecere ponderi ſigna; ut, quanti valeret Nummus, id ejus nota definiret. Materiam quoque temporum lapſus (imò & morum) aliam fecit. Romæ enim quinquennio ante Punicum bellum argentei prodierunt; hinc galeatam Romam habentes; indè Caſtorem, & Pollucem: poſt annos verò ſexaginta duos fulſere & aurei. Signum verò, quod Nummis imprimeretur, primum fuit Pecus; undè pecuniæ vocabulum repetit Varro: cujus rei cauſam addit Plutarchus, docens; ideò bove, ove, ſue pecuniam ſignatam; ut in eas mutaretur res; quarum præſeferebat imaginem. Jani deinde bifrontis effigies; & navis roſtrũ cõſuevit monetis incidi: ſive (ut habet Macrobius) quia Janus primus omnium pecuniam ſignavit: ſive (ut mavult Lactantius; innuítque *Ovidius) quòd is errantem Saturnum hoſpitio ſuſcepit. Deorum quoque tutelarium, & Victoriæ icones cœpit, poſt inventos aureos, argenteóſque Nummos, inducere Roma; cuſſis ex oppoſito bigis, aut quadrigis: undè Victoriati, Bigati, aut Quadrigati dicebantur. Fuere etiam; qui Monetam Deam cum lance; aut tres Deos, auri, argenti, æriſque præſides exhiberent. Sed prolixa nimis hæc redderetur tractatio; ſi de ſingulis Nationum cælaturis verba fierent. Celebriores itaque nunc tantùm percurremus ſpecies: quæ honoris ſcilicet; & quæ futuræ erant indices felicitatis.

Ariſt. 5. Polit. c. 9.

Ovid. Faſtor. l. 1.

Honoris autem Numiſmata nonniſi præſtantiſſimis viris poſt obitum Reipublicæ tempore feriebantur: quanvis uni Julio Cæſari datum ſit; ut vivens ſe, ſuáſque laudes, in Nummorum cælatura contemplaretur. Bruti proinde Numiſma eum hinc, & lictores cum faſcibus referebat; indè Libertatem: quòd Rempublicam à Regio dominatu liberaverat. Porcia familia; quòd legem, ab ejus nomine Por-

ciam

-tiam appellatam, dederat Reipublicæ Romanum civem ab ignominia virgarum ſubtrahentem ; Nummos obtinuit : in quibus vir togatus ſellam inſidebat medius inter lictorem, & civem ; addita epigraphe : *Provoco*. Quinto Caſſio datum Numiſma eſt ; in cujus altera parte Veſtis caput ; in altera fanum ejus apparebat : quòd ad religionis defenſionem, damnatis inceſtuoſis Veſtalibus, Deæ templum repurgaverat. M. Æmilius Lepidus, ampliſſimus, atque integerrimus vir ex Senatus præſcripto Nummum habuit: cujus alter aſpectus turritum fœminæ caput offerebat, Ægypti, aut Alexandriæ Symbolum ; alter verò ipſum, manu ſupra Regii pueri cæſariem depoſita, cum inſcriptione : *M. Æmilius Lepidus, Pontifex Maximus Sec. Conſ. Tutor Regis*: quippe qui à Romano populo (quē ſcriptū filii tutorem deſignaverat Rex Ptolemæus) ad id munus electus, ita geſſerat; ut fuerint * ipſius beneficio Regia incunabula conſervata, pariter, & decorata. T. Manlius Torquatus hoſtium expreſſit ſpolia: ereptum ſcilicet cum vita Torquem Gallo militi ad Anienem fluvium. Coronas alii, quà Obſidionales ; quà Murales ; aut Triumphales : Magiſtratus alii, ac Sacerdotii inſignia : Nobilitatis alii ſigna Nummorum cælaturis expreſſere. Succeſſit pereunti Romanæ Reipublicæ libertati Cæſarum dominatus : qui, ut ſoli ſceptrum tenebant ; ita & Nummorum honores ſibi reſervabant. Habebant autem & hi pariter præclarè geſtorum imagines cum circumſculpta adulatoria epigraphe : ut in Adriani pecunia : *Adriano Reſtitutori Africæ, Locupletatori Orbis terrarum*. Religionem tamen omnibus commendatam ævis maluit ſuis dare Numiſmatibus Magnus Conſtantinus. Medium enim inter armatos milites Labarum erexit ; cujus apicem ſignarent invicem alligati characteres X, & P ; primi ſcilicet, qui penès Græcos Chriſti Nomen inchoant: inciditque circùm : *Gloria exercitus*. Quin & ejus ſigni conſtans adeò venerator fuit: ut & propriæ inſculpſerit galeæ ; & laureæ triumphantium aſcripſerit coronæ : quod poſtea Majoranus Auguſtus in clypeo cælavit. Ex quibus omnibus liquet; non omnia hujuſmodi Numiſmata fuiſſe Symbolica ; ſed quædam tantùm hiſtorica : fuiſſe tamen quamplurima ; ut meritò à nobis hæc ſpecies inter Symbola numeretur.

* *Valer Max. l. 4. c. 4.*

Felicitatis quoque futurȩ Symbolum Nummi alii concinebant; carebant alii: omnes tamen gubernandi in primis normam exhibebant; quaſi hinc omnis regnorum pendeat felicitas. Auguſtus implexo anchoræ Delphino magnum illud addidit prȩceptum etiam in Monetis: *Feſtina lentè*. Titus aliquando uſus eo eſt: ſed habuit quoque duplici Cornucopiæ intermedium Caducȩum; ut pacem ſponderet, & annonæ ubertatem. Nerva, & Antoninus Pius; timorem ut ſpei miſcerent; Fulmen cuſſerunt in ſtrato, veluti dormiens: quò innuerent ſubditis; tandiu puniendi dormituram in clementiæ lecto Regiam poteſtatem; quandiu non ab eorum vitiis excitaretur. Trajano Clava placuit ſupra Leonis caput: ut ſcilicet Alcidi alluderet Heroi ſapientiſſimo Nemeæum leonem clava verberanti: quod argumentum eſſet roboris ſapientiȩ manus dantis. Inſcriptiones quoque non raró habuit publicum æs: quibus felicitatem populis polliceretur. Erant autem hujúſmodi: *Securitas Publica: Securitas Perpetua: Publica Felicitas: Fæcunditas: Liberalitas: Pudicitia: Libertas.*

TROPHÆA propriè ſunt hoſtium ſpolia, vel arma, Heroum nomini ſacrata, vel Divorum. Hæc autem Fabius, & Domitianus primi traduntur, qui ex eminentibus pendentia turribus explicarint. Poſt hæc etiam Triumphales arcus, & Urbes, ſive in ipſo victoriæ campo, ſive alibi, egregiá in circunſtantia conſtructa Trophæorum obtinuere munia: ut cùm, Atticis debellatis, Nicopolim Auguſtus Cęſar voluit ædificatam. Adduntur etiam ipſorum imagines ſpoliorum: quæ inter ſeſe ingenioſa complexione commiſtæ ipſa ſpolia deſignent. Ea verò imitantur Dignitatum inſignia: aut Doctrinalium; vel etiam Ruralium; aliorúmve inſtrumentorum; quà facetæ, quà ingenioſȩ tricȩ. Hæc tamen omnia Symbola quidē ſunt, cùm inſtrumenta ad hoſtē debellatum, vel profeſſionem ſignificandam transferantur: non tamen omnia ſunt figurata; de quibus tantùm hìc ſermo. Ceterùm, ne exempla deſint: pro ipſis inimicorum
Corn. à Lap. ſpoliis habes * Goliæ gladium pallio involutum: habes *
in 1. Reg. 21. Holofernis univerſa bellica vaſa, & conopeum, oblata in
Judith. c. 16. anathema oblivionis: habes demum * à Simone extructum
1. Machab. parentibus ſuis, fratribúſque ſepulchrum, cum pyramidi-
13.

bus, & columnis; & ſuper columnas arma, & juxta naves ſculptas ad memoriam ſempiternam, quibus ſcilicet * partas à Machabæis terra, marique victorias deſignaret. *Tirin in 1. Machab.*

MISTA verò ex iis omnibus; quæ non poſtremùm modò hoc Rudimentum; ſed totum expoſuit præſens caput; fieri Symbola poſſunt ingenioſiſſima. Quemadmodū enim; * confluentibus ad paucos amnes multiformibus feris; ex earum varia mistione, *Semper aliquid novi affert Africa*: primarúmque (ut loquuntur) qualitatum diverſa combinatione multiplicia temperamenta dat natura: atque arguta pictura, præcipuorum ingenioſa temperie colorum, medios plures in dies gignit: ita & Symbolorum ars novit ex allatis hactenus ſpeciebus novas gignere; quas earum commiſtio ſubminiſtret. Miſtum proinde ex Emblemate, & Phrenoſchemate eſt Symbolum: quod figuræ, vel Morale documentum lemmate; vel peculiarem conceptum carmine ſuperaddit. Miſtum quoque è Stemmate eſt, & Trophæis: quod gentilitio ſigno hoſtium circunſculpit ſpolia; vel hæc ipſi parmulæ incidit. Miſta quoque emergunt reliqua: ſi Nummis Emblemata; ſi Phrenoſchemata; ſi cętera ſocies: aut aliis alia. *Plin. l. 8. c. 19.*

CAPUT II.

DE ORATIONE LAPIDARIA.

Æ Ternitatis avida humanæ mentis ambitio; ut, vel labile nomen, vel fluxa facinora redderet perennia; tradere lapidibus aſſuevit. Hęc primùm vetuſtatis ſimplicitas ſincera donavit gravitate. Addidit tamen acumina; figuras addidit vivaciores noſtrorum temporum Eloquentia: addidítque demùm mediam inter ſolutam Orationē, & Carmen harmoniam. Dupliciter enim efferri hæc ſolet Oratio: Periodicè ſcilicet; & Conciſè. Periodica ſimplici ambitu reliquarum inſtar Orationum inſcripto rem abſolvit: & hęc antiquam ſequitur gravitatem: ut, quam erectæ Servio Sulpicio in roſtris ſtatuæ ſuppoſuit Roma:

S.P.

S. P. Q. R. Servio Sulpicio Quinti filio Lemonia Rufo; quòd difficillimo Reipublicæ tempore auctoritatem Senatus, ſaluteque Populi Romani vitæ ſuæ præpoſuerit; & in Legatione mortem obierit vita conſentaneam. Conciſa verò pluribus diſtingui ſenſibus valet; habétque peculiarem legem; juxtà quam ad carminum ſimilitudinem incidatur. Quare ad memoriam revocandum; quod de conciſa diximus periodo: ejus nempè partes; vel oppoſitionem inter ſe habere; vel diviſionem afferre: ſemper tamen in aliquo nexu convenire. Exemplum primi ſit: *Vixit ad deſiderium populi parùm; ad res geſtas ſatis; ad memoriam operum ſemper*: ubi dictio *Vixit* tria ligat oppoſita. Exemplum verò ſecundi eſt illud: *Auſpiciis, Armis, Conſiliis, Ter felici*: quę poſtrema ſuperlatio tria precedentia nectit. Advertendum inſuper: lineas, in quas Lapidaria diſtinguitur Oratio, nec longiores eſſe debere; nec breviores: ſed earum menſuram hexametri circiter carminis longitudinem occupare. Solent tamen breviſſimo hexametro reperiri arctiores: prolixiores longiſſimo vix inveniuntur. Nexus autem, licèt breviſſimi; ubi ſunt ab oppoſitis, disjunctísve partibus expediti; venuſtiùs ſolitarii collocantur. Sit exemplum; quod efformavit * Emmanuel Theſaurus ex Inſcriptione ſoluta; quam refert arcus Conſtantino Romę erectus poſt devictum Maxentium, Urbénque liberatam:

Theſ. Cann. c. 4.

Flavio Conſtantino Auguſto
Imperatori, Pontifici, Patri Patrię,
Ter Maximo;
Auſpiciis, Armis, Conſiliis,
Ter felici;
Devicto Tyranno, Deleta factione,
Vindicata Republica,
Ter Triumphanti;
Arcum, Urbem, Animos
S. P. Q. R.
Expandit

Tota igitur diſtributionis venuſtas in eo conſiſtit: quòd ita dictę particulę per lineas dividantur; ut accedatur, quoad fieri poteſt, ad preaſſignatam menſuram; & quę ſuperſunt, inferiùs, inferiúſque ponantur: ut tamen, ſi breves ſunt,

plu-

plures in eadem linea reperiantur. Harum autem imitatrix Orationum ſua quoque Lapidaria carmina Poeſis inſtituit: à quibus tamen nos, etiam in adducendis exemplis, abſtinebimus, totum Oratorium opus inſtituturi. De triplici itaque Lapidaria Oratione ſermo erit: Inſcriptione ſcilicet; Elogio; & Epitaphio.

RUDIMENTUM I.

De Inſcriptione.

INſcriptionis nomen, latiſſimam ſi obtinet ſuę ſignificationis provinciam; quodlibet importat ſcriptum alteri adhęrens rei. Inſcriptiones proinde dicebantur accuſantium quędam ſubſcriptiones: quibus ſe talionis aſtringebant pœnę; niſi crimen probaſſent. Tituli quoque libris prędixi Inſcriptiones vocabantur. Nomē idē obtinuere turpitudinis notę; quas ſervorum nequam, aut damnatorum frontibus inurebant ad perpetuam infamiam: de quibus Petronius in Satyricis. Inſuper &, quę damnatorum collo appendebantur; vel iis, ad ſupplicium dum traherentur, prę ferebantur; tabellę ſupplicii cauſam aperientes: de quibus * Fornerius. Strictiùs verò Lapidariam omnem Orationem complectitur Inſcriptionis nomenclatura. Hìc tamen à nobis ſumitur pro altera Lapidarię ſpecie ab Elogiis, & Epitaphiis diſtincta: éſtque ejus munus pręcipuum operis cujuſque rationem afferre: aut id cum laude alteri dedicare. Quapropter hiſtoricam veluti gravitatem, aut ſuaſoriam ſecuta, ſtylum cęteris ſpeciebus amat graviorem: non tamen ab aliquot argutiis, moderatíſque tropis, & figuris penitùs alienum. En igitur exemplum duplex: alterum extructi Pontis; effoſique novi, quà Tiberis excurreret, alvei cauſam, & auctorem indicans: dicans alterum Sixto Quinto ſtatuam. Primum hęc habet: *Urbanus Octavus Pontifex Maximus Tiberim, via publica everſa, veterem repetentem alveum, novi effoſſione, ad dexteram deductum, aggeris objectu, validaque compage lignorum, ſub Ponte, quem declinabat, continuit Anno Salutis M DC.XXVIII.* Secundum verò hujúſmodi:

Forner. quotid. rer. l. 1.

Sixto

Digitized by Google

Sixto Quinto Pontifici Maximo;
ob quietem publicam,
Compreſſa ſicariorum, exulunque licentia,
reſtitutam;
annonæ inopiæ ſublevatam Urbem;
ædificiis, viis, aquæductibus,
illuſtratam;
S. P. Q. R.

Ubi monendum de ejus nomine, qui dicat; & ejus, ad quem dicatur: ſervandum ordinem dignitatis. Si enim dignior eſt; qui alterius merito virtutis monumentum præcipit erigendum; ſuum præſcribit nomen; ut ſub Servi ſtatua licuit obſervare: ſi minor; vel immediatum poſt majoris nomen ſuo dat locum, ubi mediocris eſt diſparitas; vel, ubi notabilis, calcem obtinet Inſcriptionis. Cunctis verò nominibus omnium Numinis invocatio præmitti non rarò ſolet compendiariis notis *D. O. M.* Deo ſcilicet *Optimo Maximo:* aut aliis ſimilibus. Deo nanque ſunt omnia tribuenda. Finem quoque non ſemel occupant dicationis notæ: cujúſmodi ſunt: *D. D. D. dat, dicat, dedicat: P. poſuit: D. P. donum poſuit: D. D. C. dat, dicat, conſecrat: D. D. S. dat, dicat, ſacrat:* & hujus generis alia.

Samper. Iconolog. l.4.c.1.

Nec tamen omnes commendationem habent Inſcriptiones. Sunt enim plures ad infamiæ ſculptæ memoriam ſempiternam. Ejúſmodi autem ſunt infames columnæ in pœnam læſæ fidelitatis; aut enormis alterius criminis erectæ: quorum hic exempla non affero; ut poſteritatis nomini parcam: Sit tamen indicium aliquod in famoſo illo Judaicæ impietatis monumento triplex dictio; (ingentis tamen epithome prodigii) quæ nunc Meſſanæ propè majorem januam Protometropolitanæ Eccleſiæ legitur. Cùm enim è Trinacria non adhuc exules Hebræi, Meſſanæ ſtati vici limites haberent; qui etiam nunc Judaicus dicitur: Eliſabetha Federici Tertii Matre hujus Regni ſceptrum tenente; Eccleſiam verò regente Clemente Sexto; circa ſalutis annum 1347. Feria Sexta in Paraſceue: quidam Judaicæ perfidiæ alumnus ægrè puerum ferens; qui chriſtiana pietate, ac Meſſanenſi erga Patronam Deiparam devotione, quotidie ante ejus januam iter habens Angelicam Salutationem ala-

cri

cri voce perſonabat, nec increpationibus unquam territus, nec minis; tandem infernalem actus in rabiem dolo comprehenſum (convocatis ſuæ impietatis ſociis) flagellis crudeliſſimè cæſum Cruci affixit, lanceáque perfodit; atque, ne pateret ſcelus, cadaver in puteum projecit. Clamavit illicò ſanguis innocens de profundo: adeóque cœpit ebullire miſta ſanguini aqua; ut ſiccari nullis reorum viribus cùm potuerit manans è puteo rivus; urbis percurrens vias, Chriſtianorum multitudinem convocarit ad puteum: qui ubi eò conveniſſent, ſupernatás exanguinis corpuſculum invenere. Repertis itaque ſacrilegis homicidis ultimum decretum oppidò ſupplicium: ſimúlque rei memoria indelebilis lapidi inſculpta vici ſignavit frontē his verbis: *Signum Perfidorum Judæorum.* Quæ tamen Inſcriptio, labentibus annis, ne ædificiorum facili ſubeſſet ruinæ, indè translata inter exteriora Majoris Templi cælamina conſpicitur cum ipſo Templo perpetuò duratura.

Morales quoque non deſunt. Ratisbonæ Curia hanc exhibet: *Quiſquis Senator Curiam officii cauſa ingrederis, ante oſtium privatos omnes affectus abjicito: iram, vim; odium, amicitiam, adulationem, Reipublicæ perſonam, & curam ſubjicito. Nam; ut aliis æquus, aut iniquus fueris; ita quoque Dei judicium expectabis, & ſuſtinebis.* Lipſiæ verò Domus cujuſdam privatæ frons hoc habet monitum omnium cordibus incidendum: *Commorandi nobis aliquandiù hìc tempus conceſſit Natura: locum permanendi non dedit. Quid ergo in caducis ſuperbis, terra, & cinis? Sic tranſit gloria mundi.*

RUDIMENTUM II.

De Elogio.

FLoret præſertim noſtris hiſce temporibus fecunda hęc Lapidariæ ſpecies Orationis: qua ad laudem, aut vituperationem cujuſpiam facinoris, vel totius etiam vitæ, ſtylum acuimus; calamum attemperamus. Elogii nanque appellatio, quamvis universè quamlibet ſententiæ teſtificationem importet; ut negatę hereditatis teſtimonium; aut prolatæ damnationis præſcriptum; hìc tamen ſolius lau-

dis, aut probri teſtis eſt, arguta, conciſáque exornans Oratione. Indè patet hanc inter, aliáſque lapidarias ſpecies, differentia: quòd Inſcriptio rationem narret erectę molis, alteriúſve operis dedicati; Epitaphium cineribus parentet; Elogium verò anteacta exornationibus proſequatur: ut comparari valeat prior Hiſtoricę Narrationi; Funebri Orationi poſterius; poſtremum verò hoc Panegyri, vel oppoſitæ Vituperationi. Quamobrem lepores omnes admittit Elogium: compendioſiores ſententias exigit: venuſtiores argutiarum expetit gemmas: figurarum vivaciores optat colores: ac poſtremò omnimodis Epidictice gaudet characteribus Eloquentiæ. Quòd autem conciſum vult ſtylum: periodicè ambiri nunquam patitur: ſed brevibus exquirit lineis ſua quæque membra metricè diſtributa. Facinora verò, quę ſibi proponit, nota aliundè credit ut plurimùm: non enim narrare debet; ſed exornare. Uſurpari tamen aliquando poteſt ad ignotius aliquod publicę detegendum famæ: ſed tamen hoc ipſum notiſſimum jam, & celebre, ſimulata fingit oſtentatione. Quod narrare quidē eſt opus: at non adeò nudè, & apertè; ut narrare putetur: ſed ea dexteritate; ut dum amplificare tantúmmodo videtur; tunc maximè enarret. Argumentum denique ſolet breviſſimum Elogio pręcedere: quod rem, circa quam luditur, aperiat; ſive nota ſit; ſive occultior: quod poſterius ſi eveniat; ad rei claritatem extenditur aliquantùm.

Theſ. Elog. Cæſarum. Exemplum commendatorii Elogii ſit ex * Emmanuele Theſauro:

C. Julius Cæſar
Lucii Cęſaris F. lux Cęſarum, & Pater,
Romanus Alexander, Terræ Mars,
Omnibus tam metuendus; quàm mitis,
Pretium fecit ſervituti.
Victo Orbe, Urbem victricem Orbis vicit.
Defuere illi hoſtes: hoſtem habuit Patriam:
Ne deeſſet unquam, quod vinceret.
Ingratam Patriam patriis armis puniit.
Eam vicit invitus; qua vixit invita.
Qui Romę propugnator non regnavit;
Regnavit expugnator.
Pro Roma triumpharat: de Roma triumphavit.

Ame-

Amavit tamen inimicam: nolenti profuit.
Sæpè à fulmine lauro ſervatus regia: non ſemper.
Quem inermem timuerunt arma; armata necavit toga.
Ceſſit civibus Cæſar cæſus.
Serò cognitum luxit Patria.
Viventem hoſtem: mortuum vocavit Patrem:
Parricidium confeſſa; cùm Patrem dixit.
Diſce Lector:
Meliùs ſæpè, quæ non habes, vides; quàm, quæ habes.

Exemplum verò contumelioſi Elogii in Domitianum ſit* ex eodem: * *Theſ. Elog. Cæſar.*

Flavius Domitianus
Sub malo Punico natus ad malum Publicum
Ex Flavio Veſpaſiano.
Quam malos ramos bonæ radices agunt!
Felix genitor erat; ſi tam fœcundus non fuiſſet.
Hic antea fortis; in regno marcuit.
Purpuram Neſsi ſanguine tinctam induit.
Capitolium intravit ſemel
Non ductus: ſed pulſus.
In Theatro bellator: ſpectator in Campo:
Fratrem ſuſtulit; ut ſe extolleret.
Gemuit rursùm Roma
Inducias experta; non pacem.
Sub Principe legibus vincto reſpiravit ſoluta:
Sub ſoluto vincta fuit ſerva.
A fratre uno vitam: mortem ab alio accepit
Imperium:
A Patre medicinam, & vulnus.
Scena interdixit Hiſtriones, ſolus Hiſtrio daturus Scenam.
Hoſtibus muſca: muſcis hoſtis fuit.
Gladium prævidit, culpas videns ſuas:
Non tamen vitavit.
Diſce Lector:
Præviſa mors malos terret; non corrigit.

RUDIMENTUM III.

De Epitaphio.

SEpulchralibus inciſa lapidibus Oratio(qualem ipſum nomen Epitaphii notat) prima ferè creati mundi tēpora ſalutavit. Si enim ſacra conſulas teſtimonia; primus Jacob Patriarcha defunctæ Racheli molem ſtruxit ſepulchralem; quam Pyramidem perelegantem, circùm baſim diſpoſitos habentem duodecim prægrandes lapides, juxtà
Geneſ. 35. filiorum Iſrael numerum, fuiſſe; cenſet Burchardus: * *Erexitque titulum ſuper ſepulchrum ejus*. Profanos ſi adeas ſcriptores: indicat Homerus haud obſcurè; Trojanorum temporibus morem Ethnicis fuiſſe titulos addendi ſepul-
Ovid. Triſt. lib. 3. eleg. 3. chris: & Ovidius * uxori prçcipit; ut ſibi mortuo tumulum ponat; eique ſuggerit carmina, quæ incidat. Judæi quoque nunc temporis dicuntur ſuorum monumentis in-
1. Reg. c. 25. ſculpere ea verba; quæ dixit Abigail Davidi: * *Erit anima tua cuſtodita quaſi in faſciculo viventium apud Dñm Deū tuum.* Poſterioribus tamen ſæculis adeò mortuorum memorias inſcriptionibus celebrandi uſus invaluit: ut vix ſepultura occurrat; quæ ſuam non habeat Epigraphen.

Modus autem, quo efferuntur, varius eſſe conſuevit. Aliquando enim celebre dictum continent; aut morale aliquod documentum: cujúſmodi eſt; quod in antiquiſſimo ſepul-
Marc. 5. v. 39. chro Januæ vidiſſe memini græcè illud * Chriſti Domini reddens: *Non mortua eſt: ſed dormit*. Nonnunquam ſolum exhibent defuncti nomen: quod habet Attilæ ſarcophagum: *Hìc jacet Attila Numinum Flagellum. Tu noſti reliqua*. Addunt quandoque, & nomen ponentis molē: ut:

Gigennæ Verecundæ
Cajus Caſſius
Matri ſuæ benemerenti.
Heu Mors invida!

Exhibent præterea non ſemel cauſam; quæ ad pium opus impulerit: ut ſi prędicto Gigennę Epitaphio ante exclamationem adderes: *Ut ſuum amorem oſtenderet*. Sequuntur ea; quæ laudem aliquam tribuunt defuncto; quale eſt illud;

Cor-

Corneliæ Corinthiadi
Quintus Cornelius Victor
Uxori
Sanctiſſimæ, Caſtiſſimæ, Fideliſſimæ;
Et ſibi; Poſteriſque ſuis.

Alia tamen ornatiora totam demortui vitam Elogio commendant. En tibi ex Inſcriptionibus * Patris Silos exemplũ in funere Pauli Toloſæ Cler. Reg. Archiepiſcopi Theatini:

*Sil. Analect. Cent. 4. Inſcript. 85.

Pauli Toloſæ Neapolitani Cler. Reg.
Quicquid eſt poſthumi; hic habes:
Quicquid Tumulo ſuperius; hic lege.
Inter præcipuas animi dotes
Natus, expolitus ad Sacræ Eloquentiæ numeros.
Dictio illi: quam & actio intenderet;
Et comeret oris dignitas.
Plauſorem habuit diſertiſſimum diſertiſſimus, Panicarolam;
Appellatus ab eo unà cum Marcello fratre
Bonaerges:
Nempè ſupra hominem facundus
Miſcere cœleſti tonitru ſubſellia uterque videbatur.
Egregium Eccleſiaſtem Bononienſi Infula cohoneſtavit
Clemens Maximus Pontifex Octavus:
Qui auream Eloquentiam adæquare Purpura cogitavit;
Muniitque viam honeſtiſſima ad Sabaudiæ Ducem Legatione.
Inter hec laudum decora
Nihil illo ſanctitate morum luculentius.
Dilapſus è Cœlo Beatus Andreas Avellinus,
Solitus illi manus oſtendere
Ad amicitiæ, ſive pignus, ſive illecebram.
Demum Archiepiſcopus Theatinus,
Pietate ævo maturior,
Sua in ſede obiit, luctu omnium peracerbo.
Pio Cineri
Clerici Regulares
Abſterſa (quæ ornandæ virtuti impar eſt) lachryma
Æterno Elogio parentant.

Nec improborum cineres ſine morſibus quieſcere ſinuntur. Ravennæ ſpurciſſima fœmina inſolitum mortis genus, vitæ ta-

tamen conſentaneum, obiit; non ſine perpetua ſui nominis infamia. Hujus monumentum hæc reddit:

B. I. D.

Cineres, & oſſa Laodiceæ Philecaptæ hic ſita ſunt; perpetuæ memoriæ facti, & infamiæ cauſa. Quæ inſatiabili venere exhauſta, ſubter viro vivo mortua eſt. Vixit ann. VIII. d. IV.

Infeliciſſimi Parentes, tacito nomine, extra ſortem ad rudera poſuere. O voraginem exurientem!

Alia verò Satyrica ſunt: quale illud Principis inciſum marmori; cujus valor Sardanapalo non ceſſerat: qui proinde perſonato nomine ſic impetitur:

Omaſius Fagoniæ Dux,
Dominus, Victor, Princeps, Deus,
Hic jaceo.
Nemo me nominet famelicus;
Prætereat jejunus;
Salutet ſobrius.
Hæres mihi eſto; qui poteſt:
Subditus; qui vult:
Hoſtis; qui audet.
Vivite ventres; & Valete.

Omaſius autem larvato nomine dicitur ab *Omaſo*, pinguiori ſcilicet inteſtino in menſarum deliciis haberi conſueto. Fagonia verò commeſſationes ſignificat à græco verbo *Phagô*; quod nobis ſonat *Comedo*. Accedunt Satyricis Jocoſa: quæ non tam in peculiarem hominem vibrātur; quàm univerſalem notant ſine dolore deformitatem. Id habet Romæ conjugum tumulus: *Miraculum! Hic vir, & uxor non litigant!* Ænigmatibus quoque obvolvuntur nonnulla: cujus generis eſt cujuſdam Epitaphium Baſilienſis mulieris eunucho nuptæ:

Palladiæ Veneris; vel Veneriæ Palladis
Thalamum ſepulchro ſimilem cernis:
Ubi Virgo ſimul, & Matrona, Nupta, & Innupta;
Nec ſterilis, nec fœcunda; nec Uxor, nec Pellex;
Conjux ſine Conjuge; Cælebs ſine Cælibatu;
Annos quindecim ſine querela
Cum Viro jacuit ſemiviro:
Mirante Natura; tandiu potuiſſe Fœminam
Sic jacere, & tacere.

Elo-

Elocutionis autem leges Epitaphiis omnes conceduntur; quas adhuc valuit congerere Rhetorica. Micant & inter cineres argutiarum ſcintillæ; & Orationum lumina, venuſtiſſimæ figuræ, inter larvas enitent ſepulchrales. Infinitum propè foret ad ſingulas accedere: quarum tamen plures explicant, & exemplis fœcundant, * Theſaurus, & * Veranus. Duo nobis exempla ſufficient. Alterum pro figuris dat Proſopopœja in marmore cujuſdam militis: *Theſ. Cann. c.5.* *Veran. Panth. l.9. ab exp.13.*

Acuta fui olim framea:
Sed nunc ad Mortis ſaxum hebetata ſum.
Fulgebam olim ſplendore Martio:
Nunc rubigine Lethi corrodor:
Et cum Domini N. brachio hoc cecidi ſuper ſepulchrum.

Alterum verò Callimacũ argutiis exornat, armata dextera, vel poſt mortem, in acie ſtantem: *Putas, Callimachum vivere? Falleris. Mortuus eſt: & Græciam ſuſtinet.*

De hominum adhuc monumentis. Quid tamen: ſi par honor etiam ad bruta tranſiit? Adrianus Cæſar, apud Dionem, Boryſtheni Equo, quo in venando plurimùm utebatur, mortuo ſepulchrum erexit, & columnam; inſcripſitque Epigramma. Verus quoque Imperator, Julio Capitolino teſte, Equum ſuum Volucrem poſtquam uvis paſſis, & nucleis pro hordeo paverat: mortuum tandem aureo ornavit ſimulachro. Romam inter, & Tibur * Mulæ inſpicitur Tumulus: cui hoc lepidum Epitaphium: *Porcat. funer. antiqu.*

Dis Pedibus Saxum.

Chiuchiæ dorſiferæ, & cluniferæ; ac peſſuetæ, & manſuetæ: cujus ut inſultura deſulturæ commodetur; Pub. Craſſus Mulæ ſuæ Craſſæ beneferenti ſuppedaneum hoc cum riſu poſuit. Vexit Ann. III. Menſ. XV. Dies noct. 2.

Ridiculum tamẽ longè magis credo: quod ſeriò (ut apparet) Sapphyri Cani poſitum habent Lovanii Lipſianæ ædes:

Hecatæ Sacr.
Sapphyris Domo Batavus;
Delicium Lypſii; Decus canum;
Ingenio, Lepore, Forma,
H. S. E.
Triſti fato ereptus;
Et ferventibus aquis merſus;

Cum

Cùm vixiſſet luſtra plùs tria.
O Heridolor!
Tuum, Lector, adde; quiſquis Lipſium amas: imò
Quiſquis elegantiam, aut leporem amas:
Quorum iſte theſaurus erat.
Abi. Flores ſparge; ſi non lacrumas.
Pangebat: & plangebat J. Lipſius, olim, heu! Dominus
V. Kal. Sept. CIƆ.IƆ.CI.

CAPUT III.

DE RELIQUIS ORATIONIBUS NON-ABSOLUTIS.

NE miretur quiſpiam; nos quaſi trudentes credens in hoc opus; quæ peritiores Grãmatici inter humaniorum literarum explicationem tradere ſolent. Hoc enim proprium eſſe Rhetoris munus, puto; de omni diſſerere modo ornatè perſuadendi. Quòd verò permittatur ut plurimùm Grammaticis alienus labor: ejus rei cauſam eandẽ *Quintil.inſt, l.2.c.1.* cenſeo; quam * Fabius innuit rationem reddens; cur etiam ſui temporis Grammatici Progymnaſmata (primas ſcilicet balbutientium Rhetorum exercitationes) pertractarent: ubi ſparſim hæc habet: *Ejus rei duplex eſt cauſa: quòd & Rhetores utique noſtri ſuas partes omiſerunt: & Grammatici alienas occupaverunt. Nam & illi declamare modò, & ſcientiam, ac facultatem tradere, officii ſui ducunt: idque inter deliberativas, judicialeſque materias: nam cætera, ut profeſſione ſua minora, deſpiciunt. Et hi non ſatis credunt. excepiſſe; quæ derelicta erant: (quo nomine gratia quoque his habenda eſt) ſed ad Proſopopæjas uſque, & Suaſorias, in quibus onus dicendi maximum eſt, irrumpunt. Hinc ergo accidit: ut quæ alterius artis prima erant opera; facta ſint alterius noviſſima. Nec inficiabor; aliquem ex his, qui grammaticen profitentur, eouſque ſcientię progredi poſſe; ut ad hęc quoque tradenda ſufficiat: ſed cùm id aget; Rhetoris officio fungetur; non ſuo.*

Cur

Cur igitur, inquies, non, Fabium ſecuti, Progymnaſmata nos huic præmiſimus operi: ſed potiùs eis noſtra aſperſimus Rudimenta? Quia pueros ille, &, quotquot ante ipſum fuere, viva inſtruebant voce: qui majora non adhuc valentes, de levioribus debebant erudiri: queadmodũ infantibus lac; adultis ſolidiores cibos offerimus. Nobis verò, qui maturioribus candidatorum ingeniis ſcribimus, potiùs viſum eſt Tullii, Ariſtotelis, ac reliquorum non mediocris notæ Rhetorum inſiſtere veſtigiis; & ſuo quæque loco, ac ordine, majori, quæ rudi noſtro licuerit modulo, tradere perfectione.

RUDIMENTUM I.
De Epiſtolis.

INter maxima Divinæ Providentiæ dona Epiſtolarum inventionem reputat Baſilius: * quarũ ope longiſſima locorum diſtantia diſſitis ſecretiora mentis arcana licet aperire. Has communi voce definiunt *Scriptum animi nuncium ad abſentes; aut quaſi abſentes*: addúntque abſentibus quaſi abſentes; quòd ad præſentes quoque non rarò uſurpantur. Auguſtus enim Cæſar Liviam ſuam è libello de gravioribus alloquebatur: & Juliam in Amphitheatro ſcriptis admonuit. Julius quoque Cæſar cùm ab occupationibus, urbíſque magnitudine prohiberetur; ne ſæpiùs amicos viſeret; literas adhibebat: quas tamen * Seneca mavult dicere Codicillos. Sed tamen ad abſentes ſemper, (quæcunque diſtantia ſit) quos voce non alloqui fas eſt, Epiſtola dirigitur; ut ejus exigit nomen, & inſtitutio: nec enim una ver faciet hirundo; aut peculiaris extra remum uſus munia pervertet. Epiſtolæ antem à græcanico idiomate ducunt etymon Iſidorus, & Plautus; quaſi *Miſſam* interpretati. *Miſſivam* rectiùs legit Caſſiodorus. Quapropter, attento quoque Rhetoricæ fine cunctis Orationum communi ſpeciebus, definienda potiùs videtur nobis Epiſtola *Scriptum animi nuncium ad abſentem breviter ſuadendum*. Brevis enim eſſe petit Epiſtola: ne ſecùs hiſtoria ſit; vel codex.

D.Baſil. Epiſt.55.

Sen.ad Lucill.Ep.56.

Neque verò hìc omittam; quæ ad tutiorem hujus muneris

ris uſum, ſecurioréнque ſecreti conſervationem perſpicacio-rum háctenus induſtria reperit ingeniorum. Teſſeram habebat abecedariam Cajus Cæſar: quæ,immutato ordine, primam ſedem quarto dabat elemento; & ſic deinceps; hoc modo:

a b c d e f g h i l m n o p q r s t u x y z:
d e f g h i l m n o p q r s t u x y z a b c.

Quare volens ſcribere illud: *Jacta eſt alea: tranſivimus Rubiconem*: ſumens pro *i*, *n*,quod ei ſuberat in teſſera; pro *a*, *d*. & ſic de reliquis; ita ſcribebat: *Ndfyd hxy dohd; yudqxnpzx Vzenfrqhp*: quod nemo certè legere poterat; niſi qui ſimilem haberet teſſeram. Simili induſtria Auguſtus utebatur: ſed tamen à ſecunda litera ſuum inceperat alphabetum. Lacedæmonii * Scytalas habebant:duos nempè æquales, ambóſque teretes ſurculos: quorum alterum Senatus; Imperator alterum aſſervabat. Quicunque autem ſcribere occultum quidpiam alteri voluiſſet: ſuum tegebat ſurculum tenui loro ſæpiùs circunducto; ut ejus omninò coirent partes: exaratáque à ſummo ad imum per transverſas juncturas Epiſtola: exemptum alteri lorum, ſparſóſque tantùm apices, & truncas literas ſecreti inſciis oſtendens, mittebat: quod tamen ab accipiente alteri applicitum ſurculo integram, & incorruptam Epiſtolam exhibebat. Cratis non abſimilem induſtriam habet inventio. Eſt enim papyraceum ſchema inæquali inciſione lineas interrumpens: ut alteri ſuperpoſitum paginæ, partes ejus tegat; partes revelet calamo per abſciſſa intervalla integram ſcribenti Epiſtolã: deindéque ablatum,vacua relinquat ſpatia; quæ ſuppleantur verbis diverſam reddentibus ſententiam. Acceperit igitur (ut exemplum aliquod afferam) ab amicæ urbis defenſore Imperator Epiſtolam hæc ſimulantem:*Nobis hoſtis contemptui eſt ad ludibrium uſque: muros ipſe verberat tenuiter: nos econtrà illos fortiſſimè tuemur. Etiamſi tu cum novis copiis hùc non veneris; omnes victores, aut invicti futuri ſumus.* Huic ſi, quam æqualem apud ſe habet, Cratem applicabit: iis tectis, quæ ſupplemento fuerant aſcriptæ; cæteras oſtendet dictiones hæc reddentes:

Gell.l.17.c. 9.

he-

hoſtis eſt ad muros te-
nuiter nos illos tuemur. ſitu
non veneris; omnes victi .... ſumus.

Sunt & cautę ſcribendi materiæ lac herbarum, aut ficulneæ; acetum; adeps; & cæteri liquores ejúſmodi: qui nullum colorem reddunt; donec aut ignem applices; aut carbonis, exuſtæve paleæ, vel chartæ pollinem ſuperponas. Vitrum quoque, aut cryſtallus id præſtat; Arabico ſi lineatur gummi intra aquam reſoluto. Lapis etiam hirci inſcriptus adipe; aliquandiu immerſus aceto, occultos antea characteres, veluti cælatos, oſtendit. Alumen pariter in aqua reſolutum notas papyro imprimit; quæ non apparent; niſi pagina purum intra laticem immaduerit.

Accedunt his & quædam in transmittendis clàm Epiſtolis adhibitæ ſolertiæ. Pani incoctos codicillos * Laurentius Medices Florentinæ Reipublicæ Princeps per Nobilem quendam mendici veſtitum habitu miſit ad Ferdinandum Regem Neapolis: quibus de filii ſalute certum faceret. Lepori exenterato * Harpagus incluſit Epiſtolam: & per domeſticum ſuum ſub venatoris habitu miſit ad Cyrum Regem: qua eum ad oppugnandos Medos excitavit. Urinatores adhibuit * Hircius Conſul: qui Scultellæ flumini ſubnatantes, plumbeam Epiſtolam brachiis alligatam ad Decium Brutum Mutinæ ab Antonio obſeſſum ferrent; eadéuque via reſponſum redderent. Utribus literas incluſit * Lucullus: impoſuitque gregarios milites, qui marinorum ſpecie monſtrorum, ceu portento quodam, ſtationarios terrentes, nuntium ad obſeſſos à Mithridate Cyzicenos perferrent. Joſeph Galilæus * à Veſpaſiano in urbe Jotapata obſeſſus, caninis indutos pellibus, & canum inſtar reptantes noctu miſit per vigilum cuſtodias tabellarios: Globulos argenteos Epiſtolam claudentes deglutiendos curſori datos, dum Rupella, & Trajectum obſiderentur; certus fert rumor: qui ut ad ſocios venit; ſumpto pharmaco, quò eos citiùs egereret; codicillum exemit, tradidítque. Hiſtyæus Mileſius * in Perſia apud Darium agens, vernæ ſui diu ab oculis ægri, medendi ſpecie, abraſo capiti ſtigmata inſcripſit; cúnque, poſtquam excreviſſet cæſaries ad Ariſtagoram in Aſiam miſit: qui rei admonitus ma-

Brut. lib. 8. hiſt. Florent.

Herodot. l. 1 & Polyen. l. 7.

Dio Caſſ. l. 46.

Frontin. l. 3. c. 13.

Joſ. l. 3. de Bell. Jud. c. 8.

Gell. l. 17. c. 9.

cipii capillos iterum reſecans, hæc legit: *Hiſtyæus Ariſtagorę. Joniam ad defectionem ſollicita*. Telis quoque inciſę, vel alligatę literę jactę leguntur. Inſculptam enim ſagyttam * ad ſocios obſeſſos vibrari juſſit Cleomenes Rex Lacedæmonum hæc reddentem: *Venio; ut civitatem in libertatem aſſeram*. Illigatam verò * jaculo ſchedulam, immiſit ad obſeſſum à Gallis Ciceronem Cæſar in hanc ſententiam: *Cæſar Ciceroni fiduciam optat. Expecta auxilium*. Canibus alii deglutiendas tradere cum eſculento quopiam literas conſuevere: ut ex interfectorum viſceribus nuntium exigeretur. Et quidem aptiſſimi ſunt ad id muneris canes: cùm narret * Juſtus Lipſius; canem Lovanii fuiſſe, qui tabulas indè Bruxellas curſim ferebat, reſponſáque referebat eodem die. Aves quoque tabellarias novimus. Columbas ad Decium Brutum Mutinenſis obſidionis tempore miſit Hircius Conſul: quamobrem (ut Plinius loquitur) *nihil vallum, & vigil obſidio, atque retia amne pretenſa profuere Antonio; per cælum eunte nuntio*. Obſidentibus quoque Chriſtianis Ptolemaidem; (de Tyro id narrat Lipſius) Saladinus Columbulam ad ſups miſit obſeſſos: quæ alligata pennis epigraphe, ut expectarent ſuppetias, hortaretur. Verùm intercepta à noſtris eſt avis: commutatóque chirographo, dimiſſa, infauſta omnia nunciavit; quæ deſperationem auxiliorum inducentia, deditionem præſidiis ſuaſere.

Porta l. 2. 21. *Dio l. 39.* *Lipſ. de Solert. can.* *Plin. l. 10. c. 37.*

PARTES olim has enumerabat Epiſtola. Primò quidem Salutationem: bina ſcilicet nomina; nempè ejus, qui mittebat; & ad quem mittebat: & ſalutis omen. Nomen autem ejus, qui mittebat, conſuevit antiquitùs alteri præponi: ut accipiens illicò, reſerata tabula, ſciret; à quo eſſet miſſa. Undè cùm Auſonius Paulino ſcribens, carminis ratione, nomen ſuum poſtpoſuiſſet aliquando: veniam * his petiit:

Auſon. Ep. 20.

Paulino Auſonius. Metrum ſic ſuaſit; ut eſſes
Tu prior; & nomen pręgrederere meum.

Secùs tamen ſubindè: * ſed ſuperiorum nomini primus dari conſuetus locus: inferiori autem, aut æquali, poſterius. Salus verò compẽdiariis quibuſdam notis continetur: ut: *S. Salutem: S. P. Salutem plurimam: S. P. D. Salutem plurimam*

Lorin. in Act. Apoſt. c. 15. v. 23.

di-

dicit P. Felicitatem. Cleon autem * primus fuit; qui hac uteretur ſalutatione: *Gaudere*: quem & Plato ſecutus paſſim eſt. Pythagoras verò, & Archytas in hanc formulam eam commutarunt: *Salvere*. Porrò hæc nomina procul ab adulatoriis Epithetis promebantur: niſi Imperii, aut Magiſtratus inſigne ſimplici inſinuandum eſſet verbo: vel unicè charos *Suos* appellare permitteretur. Secundò locum habebat totum Epiſtolæ corpus: cujus ut plurimùm hoc initium: *S. V. B. E. E. V.* nempè: *Si vales benè eſt: Ego valeo.* Tertiò ſequebatur Valedictio; ſeu Clauſula. Hanc Græci his exprimebant: *Pax*. Latinis eſt: *Vale*: cui additum aliquando: *Mi amice*. Quartò locus addi conſuevit; undè Epiſtola miſſa: & annus pariter, ac hora; qua ſcripta. Quin & Auguſtus Cæſar * horarum etiam momenta ſignabat, hujuſmodi notas adhibens: *A. D.* ſcilicet *Ante diem*; ut * Boſius interpretatur. Undè cœptum id ſignum pro Valedictione à Barbaris uſurpari.

Lucian. de Salut.

Sveton. Aug. c. I.

Sim. Boſ. Comm. in Ep. I. *ad Attic.*

Vulgares tamen Epiſtolæ nunc aliter diſponuntur. Primò namque Salutationem ejus, ad quem ſcribimus, juxtà conſuetos titulos cuique debitos, præmittimus: ut Summo Pōtifici: *Beatiſſime Pater*: & ſic de reliquis, pro perſonarum dignitate, ac varia locorum conſuetudine. Secundò Exordio viam aperimus iis; quæ exponere debet Epiſtola: quod quidem, præter leges omnibus datas Exordiis, ſubminiſtrare poteſt brevis veluti ſententia ex rationibus ſaltèm ducta, quæ inferiùs erunt ſuaſuræ: ut ſi, inducere amicum volens ad indefeſſam ſtudii proſecutionem, ſic inciperem: *Nil juvat, ſemel rubiginem è ferro abſtuliſſe: ſed expolire ſemper oportet*. Tertiò Expoſitio promiſcuè ferè cum Propoſitione eorum, quæ ſunt dicenda, neceſſarias adducit cōfirmationes: ſic enim, rationes à Propoſitione non apertè diſtinguens, inſtar reliquarum Orationum, artem tegit: ut ſimpliciſſima credatur locutio; cùm tamen ſuaſio ſit artificioſa. Quartò Clauſula vices habet Epilogi: continétque affectuoſam Valedictionem; ſi ad amicos dirigitur Epiſtola: ſi verò ad alios; habet, pro dignitate, extrema obſequentiæ ſigna, aut deſiderii de eorum felicitate teſtimonium. Quintò, Datum ubi fuerit, & quando, Chirographum, notamus: quod ſimpliciſſimè communiter fieri modò ſolet.

let: ut: *Meſſanæ* 1. *Martii* 1695. Sextò Subſcriptio mittentis nomini correſpōdētes Clauſulę dat formulas, affectus, aut addicti, obſequentiſque animi teſtes; ſimúlque titulos repetit, Salutationi conſentaneos: ut ſi ad Purpuratum Eccleſię Principem ſcribens ſubderes:

Eminentiæ Veſtræ

Addictiſſimus, atque Humillimus Servus

N. N.

Septimò demum Superſcriptione eſt opus: quæ & omnibus onuſtum titulis, ac dignitatum inſignibus nomen continere ſolet ejus, cui tradi tabula debet; & locum, ad quem eſt dirigenda: ut: *Illuſtriſſimo, atque Excellentiſſimo Domino Domino meo Colendiſſimo D. N. N. Principi N. Marchioni N. &c.* *Neapolim.*

Id tamen contra ſimulatā noſtri temporis adulationem prętereundum non cenſeo: ſupremæ dignitatis perſonis cùm ſcribitur; adeò ſimplicem eſſe ſuperſcriptionem debere; ut ſolis compendiariis contenta ſit hujúſmodi literis: *S. S.* ſcilicet *Suæ Sanctitati*: *aut S. M.* nempè *Suæ Majeſtati*. Neque enim locus notari neceſſe eſt; in quo ii degunt: cùm ſit omnibus ultrò compertus.

STYLUS varius quidem eſſe debet, pro dignitate perſonarum, & circunſtantiis; magis tamen, quàm in omni reliquo Orationum genere, Cādorem amat; & Brevitatem. Abhorret proinde à nimio Metaphorarum uſu; à numeri turgiditate; à figurarum, præſertim cognitionem reſpicientium, affectata varietate. Amplectitur verò libens argutias; ſales; adagia; ſententias; & ad eruditionem omnigenam alluſiones. Quid enim magis ſententioſum Senecæ Epiſtolis? Quid argutius D. Hieronymi Epiſtola: * quæ falsò accuſatam adulterii mulierem narrat cultro jugulum imperterritè offerentem; quo tamen, innocentiæ portento, ſepties icta vulnerari non valuit? En, quæ prolixiora ibi aliquantò, hic ſtrictiùs collecta nonnulla: *At verò mulier, ſexu fortior ſuo; cùm eculeus corpus extenderet, & ſordidas fætore carceris manus poſt tergum vincula cohiberent; oculis, quos tantùm tortor alligare non poterat, ſuſpexit ad cœlum; & volutis per ora lachrymis: Tu, inquit, teſtis es, Domine Jeſu; cui occultum nihil eſt; qui ſcrutator renis, & cordis es: non ideò me negare velle; ne peream: ſed ideò mentiri nolle, ne*

S. Hieron. ad Innoc. Ep. 49.

ne peccem. Præſto jugulum: micantem intrepida excipio mucronem: innocentiam tamen mecum feram. Non moritur, quiſquis victurus occiditur. Super trementem cervicem micans elevatus eſt gladius: & exertam carnifex dexteram totis viribus concitavit. Ad primum corporis tactum ſtetit mucro lethalis. Imbellem manum percuſſor expavit: & victam dexteram, gladio marceſcente, miratus; in ſecundos impetus torquet. Languidus rursùs in fœminam mucro delabitur: & quaſi ferrum eam timeret attingere; circa cervicem torpet innoxiam. Jam ſpiculator exterritus, & non credens ferro, gladium aptabat in jugulū: ut qui ſecare non poterat, ſaltè m, premente manu, corpori conderetur. O omnibus res inaudita ſæculis! Ad capulum gladius reflectitur: & veluti Dominum ſuum victus aſpiciens, confeſſus eſt; ſe ferire non poſſe. &c.

SPECIES verò per tria dicendi genera à nobis diſtribuuntur: Exornativum ſcilicet; Deliberativum; & Judiciale. Exornativum continet Encomiaſticam, Deriſoriam, Hiſtoricam, Promiſſoriam, Offertoriam, Acceptatoriam, Renuentem, Gratulatoriam, Euchariſticam, & Auguriorum. Deliberativum complectitur Hortatoriam, Dehortatoriam, Conſilium dantem, Admonitoriam, Officioſam, Petitoriam, Commendatoriam, Juſſoriam, Negotiorum, Invitatoriam, Provocatoriam, Conſolatoriam, Dicatoriam. Judiciale habet Criminatoriam, Conqueſtivam, Objurgatoriam, Invectivam, Exprobratoriam, Comminatoriam, Satyricam, Defenſivam, Excuſatoriam, & Deprecatoriam. Accedunt autem his omnibus Doctrinalis; & Miſta ex pluribus ſupradictis.

Encomiaſtica modò eum laudat, ad quem ſcribitur; vel aliquam ejus actionem: modò perſonam aliam. Si primum: modeſtiæ ab adulationis ſorde penitùs alienæ meminerimus. Si verò ſecundum: liberiori calamo excurrere in alienas laudes permittimur. Huic opponitur Vituperatio: ſed hæc; ſive ei, ad quem dirigitur, objiciat probra; ſive detegat alterius; ſemper ad Accuſationis ſpecies reducitur; quæ ſunt generis Judicialis.

Deriſoria geſtum vituperamus aliquod, aut rem: non tamen ſeriò. Initium terminúmque tenere ſolent facetiæ, argutiquе lepores. Medium verò ſalibus rei brevem narratio-

tionem aſpergit, aut deſcriptionem.

Hiſtorica tres ſub ſe continet veluti ſpecies ſubalternas: Deſcriptivam ſcilicet; Narrativam; & Nunciatoriam. Deſcriptiva eſt aliis ornatior: & rem, qualis ſit, exponit, juxtà Deſcriptionum leges. Narrativa, quod factum eſt, oſtendit: idque ornato ſtylo; ſed arguto. Nunciatoria quotidiana refert accidentia: idque familiari calamo; &, quàm omnium prædictarum, planiſſimo. Solet autem cujuslibet ex hiſce tribus Exordium teſtari: tunc maximè, quàm unquam, parendum muneri; vel amici deſiderio morem gerendum: cùm novum occurrit aliquid, & amœnum; quod pretermitti minimè patiatur.

Promiſſoria petentibus, aut ſuadentibus reſpondemus, præmittentes; omnia apud nos poſſe amici juſſa, vel conſilia. Pollicemur poſt hæc executionem omnium; quæ noſtris voluit animis ingerere. Nos ad potiora, imò ad cuncta, quæ ei erunt genialia, paratos offerimus. Precamúrque pro coronide; ne inibi ſiſtat; ſed ſuis juſſibus, aut monitis, quanti ejus faciamus amicitiam, & auctoritatem, ſæpiùs experiatur.

Offertoria eſt opus; cùm ope amicus indiget noſtra; quãvis non petierit: ſive ſcilicet in ejus infortuniis; ſive ad majora aſcendere cùm pertentat. In primo caſu dolebimus de lachrymabili ejus eventu. In ſecundo gaudium oſtendemus; quod felix ingenerat occaſio præſtandi noſtræ munera ſervitutis. Oblationes utrunque initium ſequentur ampliſſimæ: ac preces; ut fiduciam in nobis omnem reponat; útque nos dignetur ſepiùs exercere.

Acceptatoria reſpondemus offerenti: & oſtendimus; nos tanti facere amici opem; imò & omnia, quæ ſunt ejus: ut, vel ad noſtram utilitatem, vel ad genium acceptemus; quæ offert. Id autem fit augendo priùs; quàm arctè nos devinxerit ejus generoſi animi promptitudo: gratiarúmque non pretermittendo actiones: poſt quas; reciprocis oblationibus additis; oſtensóque ferventi deſiderio debitas rependendi vices; noſtram exhibebimus ſervitutem.

Renuentes adhibemus Epiſtolas; quoties oblata juſtam recuſamus ob cauſam; vel propoſitæ ſuaſioni denegamus aſſenſum. Harum erit optima textura: ſi aliqua initium

ob-

obtinebit ſententia continens, velut univerſalior propoſitio, cauſam; quæ nos movet ad renuendum: tùm ipſa peculiaris ſequetur ratio renutui permiſta: ac demum, ſive, amici adhuc animi confirmatio, ſive indignati expreſſio, rem claudet.

Gratulatoria noſtrum de amici bono gaudium exponit; bonúnque auget ipſum. Quandoque etiam amico gratulatur: non raró tamen ſolet gratulari acquiſitæ dignitati; quòd plus receperit honoris ab amico; quàm dederit. Deſinit in oblationes noſtri cujuſque muneris; atque imperturbatæ poſſeſſionis omina, vel majoris felicitatis.

Euchariſtica receptum exaggeramus beneficium; perennénque ſpondemus futuram nobis ejus memoriam; & acre opportunitatis deſiderium; quò poſſimus pro menſura ſatisfacere: quam ut nobis offerat ſuis juſſibus; deprecamur.

Auguriorum Epiſtolis dies feſtos ſolemniores, aut anni initium, fortunata, vel ominamur; vel piè magis, & graviùs, à Deo precamur amicis: eóſque pariter exoramus; ut inter ſinceriores animi affectus, & à communioribus adulationum formulis alienos, noſtra vota recipiat, & amplectatur.

Hortatoria captat initio benevolentiam: tùm, quæ ſuadere tētat, exponit ſufficiētibus fulcita rationibus; quę, cùm de Orationibus perfectis, attulimus: ac demum opem promittit; vel majorem nobis futurum erga amicum affectum, ſi ea fecerit, obteſtatur.

Dehortatoria cùm Hortatoriæ ſit contraria; idem tamen habet oppoſitæ applicitì materiæ genus artificii: cùm eadē cunctis ſemper ratio fuerit oppoſitorum.

Conſilium dans; captata benevolentia; (hæc enim cunctis eſt ſuaſoriis apprimè neceſſaria) ſententiam aperit noſtrā; &, quæ nos ad eam moveant, rationes: ſubditque laudem amici; cujus prudentiam optimè, quæ ſcribimus, examinaturam, certò credimus: ac tandem noſtram in cunctis in poſterum offert operam indefeſſam. Benevolentia autem (cùm petitum ſemper conſilium præſupponatur) optimè peti valet ab oſtendendo; quantum debeamus amico, qui tanti noſtrum faciat conſilium.

Admonitoria auctoritatem in admonente expoſcit; ſive

ratione amicitiæ; ſive ætatis, doctrinæ, dignitatis, alteriúſve tituli. Inſervit autem; ſive ut, quæ agenda ſunt, moneamus aliquem; ſive ut emendationem eorum, quæ ſunt facta, exigamus. Et prius quidem cùm optamus;dulcis erit Epiſtola: cùm verò poſterius; erit gravior. Utraque tamen cùm ab objurgationibus Judicialis generis diſtet: cavere maximè debet; ne veritas odium pariat. Captabit projnde benevolentiam oſtendendo; nos ab amore, vel charitatis, vel amicitiæ, ad ſcribendum moveri. Rem deinde exponet; quæ indigeat monitu, vel correctione. Quòd ſi corrigendum erit publicum aliquod facinus: liberè arguet: ſimúlque rationem dabit ejus libertatis; ne faciat offenſionem. Si verò diſſimulationi locus erit: teſtabitur; nos adhuc non deliberatè credidiſſe, quæ audivimus; ſed tamen ſcribere decreviſſe; ne, ſi fortè eſſent vera, deeſſet, qui moneret amicum. Rationes his omnibus addet, quod geſtum fuit, improbantes: viam emendationi aperiet: ſtimulabítque ad eam Pathethica aliqua ſuaſione. Noſtræ demum perpetuitatem amicitiæ; & in omnibus, quæ ſibi occurrerint, quà aſſiſtentiam, quà protectionem pollicebitur emendato.

Officioſam voco: qua inire cum aliquo volumus amicitiam, vel augere. Præmittemus autem ad id obtinendum motiva quædam univerſalia; quæ nos ad id optandum induxerint: nos offeremus, & noſtra cuncta; licèt ea meritо ipſius imparia, ac minima confitebimur: dolebimus; quòd antea non habuerimus tanti viri notitiam: ſed, habuiſſe tandem, licèt ſerò, gratulabimur: orabimúſque demum; ut in ſuorum, quà amicorum, quà ſervorum ſyllabum nos recipiat.

Petitoriam exordimur à benevolentia; revocantes ad amici memoriam vetuſtam noſtram conſuetudinem; & amici erga nos ipſos, vel alios, notiſſimam benignitatem. Vel ſi talis futura ſit petitio; ut nobis arrogantiæ, aut impudentiæ notam timeamus: immiſcebimus excuſationi neceſſitatem aliquam; quę nos urgeat ad petendum. Ad hæc deſcriptio ſtatus; in quo res eſt: ſi locus aderit. Indè petitio: eáque apertè expoſita; ſi facilis obtentu: ſi verò difficilis; paulatim, & per inſinuationem: ſemper tamen modeſtè,

deſtè, & cum fiducia. Rationes hanc fulcient; quæ erunt aptæ ad amici voluntatem inflectendam. Demum perpetuæ gratitudinis, devinctíque perenniter animi ſponſio erit Epilogo.

Commendatoria huic affinis eſt: tantúmque differt; quòd in ea pro altero ſcribens petat; non pro ſe. Artificium eapropter expoſcit idem: niſi quòd immiſcet commendatæ perſonæ encomium; ejúſque, non minùs, quàm commendantis, gratitudinem pollicetur.

Juſſorias ſolius ſuperioris eſſe proprias; non eſt, qui non agnoſcat: nec pariter eſſe debet, qui ignoret; eas ſimplicitatis eſſe cupidas, & gravitatis. Aperiemus igitur; (ſi negotii momentum requiret; nam ſecùs ſufficiet juſſionem proponere, & inculcare executionem) quanti nos ſemper fecerimus ſubditi fidelitatem: ſed eam tamen maximopere optari in ſummi ponderis negotio. Juſſa poſt hęc proponemus, ex executione ſolicitudinem exaggerantes. Promiſsíſque tandem favoribus, & pręmiis alliciemus.

Negotiorum aliquæ ſunt his affines Epiſtolæ: cujúſmodi ſunt Collybiſticę, & Tractoriæ; in quibus jubetur pecunia, aut ſubſidium dari eas exhibenti. Et hæ quidem ſimpliciſſimo ſtylo, & ab omni Exordii, Clauſulæque ornatu abſtinentes ut plurimùm fiunt: quin & peculiares ſolent habere formulas; de quibus uſus, & profeſſores conſulantur.

Invitatoria ſumit initium à boni deſcriptione; ad quod invitamus amicum: utputà loci amœnitatis; aut dignitatis, ad quam aſpiret, magnitudinis. Enumerat deinde rationes; quæ ad invitandum impellunt: quas inter, amicitiæ noſtrę leges: ut ſi optamus, tali occaſione, amico frui; vel ei prodeſſe. Addit quoque rogatum aliquod; ut nobis annuat: reliquis omnibus rejectis motivis; quę valent ab eo retardare. Tandem noſtrum omne ſtudium; opem omnem promittit: quò feliciùs eò bono amicus gaudeat; vel id conſequatur.

Provocatoria licèt indecens Chriſtiano Rhetori videatur; quia tendit ad excitandam in alium quempiam indignationem: eſt tamen laudabilis; ſi ea benè utamur. Quis enim neget; perquàm piiſſimè Chriſtianum Principem

contra fidei hoſtes provocari? Ne igitur florido Rhetoricę campo hęc deſit roſa: ſive ſumat indè mel apis: ſive ſumat interitum ſcarabeus. Hujus id munus eſt Epiſtolę: ut probata noſtra in ſcribendo ſinceritate; eam applicet induſtriam; quam ad indignationem excitandam aptã cognovimus; cùm de affectibus: polliceatúrque tandem noſtrum, ſive auxilium, ſive conſilium; ſive denique ſanguinem, & vitam ipſam: aut certam faciat fiduciam de Omnipotentis dexteræ Protectione. Opponitur huic Deprecatoria: ſed ad Judiciale pertinet genus.

Conſolatoria in amicorum infortuniis indigemus. Primò igitur innuemus; quanto noſtrum, amicorúnque dolore nuncium acceperimus infelicis eventus: caventes tamen; ne rationes ad hoc ſuadendum afferamus; quæ dolorem augeant. Secundò, media prudenti inſinuatione, ad robuſtiora perveniemus argumenta; quæ ſuadeant deponere dolorem, aut lenire: ad quod apprimè juvat teſtari; ea nos quoque in tanta afflictione moviſſe. Precabimur tertiò: ut amicorum conſulat votis: quibus unum remanet ſolatium; vita ſcilicet, ſalúſque ipſius, ad quem ſcribimus. Oblationes ſupplendi, quod abſtulit ſiniſtra ſors, (ubi locum habent) non deſint: vel certè fuſę apud Deum preces; ut id malum quamplurimis in poſterum felicitatibus compenſet.

Dicatoria pręponi ingenioſis ſolet, quæ typis dantur, lucubrationibus; puta libris, concluſionibus, & ſimilibus: quæ Deo Optimo Maximo; Sanctis ejus; aut illuſtrioribus viris dedicantur. Finis ejus eſt, Mecœnatem quærere; qui dicatum opus ſua potentia, vel doctrina, à Zoilorum ictibus tueatur: ad hoc enim fuit primitùs adinventa. Id commodè præſtat ab aliquo incipiẽs apophtegmate, vel ſententia; aut aliqua eruditione: quę deinde poſſint motivis applicari nos impellentibus ad tale opus tali dicandum Patrono. Motiva his adduntur ipſa dedicandi: quę vel ſumuntur à noſtro officio: vel à Patroni dignitate, & laudibus: vel ab opportunitate alia; ut ſi per urbem, ubi ſcribimus, iter habeat; aut de victis hoſtibus triũphet; aut aliud quodpiam ei accidat ſingulare. Immiſta his, aut etiam ſeorſim, additur aliqua rei dicatæ explicatio: quam vel modeſtiæ

laus;

laus; vel non affectata excuſatio comitetur. Tandem, ut id acceptet opus, precatur; útque indefeſsè protegat: conatúrque rationibus ſuadere acceptationis deliberationem. Hæc autem omnia elegantiori cæteris ſtylo; argutiori; ac magis concinno proſequitur: auctoritatibus rem confirmans: conciſis hiſtoriolis diſtinguens: formulis omnibus illuminans Elocutionis.

Criminatoriis duplici ex fine poſſumus uti: primo, cùm ſcribimus perſonę offenſę; ut ſciat; quid contra ſe fuerit molitum: ſecundo, cùm ad ſuperiores tabulas dirigimus, ęquitatem pro injuria nobis inflicta poſtulantes. In utroque caſu poteſt Epiſtola ex abrupto incipere; ſi gravior exiſtimatur injuria. Poteſt quoque duci Exordium in primo caſu ab exprimendo, quanti ſemper fecerimus eum, ad quem ſcribimus; & quem acceperimus dolorem videndo talem virum injuriis ita affectum: in ſecundo verò ab aperiendo; quantùm fidamus ejus, ad quem recurrimus, ęquitati. Narrari indè poterit injuria ſuis cum omnibus circunſtantiis: ſtimulis adhibitis, ſaltèm occultis; qui ad finem inducant accuſationis. Finem in primo habet caſu vigilantiſſimę noſtrę, indefeſſęque defenſionis oblatio: in ſecundo verò honoris noſtri in ſuperioris manibus repoſitio; à quo poſcemus ſimul, atque ſperabimus omnem optabilem ęquitatem.

Conqueſtiva utimur: quoties nolumus ob receptam offenſam amicũ exauctorare; ſed tamen neque omninò pati, ac tacere: aut cùm amicus leviter ſuo defuit muneri. Quòd ſi gravis offenſa fuerit; leniemus quantùm fas erit: ne gravem cognoſcere; & nihilominus diſſimulare videamur. Exordium itaque ducimus aptiſſimè ab æſtimatione; quam ſemper de optimè ab eo ſervatis amicitię legibus habuimus: quapropter; aut ōninò nõ credimus facto; aut incõſiderātię tribuimus: ſcribere tamē velle, ſubdemus; ut diſplicentiam potiùs noſtram ei ſincerè communicemus; quàm quòd averſum quantúmlibet ab eo animum retineamus. Si verò levis fuit culpa: ex parte nos credere; fateri poſſumus: pro certo tamen habere, quòd in eam, quia levem, inciderit, amicus; nullo modo caſurus, ſi fuiſſet gravis: ſed nihilominùs; cùm amicitia perfectum exigat amorem, nos, quia ve-

ros

tos amicos, ob eam plurimùm doluiſſe, aliquem in amico-eporem ſuſpicatos. Accedent his querimoniæ: rationes ſcilicet oſtendentes; quare id facere non debuiſſet amicus: lenes tamen; & aptæ ad amicitiam non ſolvendam; ſed arctiùs religandam. Orabimus denique: ut noſtram boni-conſulens expoſtulationem; in poſterum cautiùs noſtram ſervet amicitiam.

Objurgatoria ſubditos paterno reprehendimus animo; quò reſipiſcant. Aperimus in Exordio; quantùm nobis ſẽper is fuerit cordi, ad quẽ ſcribimus: atob id magis dicimus ejus errorem diſplicuiſſe. Exponimus indè crimen: moderatè amplificatum: ſemper tamen intentionem aliquátenus excuſantes. Signa demum lenitatis omnia damus: ſpem facimus: ac enixè ſuademus emendationem.

Invectiva acrior longè eſt: aliud enim intendit nihil; quàm culpare: quòd perfractę mentis eum ſupponit ad quẽ dirigitur. Incipit aliquando ex abrupto: ſæpiùs tamen ab excuſatione inſuetę excandeſcentię; aut à rei momento; aut ab aliis arguendę perſonę criminibus. Narrat indè, cõfirmátque crimen objectum: vehementioribus, & acrioribus adhibitis figuris. Pudorem demum, & confuſionem relinquit; cæteróſque generis ejus affectus atrocitati criminis convenientes.

Exprobratoriam in ingratos ejaculamur; à quibus, vel graves, vel obſtinatas injurias recepimus. Oſtendimus in ea primùm conſtans noſtrę patientię ſilentium; & eátenus plurium injuriarum diſſimulationem: vel quàm amicè monuerimus; quibus & rogatibus petierimus; ut tandem nos lędendi faceret finem. Deinde: quoniam eò proceſſit obſtinata ejus ingratitudinis audacia; ut neque admonitionibus voluerit; neque precibus cedere: aperituros tandem nos mundo fatemur, eíque ad memoriam revocaturos; ob quę talia apud eum mereamur. Beneficia poſt hęc enumeramus; cum acceptis offenſionibus conferentes. Ac demum in ipſa quoque valedictione indignatum animum proteſtamur: exempli gratiâ; *Vale tandem, ut ſcis; non ampliùs mihi; ſed tibi ipſi qui mea amicitiæ perpetuum, ingratumque dixiſti vale.*

Comminatoria crimen, vel futurum veretur, vel commiſ-

ſum

ſum ſupponit. Si primum: aperit paratum noſtrum ad ultionem animum;& eò ſeveriorem in exigendo mulctam;quò leniorem erga innocentem:necnon promiſſis allicit ad bonam frugem. Si verò ſecundum: gravitatem; (quam neceſſariò ſupponit) & aliquando etiam obſtinationem facinoris auget: talémque oſtendit; ut non eam valeamus ſine exemplari vindicta diſſimulare: ac certiorem reddit de noſtra ulciſcendi inpermutabili voluntate.

Satyricæ munus principale eſt corrigere ſalibus, perſonatíſque reprehenſionibus. Itaque ſi erit cordi modeſtè, ac tectim delicatulum reprehendere amicum; quòd malè aliquid egerit: occaſione qualibet deſumpta; fingemus, monere eum velle; ut caveat ab irrepentibus pravis hominum moribus. Tùm narrationem ſubtexemus, ac deſcriptionem ejus vitii, quod eſt reprehendēdū; nō quaſi in amico ſit:ſed quaſi in omnibus reliquis: ídque deriſionibus, Ironiis, reflexionibus impetemus pudorem inducentibus. Demum amicum laudabimus: quaſi ejus generis hominum vitia non ſequatur.

Defenſiva objectum crimen à nobis, aliíſve excutere conabimur. Præmittemus autem opportunè aliquid:quo accuſantis, aut conquerentis exordio reſpondeamus. Quare ſi à legibus noſtræ amicitiæ is inceperit; atque oſtenderit, ſe pravum in nobis animum credere noluiſſe: dicemus;gratam nobis ejus Epiſtolam fuiſſe; devinctum jugiter ſibi noſtrum animū prudētiſſimè eū crediſſe; intentionem amica interpretatione meritò excuſaſſe: ſed tamen id nos præſertim optare; ut neque, quod objicitur, factum credat. Quòd ſi ſeverior fuerit reprehendentis, calamus: queremur; quòd id poſſit ut plurimùm detrahentium linguarum gladius; Gordii ſcilicet nodo inſolubiliora amicitiæ vincula uno ictu diſſolvere. Claudemus verò aptiſſimè defenſionem promittentes; nos deinceps mundo patefacturos noſtram ſinceritatem, majori ſtudio leges amicitiæ ſervando; ut neque habeat, quod in malam partem valeat invidia detorquere.

Excuſatoria verò culpam fatetur, quia levem; & ſolùm animi promovet innocentiam: quin & non rarò amici prævenit conqueſtionem. Primò igitur teſtabimur noſtrum deſi-

deſiderium gerendi morem amico; & etiam adhibitam operam ad id obtinendum: quod brevibus confirmabimus. Secundò defectus cauſam amplificabimus: & conqueremur de averſa nobis fortuna. Tertiò denique exaggerabimus; quanto optemus ardore ſortem compenſandi prçterita: útque nobis eam ſuis juſſis offerat amicus; ęnixè precabimur. Cavendum tamen ab affectationis præſertim umbra in hiſce candidę expreſſionibus amicitiæ.

Deprecatoria (quæ & Conciliatoria dici ſolet) præſtò erit; quoties purgari à gravi crimine nõ valebimus: tunc enim opus erit ad veniæ confugere petitionem. Teſtabimur itaque crimen: ſed aliquo pacto ex circumſtantiis minuemus. Dolorem ob id noſtrum, vel rei alterius, amplificabimus. Offenſi benignitatem mediis omnibus elevabimus. Obteſtationibus demum, commiſerationibus, promiſſionibus, offenſi animum conabimur obtinere.

Doctrinalis exponit amico noſtram opinionem de rebus ſpeculativis; aut practicas, prçſertim ad mores attinentes; proponit regulas; vel aliam quamlibet continet doctrinam; ut cùm aliquid novum in noſtris regionibus obſervantes, putà novum cometam; amico referimus, de eo ſcholaſticè diſcurrentes. Prçmittenda hinc cauſa eſt; ob quam ſcribimus: ut laudando ſtudium amici; qui nos interrogaverit: excuſando noſtram audaciam; cui neceſſitatem amici juſſa inducunt: aſſerendo; nos omninò magiſtrum aliis agere nolle; ſed potiùs noſtram mentem aperire amico, ut eam examinet, & corrigat: aut etiam (ſi non modica nobis ſupra amicum auctoritas) amorem exprimendo, & vigilantiã; quæ ſẽper nos impellit ad afferendum aliquid utilitatis amico docili, & ingenuo. Exponenda ſubinde doctrina eſt claro ſtylo, & gravi; aut, ſi ſuaſionem habet difficilem, vehementi: rationibus eam, & confutationibus roborando. Normam inter alias dabunt Senecæ Epiſtolę omnibus commendatæ.

Miſta verò leges habere nequit fixas: infinitæ enim propemodum ex combinatione expoſitarum hactenus, aliarúnque omiſſarum, quòd facilè poſſint ex dictis erui, ſpecies poſſunt reſultare. Prudentia ſcribentis viam ex dictis aperiet planam. Id ſolum non otioſè putarem advertendum; cùm

cùm plura ſcribuntur, ac diverſa; diſpoſitionis ordinem optari: qui aptiſſimè poſtremum dat locum iis; quæ majus habent momentum: ne ſecùs diſtractus ab his legentis animus levioribus non attendat; quin & ea quodammodo ſtomachetur.

RUDIMENTUM II.
De Præfatione.

NOn quodcunque præloquium hic Prefationis nomine nuncupamus: ſed id; quod vel præcuditur ingenioſis elucubrationibus; vel ante propugnandas, quacunque ex cauſa, Concluſiones profertur; vel ab expoſituris ſcholaſticam quamlibet materiam premittitur. Ejus omnē finem cenſeo, reddere, ſeu lectores, ſeu auditores, Attentos, Dociles, aut Benevolos; prout fuerit opus. Attentos reddit aperiendo; rem eſſe valdè utilem; vel maximi ornamenti; aut alio ex capite dignam, quæ ſciatur: ita tamen; ut à noſtrarum exercitationum præludiis jactantia; ab alienarum adulatio removeatur. Dociles facit innuendo materiæ, de qua eſt agendum, genus; & principaliora capita: ea præcipuè; (ſi qua ſunt) quæ ad perfectam dicendorum intelligentiam videntur neceſſaria. Benevolos tandem habet præloquentis modeſta ingenuitas; & animi proteſtatio, qui ſemper fuit morem gerendi, ſive eruditioni, ſive moribus, ſive alteri excipientium utilitati. Id tamen omne ſtylo preſtat ornato, florido, venuſto, arguto, figuris omnigenis diſtincto, eruditionibus onuſto, ſententioſo, ac mediocriter fluente: niſi tamen majorem ſimplicitatem, aut gravitatem, peculiaris exceptorum, aut præloquentis dignitas preſcribat.

Undè mihi certiſſimum eſt: feſtivorum eſſe licentiam ingeniorum Præfationum genus illud: quę ex pluribus agitandis quæſtionibus plauſibilem aliquam eligunt; ac politè, & quaſi Rhetoricè depromunt. Non enim cunctarum theſium; imò nec earum, quæ propugnabuntur, ea proluſio eſt: ſed illius ſolùmmodo quæſtionis. Ne dicam: quòd ſic preloquens propugnator; vel, ſe paratum, & de quæſtionis certo puncto premonitum accedere, publicè fatetur; vel

Ttt ex-

extra rem præfatur. Adæquet igitur univerſam tractationẽ Prefatio: certa; quòd ſibi non deerit; undè petatur. Erui nanque poteſt ex omnibus iis capitibus: quæ Exordiis reliquis aſſignavimus; cùm de partibus Orationum.

Partes autem ſui nullas verè habet Præfatio: ſicuti nec habet Exordium. Ut quid enim Exordium Prefationi cum aliquibus affigemus? Quodnam ejus erit munus? Num Dociles, Attentos, ac Benevolos ad reliquam facere Præfationem: in qua iterum tales erunt ad elucubrationem, aut diſceptationem, aliámve exercitationem reddendi? At hujus ſententiæ auctores Prefationes requirunt ad recreandum delectatione intellectum. Sed hic non dum pro nobis laboravit: ut feſſus jam, exigat recreari. Impellent, inquiunt, ſaltèm in artiũ ſtudia voluntatem. Verùm: quarum artium: & in quæ ſtudia? Earúmne; de quibus erit exercitatio futura? Sed etiam hoc Exordium quodlibet præſtat; dum captat ad reliquam dictionem animum: nec tamen alio & ipſum indiget Exordio. Rursùs neque eorum Confirmationem, de quibus acturi ſumus, video neceſſariam. Satis enim exercitationis decurſu probabuntur: cùm ad ſingula, quę ſunt agitanda, deſcendere; & plura, quæ ipſa principaliora capita comprehendunt, aut à quibus dependent, roborare fas erit: quod exiguo preſtare rationum ambitu non permittitur. Hæc dixi: non ut eruditiſſimis preceptoribus contradicerem; quos veneror: ſed ut, non temerè viderer Præfationes exercitationum velut Exordia nuncupaſſe. Cæterùm quiſque, meliorem, quam exiſtimabit, ſententiam ſequatur. Nobis, utranque ſaltèm innuiſſe, juvabit.

RUDIMENTUM III.
De Hiſtoria.

Cic. de Orat. l. 2. *Nazianz. carm. ad Nicob.*

TEſtis temporum; lux veritatis; vita memoriæ; magiſtra vitę; nuncia vetuſtatis; dicta à * Cicerone fuit Hiſtoria. A Nazianzeno * verò admirabilis creditur, & propè divina: quæ unius hominis mentem, ex omnium mẽtium, & ſæculorum perfectione, ſapientię theſaurum conſtituit. Quòd ſi ex fructibus ejus cognoſcere vim libuerit: en Alexandrum; cui tot victoriarum cauſa fuit virtus Achillis

lis ab Homero (ſine quo, ne ſomnum quidem capiebat) effiĉta ad optimi Imperatoris ideam. L. Lucullum refert Tullius Roma profectum rei militaris ignarum: * qui tamen; cùm totam penè conſumpſiſſet navigationem, quà in percontando à peritis, quà in rerum geſtarum lectione; in Aſiam tantus pervenit Imperator; ut eum Mithridates, Rex poſt Alexandrum nulli ſecundus, majorem ducem omnibus, quos aut vidiſſet, aut legiſſet unquam, fateretur. Juliũ Cæſarem egregium reddidit Alexandri æmulatio: cujus perlegens victorias, lachrymas effundebat; quòd ea ætate, qua ille terrarum orbem domuerat, nihil dum egiſſet. Zenobiam Palmyrenorum Reginam hiſtoriarum cognitio ſupra muliebrem prudentiam evexit. L. Paulum Æmilium in vita ornanda, tanquam in ſpeculum, in Hiſtoriam diligentiſſimè ſolitum inſpicere; & eorum, qui laudabantur, mores imitari conatum; refert Plutarchus. Servus Sulpitius tranquillitatẽ quoq; animi fatetur * indè hauſiſſe: cùm enim, ex Aſia rediens, oppida circuncirca, Æginam, Megaram, Piræeum, Corinthum, tunc diruta proſpiceret; olim florentiſſima legeret: dicebat: *Hem nos homunculi indignamur; ſi quis noſtrum interiit, aut occiſus eſt; quorum vita brevior eſſe debet: cùm uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant! Viſne tu te, Servi, cohibere: & meminiſſe; hominem te eſſe natum?* Corporis etiam valetudinem amiſſam, & à medicis deſperatam Alphonſum Siciliæ Regem recuperaſſe p Q. Curtii amœnã lectionẽ; tradit * Æneas Sylvius: undè ſolebat deinceps dicere: *Valeat Avicenna; valeat Hippocrates; & alii medici: & vivat Curtius reſtitutor ſanitatis meæ.*

Lud. Viv. de trad. diſcipl. l. 5.

Sulp. l. 4. Epiſt. 5.

Æn. Sylv. de dict. Alph.

Munus autem Hiſtoriæ præcipuum eſt tacitè ſuadere, & oſtendere commemoratis exemplis; quid, & quo pacto hoc ſequi; illud fugere debeant homines: non quidem argumẽtis: ſed eorum ſola expoſitione, quæ prudentiores ad auſpicatum duxerint finẽ; & ejus, quam perditiores ſuorũ pœnam, & confuſionem tulerint flagitiorum. Nunc tamen latiùs patet nomen Hiſtoriæ: ut non modò animalium proprietates; aut quæ de novo, etiam inſenſatis accidunt rebus: ſed & locorum, montiúnque ſitum; & ipſam anatomen aliquando complectatur. Id, quod cauſa eſt multarum

de nominis ejus acceptione quæſtionum: ut non deſint; qui poſtremas haſce ſpurios inter Hiſtoriæ partus adnumerent. Et quidem Hiſtoria * Fabio eſt Quintiliano *Geſta rei expoſitio*: Ciceroni autẽ * *Geſta res ab ætatis noſtrę memoria remota*. Nos verò (quos addiſcere magis juvat; quàm diſputare) & nomen Hiſtoriæ, cuicunque id boni tribuerint auctores, concedimus: & munia tam longè inter ſeſe diverſa ſub uno veluti genere complecti; ac juxtà ſuas indè conabimur differentias ſegregare.

Quint. inſt. 2. c. 4.
Cic. Inv. 1.

EST igitur univerſim Hiſtoriæ duplex finis: ſcilicet merè legentium erudire ingenia; aut etiam mores objectis exemplis conformare. Primum quæ præſtat; ſolùm eſt Hiſtoriæ antiquitùs adinventæ imitatio: & potiùs poſſet Hiſtorica Deſcriptio vocari. Secundum quæ intendit; vera Hiſtoria eſt; nempè rerum geſtarum Narratio: ac poſſet, mutuato à Græcis nomine, Pragmatia nuncupari. Prior ex rebus, quas deſcribit, multiplex eſt: Genealogia nanque Originem nudè exponit: Chronologia Temporum decurſus enumerat inter unum, aliúnque eventum, in iis ſiſtens; ut cùm Eccleſia in Vigilia Nativitatis Domini lectioni Martyrologii præmittit; quo à creatione mundi anno, & à reliquis notabilibus rebus tempore, humani generis Redemptor naſci dignatus eſt: Topologia Loca privata quæquæ, ac peculiaria repręſentat: Coſmographia Mundum univerſum: Geographia Terram: Hydrographia Mare: Chorographia Regiones integras; aut affinis amplitudinis loca: quibus accedunt Plantarum, Animalium, aliarúnque rerum Hiſtoriæ ad genus hoc attinentes. Poſterior res geſtas duplici exponit methodo: dividendo ſcilicet plures, variáſque res per temporum, quibus evenere, differentias: aut independenter à tempore eas recenſendo; quæ aliquam habent aliam unitatis connexionem. Primi generis ſunt Chronicæ; quæ temporum generaliores ſervant partitiones: Annales annuatim gradientes: Calendaria ſingulis quibuſque menſibus diſtincta: Ephemerides, ſeu Diaria; quæ diem ſecernunt à die. Secundi verò generis ſunt, inter alias plures ſpecies, Vitæ illuſtrium virorum: & Commentaria; diligentes ſcilicet; ſed ſimplices, & continuæ narrationes ex pluribus collectæ auctoribus. Hiſtoriæ tamen antonomaſticam

appel-

appellationem obtinet rei geſtæ Narratio, præcipuarum rerum cauſas notans, conſilia, tempora, loca, & cæteras ad perfectam intelligentiam neceſſarias circunſtantias; ſimúlque moralia monita, & cætera quædam ornamenta; de quibus protinùs hìc agendum.

MATERIAM * exigit* Halicarnaſſæus Pulchram; & Jucundam: quæ legentium animos voluptate afficiat, atque perfundat. Erit autem hujúſmodi; ſi res varias, & ferè inexpectatas continebit: non enim ad pulchritudinem eſt opus; ut amœna, ac felicia narret. Undè feliciorē is Thucydide putat in hac parte Herodotum: quòd ille unum tantúmmodo bellum; hic Barbarorum, Græcorúmque Hiſtoriam cōſcripſerit. Et hoc certè non ſimplicis utilitatis opus cenſet * Quintilianus: nam & ingenium exercetur multiplici, variáque materia: & animus contemplatione recti, pravíque formatur: & multa indè cognitio rerum evenit: exemplíſque, quæ ſunt in omni cauſarum genere potentiſſima, jam tum inſtruitur, cùm res poſcet, uſurus. Quòd verò ſubdit: etiam infelicem Thucydidem; quia infortunatū narrat bellū: & quod geri nūquā oportuit, perpetuánque meruit oblivionē: non acquieſco. Nam & in hujúſmodi quoque rebus Hiſtoriæ finem, exempla ſcilicet ad morum conformationem validiſſima reperio.

Halic. de jud. hiſt. Thucyd. c. 12.

Quint. inſt. l. 2. c. 4.

Vera autē eſſe Hiſtoria debet, ut nihil falſum audeat proferre: imò ſi quid arduum veritas offert; fidem de eo breves faciant rationes. Quis enim* illud de Valerio ferat; ſuper cujus pugnantis caput ſediſſe corvus dicitur; quis os, oculóſque hoſtis Galli roſtro, atque alis everberaret: niſi ſufficienti evincatur ratione? Ratio autem eſſe prima poteſt publica fama: aut graviorum auctoritas ſcriptorum. Accedit huic noſtra auctoritas; ſi qua apud legentes eſt nobis: qui, teſtes nos fuiſſe oculatos, fateamur. His verò deficientibus; ad conjecturas eſt recurrendum: non quidem adinventas: ſed ex iconibus, picturis, mœniis, eorúmve ruinis, ac cæteris antiquitatis erutas monumentis. Prętereà tamen nihil relinquat veri; quod aut memoratu ſit dignum; aut moribus utile; aut ad perfectam attineat Hiſtoriæ intelligentiam: ſervatis tamen ſemper legibus; quas de fama conſcientia præſcribit. * *Ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcri-*

Liv. l. 7. ap. Gell. l. 11. c. 11.

Cic. 2. de Orat.

Lucian. lib. quom. conſcr. hiſt. *ſcribendo: ne qua ſimultatis.* * Neque quempiam metuat Hiſtoriæ ſcriptor: neque quicquam ſperet: muneribus non corrumpatur: nihil odio; nihil amicitiæ tribuat: ſed, liber animo, veritatē amet; &(quemadmodum ait ille Comicus)ficus ficus;ligonē ligonem nominet.Cnidius celeberrimam illam cùm eſtruxiſſet in Pharo turrim, è ſeptem orbis miraculis alterum: intùs ſaxis ſuum inciſit nomen: quo calce illita occultato; nomen ejus, qui tunc regnabat, ſuperinſcripſit: ratus (quod evenit) fore ut brevi admodùm literæ illæ cum inducta calce caderent; ſuum verò nomen perpetuùm appareret. Sic ergo noſter Hiſtoricus pręſentia nulla curet; non famam; non calumnias; non pericula;non ſpes; quę adeò ſunt momentanea: ſed ad univerſum ęvum cogitationem intendens; perpetuę noverit ſe ſcribere poſteritati. Quinimò egregia non ſine brevi laude percurrat geſta:turpibus addat vituperationem facinoribus: ad quod apprimè faciunt Epitheta; & pręcipuarum notatio circunſtantiarum.

Circunſtantiæ autem non huic tantùm muneri ſunt aptę: ſed & novum ſemper aliquid aperiunt; ut conſilia, ſtratagemmata, novorum inventiones inſtrumentorum, & hujúſmodi plura. Noverit proinde temporum leges: ut quando quidque ſit geſtum, abſque erroris turpi periculo, valeat enarrare. Regionum noverit ſitum, & diſtantiam: ne ei ſit ſimilis; qui,apud* Lucianum,Europum & Samoſata ſimul in Meſopotamiam intruſit. Uno verbo: quod dicit; id non ſibi penitùs ſit ignotum: aut certè non ſibi ipſi plurimùm fidat. Indè enim enormes quorundam hyperboles. Cujuſdam,non ſine riſu, meminit Lucianus citatus vulnera planè incredibilia narrantis: ut quendam dixerit in majori pedis digito vulneratum illicò deceſſiſſe.

lib. quom. conſcr. hiſt.

Deſcriptiones verò locorum, aut extra rem pręcipuam narrationes, ubi ſunt, breviſſimè expediantur. Undè requirit* Fabius: *Ut ſit Hiſtoria,neque arida prorsùs; neque jejuna; neque rursùs ſinnoſa; & accerſitis deſcriptionibus (in quas plerique, imitatione poeticæ licentię, ducuntur) laſciviens.* Non igitur * Hiſtoricus Orationis vim ineptè oſtentare, montium, murorum, aut fluminum deſcriptiunculis; & omiſſa Hiſtoria, ſuū ipſius negotium agere, videatur:

Quint. inſt. l. 2. c. 4.

Lucian. l. cit.

tur:

tur: ſed illà paululùm, perſpicuitatis gratia, & utilitatis, ut attigerit; mox indè digrediatur. Sit Homerus exemplo: qui (licèt Poeta) Tantalum, Ixionem, Tityum, alióſque percurrit.

Concionem habens ſi quando eſt quiſpiam introducendus: convenientia perſonæ; reíque propria; ac circunſtantiis omnibus; eáque quàm planiſſimè dicantur. Quin aptiùs cum demonſtratione, & celeriter, ac tempeſtivè ſunt adhibendæ: ut potiùs narretur; quenquam habuiſſe de tali re concionem; talibúſque principalioribus ſuaſiſſe motivis: ſiquidem à foro hæc ſunt aliena. Quis enim orantes audivit: & auditam ſemel prolixam Orationem cujus retinuit memoria? Hujúſmodi igitur Conciones non narrantur: ſed apertiſſimè finguntur. Quapropter (ut liberè dicam) in concionantibus ſępiùs Hiſtoricis (& his quidem ſummi nominis) ingenium, & Oratoriam artem admiror; hiſtoricam ſinceritatem, & puritatem deſidero: niſi fas ſit Poetas imitari.

TEXTURAM hanc habet Hiſtoria. Primò lectorem Docilē, & Attentum reddimus Proœmio: Benevolentia nanque * opus non eſt; cùm eam ſatis captent perfectæ Hiſtorię ſervatę leges. Quanquam nonnulli non ad id muneris Exordium adhibuere: ſed ne potiùs trunca videretur Hiſtoria, & acephala: undè longè à materia ducentes; nihil ad Hiſtoriam pertinentibus orſi ſunt: quod Salluſtius facit in Catilinario bello, & Jugurthino. Imò Lucianus * docet: aliquando etiam ſine Proœmio narrari poſſe: cùm ſcilicet res non admodùm urget; ut opus prefatione aliqua præparetur. Secundò Introductione placida, ac leni (omnibus tamen æqualiter procedentis Orationis virtutibus ornata) veluti paſſum retrogreſſi, Hiſtoriam à ſua conteximus origine: quò & legentibus clarior dicendorum intelligentia; & nobis facilior ad Narrationem ſaltus evadat. Quas etiã leges, ex citato Luciano, ſervat quilibet Tranſitus ex una ad aliam Narrationis partem: ut uno jam completo; mox ſuccedens aliud venuſtè inferat, & adnectat. Tertiò ſuccedit ipſa Narratio, & corpus Hiſtoriæ: quę plures exigit neceſſarias leges. Brevitas (inquit * Lucianus) in omnibus eſt utilis; & maximè ſi rerum dicendarum inopia non fuerit:

Lucian. de hiſt. conſcr.

Lucian. de hiſt. conſcr.

Lucian. hiſt. conſcr.

& hanc

& hanc non tam à nominibus, & verbis; quàm à rebus ipſis ſuppeditari, oportet. Quapropter non minimam Hiſtoriæ diſponendæ laudem cenſet Halicarnaſſæus: * ſi principio, quo non aliud ſit prius; & fine, cui nihil videatur deeſſe, omnia complectatur. Ordo quoque dicendorum id requirit: ut priùs narrentur, quę priora ſunt; deinde, quę poſteriora. Undè priùs conſilia, cauſæ, & primordia rerum exponuntur: poſtea eventus: tùm, quę indè proceſſerunt, conſequentię. Similiter & in locorum deſcriptionibus non ſecùs enrrat Hiſtoria; ac iter agentis expoſceret peregrinatio. At non ita ſcrupuloſè in temporum diſpoſitione eſt agendum: ut dum peculiare aliquod recenſemus geſtum; incompletum id relinquamus, & imperfectum, quę alibi eodem ipſo facta fuerint tempore, narraturi. Quæ verò dicuntur; nexum inter ſe habeant. *Hiſtoricam narrationem* (inquit * Halicarnaſſæus) *perpetuo velùti filo ductam, & colligatam, oportet eſſe: præſertim, ubi res exponuntur, & multę; & hujuſmodi; quæ cognoſci, ac percipi non facilè queant.* Nec unionem ſolùm; ſed & unitatem aliquam optat Hiſtoria: ſive ſcilicet loci; ut ſi narraret urbis alicujus, aut regni eventus: ſive temporis; ut ſi, quid hoc ſęculo geſtum ſit, percurreret; quod in univerſalioribus Hiſtoriis fieri ſolet: ſive aliam quancunque. Epilogo demum eſt univerſa claudenda Narratio: quæ & breviſſimam pręcipuarum rerum, ſi poteſt, libenter Enumerationem recipit; & Affectuum loco morale aliquod fuſiùs propoſitum Documentum.

Halic. Hiſt. Thucyd. c. 11

Halic. de Jud. hiſt. Tucyd. c. 10.

STYLUM primitùs (Cicerone * teſte) ex Gręcis Pherecydes, Hellannicus, Acuſilaus; ex Latinis verò Cato, & Piſo, ſimplicem Hiſtoriæ dederunt, & ſine ornatu; ſola brevitate contenti: cujus ſunt generis Annales maximi à Romanarum initio rerum adusque P. Mucium Pontificem res omnes per ſingula tempora continentes. Dein cœpit Antipater ex Latinis; ex Gręcis verò Herodotus paulùlùm ornare: quem omnium egregiè Thucydides eſt ſecutus rerum adeò crebra frequentia; ut verborum propè numerum ſententiarum numero conſequeretur. Menſuram tamen aliquam perfectiori nunc Hiſtoriarum ſtylo ut demus: Clarā primùm, & dilucidam exquirimus; atque verborum proprie-

Cic. de Orat. l. 2.

prietate gaudentem : * *Hiſtorica enim dictio eſt ; quæ maximè propria.* Argutas Reflexiones non reſpuimus:éſtque exẽplo, inter cæteros, Salluſtius: ubi pręſertim ait: *Nec quenquam decere, quem manus armaverit, ab inermibus pedibus auxilium petere. &c.* Sed tamen cautũ ſcriptorẽ volumus ; & aliquãtò ſobrium : cùm pręcipuus Hiſtorici finis ſit juvare ; non delectare. Quare Herodotum laudat * Cicero, & Thucydidem, tanquam mirabiles : quòd cùm eorum ætate Sophiſtæ pręcipui eſſent in dictione qualibet ornatibus oneranda : *Longiſſimè tamen ipſi à talibus deliciis ; vel potiùs ineptiis ; abſuere.* Sententiis magis indulgemus è geſtis veritates quaſdam eruentibus univerſaliores humanę vitæ rectrices : ut cùm * Curtius ait : *Ignaviam quoque neceſſitas arguit : & ſępè deſperatio ſpei cauſa eſt.* Et * alibi : *Nihil tutò in hoſte deſpicitur. Quem ſpreveris ; valentiorem negligentia facies.* Numerum verò quod reſpicit : fuſum ; atque tractum ; & cum lenitate quadam æquabili profluentem ; exoptat * Cicero : Quintilianus * verò non tam finitos numeros ; quàm orbem quendam, contextúnque deſiderat.

Ariſtot. 3. Rh. c. 12.

Orator.

Curt. l. 5.

Idem l. 6.

Cic. de Orat. l. 2.

Quint. inſt. l. 9. c. 4.

Illud hic fortè quiſpiam deſiderabit : Catalogum Hiſtoricorum ; qui de univerſa re ſcripſere memorabili. Verùm quia non de ſola nos agimus Hiſtoria ; ut cuncta, quæ de ea dici poſſunt, minutim afferamus : ad Bennium * curioſos remitto ſcriptorum exhibentem Elenchum, qui in id argumentum ad ſuam uſque ætatem calamum direxere ; nec non & diviſiones locorum, ac temporum ; ordinénque ſervandum in iis pervolvendis. Recentiores autem, qui ſunt indè ſecuti, faciliùs innoteſcunt.

Benn. Hiſt. l. 3.

RUDIMENTUM IV.
De Fabula, & Parabola.

Paradigmatis nomine (quod aliqui *Exemplum* interpretãtur) probationum omne genus Græci vocant ; quod rerum geſtarum auctoritate nititur : comprehendúntque (teſte * Quintiliano) tùm Parabolam ; tùm quod alii Latini Exemplum dicunt. Acquieſcit huic interpretationi Fabius ipſe ; Græcos potiùs ſecutus ; quàm ſuos. Cæteri tamen renuunt : & Parabolam vocare malunt Similitudinem ;

Quint. inſt. 5 c. 11.

nem; aut, cum Tullio, Collationem: eánque à Paradigmate, ſeu Exemplo, diſtinguunt. Nos, quæ magis videntur cõſona, ab utriſque accipientes; Exemplum, Fabulam, & Parabolam, ſub eodem genere ponimus: quod tamen non ſola dat Similitudo: ſed Comparatio quævis; in qua ſit (quod de ſuo loquitur Exemplo * Fabius) *Rei geſtæ, aut ut geſtæ, utilis ad perſuadendum aliquid commemoratio.* Quæ enim in exemplum adducuntur: ea vel à ſimili probare, & à pari; vel ab impari, ſeu fortiori concludere; ipſemet ibi docet Quintilianus. Simile autem infert penès eum illud: *Jure occiſus eſt Saturninus; ſicut Gracchi.* Impar verò illud evincit: *Tibicines cùm ab urbe diſceſſiſſent; publicè revocati ſunt: quantò magis principes civitatis viri, & de Republica meriti; cùm invidiæ ceſſerint; ab exilio reducendi?* Tota igitur difficultas eſt in reperiendo inter Exemplum, Fabulam, & Parabolam, differentiam. Differre autem, & ex diametro opponi, cenſeo, Fabulam cum Exemplo: quòd Fabula fictas res narret, ut geſtas; Exemplum verò ſemper, quæ verè ſunt geſta, commemoret. Parabolam verò, quatenùs ad Comparationem attinet, (nam plura nomen id ſignificat) modò cum Fabula aliquid convenire; modò cum Exẽplo, reor. Cùm autẽ Exemplum in nullo differat ab Hiſtoria geſtorum jam explicata; niſi quò ad brevitatem; ut ſit veluti brevis Hiſtoria: Fabula nunc tantùm nobis, & Parabola remanet explicanda.

Quint. ibid.

FABULAM fictarum rerum eſſe Narrationem; omnes conſentiunt: nam quòd ſumitur aliquando * pro rumore populi, & re paſſim divulgata; etiámſi vera: id latiſſimam habet acceptionem. Sed tamen non fictarum modò; ſed & inveriſimilium aſſerunt * Auctor ad Herennium, * Tullius, & * Quintilianus. Diſtinguunt hi tamen Fabulam ab Argumento; quæ unà cum Hiſtoria ſpecies Narrationis faciunt: & quæ inveriſimilia profert; ut in Tragœdiis, atque Carminibus; Fabulam: quæ veriſimilia; ut in Comœdiis; nuncupant Argumentum. At verò nos hìc nihil de hiſce Fabulis: poeticum enim inventum ſunt; & attinent ad Poetas. De iis tantúmmodo loquimur fictis Narratiunculis; quas (ſive veriſimiles; ſive non ita) ſolent Oratores aſſumere: eæ nanque tùm ſolent ut partes Oratoriæ probationis;

Calepin. V. Fabula.

Herenn. 1. Cic. Inv. 1. Quint. inſt. 2. c. 4.

nis; tùm ut ſuaſoriæ quędam Orationum ſpecies aſſumi.

Nec mirum cuiquam arbitror futurum: quòd Oratori Fabulas tribuamus. Eę nanque (ait * Ambroſius) etſi veritatem non habeant: habent tamen rationem; ut juxtà eam poſſit veritas manifeſtari. Ducere quoque ſolent (ut Quintilianus * teſtatur) plebis animos: qui & ſimpliciùs, quæ dicta ſunt, audiunt; & capti voluptate, faciliùs iis, quibus delectantur, conſentiunt. Menenius enim Agrippa * plebem cum Patribus reduxit in gratiam nota illa de membris humanis fabella adversùs ventrem diſcordantibus: quæ cùm alimenta ei denegarent; ad extremam ipſa devenere tabem: ut viderint; ventrem non tam ali; quàm alere totum corpus. Demoſthenes de magnis rebus acturus, oſcitanter ab Athenienſibus audiri ſe, cùm comperiſſet; feſtiva illa revocavit Fabula de Umbra Aſini: adoleſcentem ſcilicet, narrans, Athenis Megaram ſub æſtatis tempus aſinum conduxiſſe: cujus ſub ventrem ſe cùm conjeciſſet, umbram, flagrante nimiùm meridie, paululùm captaturus; accurriſſe ſtatim aſinarium ad eum propellendum: quòd diceret; aſinum ſe, non umbram locaviſſe. Quin & Divus Gregorius * Nazianzenus Celuſium Pręſidem ad vanę glorię fugam erudiit lepida fabella de Hirundinibus inſultantibus Cygnis; quòd non potiùs hominum conſuetudinem, ſed ſolitudinem quęrerent; nec canendi artem in publicum proferre auderent: quibus hi reſponderint: quin potiùs nos quærunt homines; ſuavi ut tandem noſtra, concinnáque fruantur harmonia: vos autem, quanvis loquaciores, calamitatem veſtram tumultuoſis lugentes vocibus homines faſtidiunt, & averſantur. Inſuper * exprobraturus viris Sichem (qui, ſeptuaginta fratribus ſuper unum lapidem occiſis, Abimelech ſuum conſtituerāt Regem) Joathan fratrum minimus, qui abſconſus cædem effugerat, ſtans in vertice montis Garizim; Fabulam lignorum adhibuit Regem quęrentium; ac recuſantibus ſceptrū oliva, ficu, & vite, rhamnum eligentium.

Ambr. de offic. l. 3.

Quint. inſt. 5 c. 11.

Liv. l. 2. dec. 1.

Greg. Naz. ad Celuſ.

Judicium c. 9.

Non igitur Oratores, etiam Sacros, Fabulę dedecent: ubi aptę ad ſuadendum, quod ſecùs ęgrè fieri poſſet, videntur. Non enim omnes excludit Fabulas Divus Paulus: * ubi futuros improbat homines; qui *à veritate quidem auditum*

2. Tim. 4. 4.

1. Tim. 1. 4. ditum avertent; ad fabulas autem convertentur: aut * ubi, Timotheum ſe rogaſſe, ait; ut quibuſdam denunciaret; ne ali-
1. Tim. 4. 7. ter docerent; neque intenderent fabulis: aut demum * ubi Timotheo ipſi pręcipit: *Ineptas, & aniles fabulas devita.* De Fabulis enim vanis, & ineptis, quas ſolent anus narrare juvenculis, utrunque textum interpretatur apertè * Hugo Cardinalis; in quibus aptitudo non eſt, aut fructus: quales habent Judæorum quædam excogitatæ traditiones. Clariſſimè quoque * Doctor Angelicus inventas primùm aſſerit Fabulas; ut inducerent ad acquirendas virtutes, & vitia fugienda: undè duo ſint in Fabula; quòd ſcilicet aliquid utile contineat; & quòd moribus, ad quos applicari debet, conveniat: quorum primo ſi careat; ſit inanis: ſi verò ſecundo; ſit inepta: quales ſunt Fabulæ de Thalmuth. Quis enim Judæos non irrideret, imò ſtomacharetur, ſomniantes: * Adamum duas habuiſſe uxores; ex quibus genealogias texuit infinitas: Bovem initio mundi creatum adeò grandem, ut mille quotidie depaſcatur montes; qui ſimul cum Cetocreatis reſervetur in adventum Meſſiæ; ut cum eo ex illis epuletur: Deum quotidie lachrymam emittere; quòd permiſerit, ſuam gentem excindi: Og gigantē fuiſſe; cujus unus pes haberet centum, & viginti cubitos giganteos; lectus verò facilè leucam occuparet: Meſſiæ tempore Judęam producturam panes coctos, & ſericas veſtes Judæo cuilibet accommodatas: cæteráque generis hujus deliramenta: quę colligit, & refert Sixtus Senenſis?

Hug. Card. in Epiſt. ad Tim.

S. Th. lect. 2. in 1. Tim. c. 4.

Hug. Card. in 1. Tim. 1. v. 4.

Nomina porrò quatuor habere Fabula perhibetur, de qua loquimur, universè conſiderata. Primò nanque dicitur Æſopica: non quòd Æſopus eas invenerit; nam Heſiodo originem earum tribuit * Fabius: ſed quòd omnium ingenioſiſſimè eas ſcripſerit Æſopus Phrygius: quam tamen ſpeciem proximè nutricularum Fabulis accedentes idem aſſerit * Quintilianus. Secundò Cilix appellatur: quod nomen magis propriè vanis competit Fabulis, & inanibus: Cilices enim Aſię populi, ob corruptos mores, anilibus cōmentis, ac mendaciis ita aſſuevere; ut locum dederint adagio: * *Cilix haud facilè verum dicit.* Tertiò nuncupatur (infami quidem appellatione) Sybaritica: Sybaritæ nanque Gręcię populi, molles, effœminati, ac mendaces, fabuloſis,

Quint. inſt. 5. c. 11.

Quint. inſt. 1. c. 14.

Pomey Cād. Prog. 5. c. 1.

ſis, & impudicis ſermonibus nimiùm delectabantur. Quartò Cypria vocatur: quòd Cypriis populis magno fuerit in uſu Fabula; nec modicam Fabuloſi habuerint æſtimationem. Quæ quidem nomina non ſingula quaslibet complectuntur Fabulæ ſpecies; ut mox notavimus: ſed hoc poſtremum tantùm cenſeri poterit univerſale.

Species verò Fabulæ, quatenùs Oratorem decet, tres potiſſimùm enumerantur: alia nanque Rationalis dicitur; alia Moralis; alia Miſta. Rationalem vocant: in qua ſoli homines actores ſunt: cujúſmodi eſt Demoſthenea illa de hominibus circa umbram aſini litigantibus. Moralem (quam ſolam aliqui volunt etiam Apologum nuncupatam) appellant eam: quæ ſola irrationabilia humano more fingit alloquentia; habito quidem reſpectu ad eorum qualitates; quæ talia facilè ſuggererent, ſi capacia reperirent: cujus generis eſt Meneniana de membris corporis, & ventre. Miſtam verò dicunt: quæ homines ſimul, & irrationabilia perhibet colloquentia: quali recidivos depingit Divus Bonaventura, lupum fingens; qui dum ad Confeſſarii pedes provolutus ſuas rapinas, & ovicidia confitetur; pertranſeuntem gregem animadvertens; Sacerdotem precatur, ut ſe citiùs expediat; quò ſibi liceat opportunè ovibus occurrere prædaturo.

Artificium autem hoc requirit. Primùm aliquem contineat ſenſum mores inſtruentem; & imaginem quandam, ac indicium veritatis: quod quidem (cùm non ab omnibus facilè percipiatur) modò preponi Fabulæ ſolet; & dicitur Præfabulatio: modò ſupponi; & Affabulatio nuncupatur. Deinde quatuor communes Narrationibus omnibus habeat virtutes: ut ſit Veriſimilis; Brevis; Clara; & Ornata. Veriſimilem dico: quæ, licèt impoſſibilia narret, & incredibilia; attamen qualitatibus rerum conſentanea: ut aliter loquatur leo; aliter vulpes; aliter lupus. Brevis erit: ſi ſuperflua quæquæ reſecabit: ut (juxtà * Quintiliani monitū) *neque ſinuoſa ſit; & accerſitis deſcriptionibus, in quas plerique imitatione poeticę licentię ducuntur, laſciviat.* Claritatem non eam præcipimus; de qua * Fabius pueris indicit: *Æſopi fabellas, quę fabulis nutricularum proximè ſuccedunt, narrare ſermone puro, & nihil ſe ſupra modum extollente*

Quint. inſt. 2. c. 4.

Quint. inſt. 1. c. 14.

eá ſic habet * Cornelius à Lapide : *Maſchal, quod noſter ſæpè vertit Parabolam, ſignificat ſententiam quamlibet; quę eminens eſt, & illuſtris, ac quaſi princeps inter ſententias: quales ſunt ſapientum Gnomę, Proverbia, & Parabolę; item & Prophetarum oracula. Radix enim Maſchal ſignificat dominari, & principari.* Quod & dixerat Sanctius * in Job. *à Lap. in Num. 23. v. 7.* *Sanct. in c. 27. v. 1. Job.*

Quapropter ſermonem quemlibet aliqua tectum figura (ſive ſcilicet ſimilitudine, & collatione; ſive ſententia) tunc Parabolam puto: cùm eminentiam habet, & gravitatem; acumen; ſerietatem; ſapientiam; & (quod magis propriũ reor) auctoritatem, & efficaciam ad movendum. Quod etiam ſuadet Eccleſiaſticus: * ubi ait: *Homo acharis quaſi fabula vana in ore indiſciplinatorum aſſidua erit. Ex ore fatui reprobabitur Parabola: non enim dicit illam in tempore ſuo.* Parabolam autem (ſubdit Cornelius à Lapide) vocat gnomen; ſive ſententiam gravem, ſeriam, acutam, & ſapientem: cujúſmodi ſententias licèt aliquando loquetur homo acharis; ſcilicet inſulſus, & fatuus: reprobabuntur tamen; & è Parabolarum numero excluſæ, erunt fabulæ vanæ: quia ſuo tempore non prolatæ; ſed intempeſtivæ, ingratæ, & importunæ. En igitur pręcipuarum locutionum, quæ in Scripturis Parabolæ vocantur, brevem obſervationem. Magnalium Dei Narrationem jam ſuprà * David Parabolam nominavit: *Aperiam in Parabolis os meum.* Generoſiores patientię promiſſiones, reſumpto ſpiritu, * *Addidit quoque Job, aſſumens Parabolam ſuam:* Orationem ſcilicet * gravitatis, & auctoritatis plenam. Proverbia Salomonis apertiſſimè Parabolæ nuncupantur: undè dicitur: * *Locutus eſt quoque Salomon tria millia Parabolas.* Quin & memorabilia quædam Exempla rerum, quæ verè acciderunt, per os vulgi reſonantia, Parabolæ appellantur: undè Pſalmiſta * ait: *Factus ſum illis in Parabolam: Adversùm me loquebantur, qui ſedebant in porta.* Id eſt: * factus ſum illis in ſimilitudinem maledicti; ut dicerent: ſic contingat tibi; ſicut contigit, &c. Hoc eſt: * ut cùm de vili aliquo homine homines loquerentur; eum mihi compararent: ut in ore verſarer quoruncunque, etiam de trivio. Similitudines etiã Parabolas Scriptura vocat: ut cùm * dicitur: *Simile eſt regnum cælorum grano Sinapis: &c.* Ficta quoque Exempla è Nar-

Eccli. 20. v. 21. & 22. *Pſ. 77. v. 2.* *Job. 27. v. 1.* *Sanctius in idem.* *3. Reg. 4.* *Pſ. 68. v. 12* *Lorin. in idẽ* *Hug. Card.* *Matt. 13. v. 31.*

Digitized by Google

è Narrationibus rerum petita; ſive veriſimilium (qualis eſt
*Luc.*14. * Parabola de invitatis ad cœnam, & renuentibus) ſive
*Judic.*9. etiam inveriſimilium; (qualis eſt * de lignis regem quęrentibus) Parabolę ſunt. Documenta pariter quædam ratione experimentali, & prudenti, efficaciter roborata: ut
*Luc.*14. cùm * Chriſtus Dominus *Dicebat ad invitatos Parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent; dicens ad illos. Cùm invitatus fueris ad nuptias; non diſcumbas in primo loco: &c.* Quare non ad ſolam Similitudinis, aut Exempli ſpeciem; nec ad eam ſimul, & ad Proverbia; nec ad obſcura, atque Ænigmatica, Parabolę nomen eſt reſtringendum.

Hìc tamen ad nos ea ſolùm attinet Parabola: quæ Similitudinem habet: éſtque ſpecies altera Comparationis facti; modò cum Paradigmate conveniens; modò cum Fabu-
*Judic.*9. la. Quapropter ſimilitudinem illam * de lignis, quæ regem quęrebant, Apologorum tempore primum, & elegantia
à Lap. in id. præſtantiſſimum vocat * Cornelius à Lapide: Abulenſis *
Toſt. in id. verò, & * Naxera malunt dicere Parabolam. Non ideò
Nax. in id. tamen Fabulæ dicuntur, vel Apologi, propoſitæ à Chriſto Domino facti ſimilitudines; ſicut nec Æſopi Fabulæ inter Parabolas numerantur: quia illæ gravitate, vi, ac omni ſapientia ſunt plenæ: hæ verò magis delectant, quàm mo-
Quint. inſt. veant prudentes; undè * nutricularum, & vetularum Fabel-
*l.c.*14. lis propè accedentes exiſtimantur.

RUDIMENTUM V.
De Ænigmate.

Videar omninò puerilem Imperatoris Domitiani deſidiam muſcas præacuto ſtylo confodientis imitari; ſi jocorum ſtudium, & amor levitatis me ad præſentem invitet ſpeciem Orationis. Non aliena eſt à ſolidiori Sapientia Ænigmatum propoſitio: nec Oratoriam conſequenter dedecet gravitatem. Philoſophorum antiquitùs prudentia ſuper menſas, quaſi bellaria, enucleandas arduas quæſtiones inter pocula proponebat: ne in conviviis (ut notat Divus Ambroſius) benè potati homines dicaciùs, & intemperantiùs alios proſcindere; aut in jurgia, rixáſque erumpere, ut moris erat, permitterentur: ſed animum ad rei propoſi-

poſitæ ſenſum, & explanationem convertere cogerentur. Erat autem penes Athenienſes * enodantibus præmium laus, & carnium diſtributio: ignorantibus verò pœna diluti vini exhaurienda phiala; vel unico bibendus hauſtu calix muriam habens immiſtam potioni. Itali (ut refert * Gellius) omnes, qui Athenis literis dabant operam, ſæpiſſimè ad communem cœnulam (quam ex ordine ſinguli parabant) convenientes, obſcuras proponere ſolebāt quæſtiones: quas qui ſolviſſet; laurea corona, ac veteris alicujus ſcriptoris græco, aut latino libro donabatur: ſi verò nemo potuiſſet diſſolvere; Deo, cujus feſtum erat, premium dicabatur. Ænigmata quoque mittebant olim alterutris finitimi Reges: quas ſi neſcirent exponere; multabantur pecunia: ſi ſcirent; Sapientes habebantur. Lycerus Babiloniæ Rex * Ænigmatibus pugnans cum Nectebano Rege Ægypti, fretus Æſopi Phrigii ingenio, victorias celeberrimas reportavit. In ſacris etiam libris propoſita legimus Ænigmata. Samſon Hebræorum Judex * Thamnathæis Ænigma propoſuit; ſpondens; daturum ſe ſolventibus trigiuta tunicas, ejuſdemque numeri ſindones; ſin minùs, ab iis totidem recepturus. Quin ex ſolis veteris teſtamenti Prophetis centum ſeptuaginta duo congerit Ænigmata Cornelius à Lapide: ut de iis intelligi valeat, quod promittit * Deus: *Dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum.* De Ænigmatica nanque Scripturarum doctrina * Clemens Alexandrinus intelligit, dicens: *Dei autem theſauri, & quę non deficient, divitię, eſt, quę venatu difficilis eſt, Sapientia.* Sic enim (de Prophetarũ obſcuris locutionibus inquit * Auguſtinus) *commendantur magis: ut quaſi ſubtracta, deſiderentur ardentiùs; & inveniantur deſiderata jucundiùs.*

Jul. Poll. l. 6. Athen. l. 10.
Gell. Noct. Att. l. 18. c. 2.
Max. Panud. in vit. Æſop.
Judic. 14.
Iſ. 45. v. 3.
S. Clem. Alex. Strom. l. 5.
S. Aug. cont. mendac. c. 10.

EST autem univerſim Ænigma obſcura quęvis Oratio: quo ſenſu Divus Hieronymus Jovinianum dicebat Ænigmatiſtem. Fuere autem; qui Griphum ſecernerent ab Ænigmate: quaſi ille ſeria; hoc ſales, & joca ſectaretur. Verùm; ſi Athenæo credimus; etiam jocoſa Ænigmata ſunt Griphi: id enim ſinuoſa quævis locutio nomen à gripho, piſcatorum rete, accepit. Nec ignota penitùs Ænigmata piſcatoribus. Homero nanque à piſcatoribus ad ripam ſedentibus in pediculorum aucupium, quid agerent, ſci-

Herodot. in vit. Homer. ſciſcitanti ; famoſum illud * pro reſponſione fuit.

Quod captum eſt, periit; ſed, quæ non cepimus, adſunt.

Triplex porrò mihi videtur Ænigma; ut, quæ implicitum habent exhibendi modum ; ſolúmmodo comprehendam : quæ enim obſcuram ex ſe quæſtionem, & arcanam habent veritatem ; ad Oratoriam non attinent Elocutionem . Eſt itaque aliud ; quod Graphicum appellari commodè poteſt: quippe , quod ſolos intuetur characteres . Aliud eſt ; quod Logicum dicerem : utpotè, quod voces conſiderat . Aliud verò; quod Reale lubet nuncupare : ſiquidem , quæ rei ſunt, tectim , & obſcurè proponit.

GRAPHICUM pluribus fit modis . Primò nanque plures congeruntur in aliqua ſententia dictiones ; quarum binæ quævis inter ſeſe quoad aliquam ſyllabam conveniant: quibus truncis, & nihil perfectū exhibentibus, niſi communes illas ſyllabas (quas intermedia linea diſtribuit) addas; nihil omninò leges : cujus ſit in duobus carminibus exemplum:

pit rem; tem pit lorem,

Qui ca uxo li ca atque do

ret re; te ret lore.

ſcilicet *Qui capit uxorem, litem capit, atque dolorem,*

Qui caret uxore; lite caret, atque dolore.

Vel etiam truncæ ipſæ dictiones cum totidem integris ita alternātur, ac ſiſtūtur; ut alterā priores ; poſteriores alteram obtineant lineam : ſeorſim poſita ſyllaba ; quæ alteram componentibus lineam mutilis illis ſit communis: ut in hoc videri poteſt exemplo ; in quo etiam communis illa vox videtur innuere, unde incipienda ſit lectio ; nempè à linea quæ ſubeſt:

Sub

limis latus, es; itò jiciet.

O qui nulli mors te

Quod quidem ita legitur: *O ſublimis, qui ſublatus, nulli ſubes; mors ſubitò te ſubjiciet .* Ad quæ habita proportione ; alia quiſque ſuo poterit ingenio comminiſci.

Secundò ſyllabarum ; ac dictionum ſententiam aliquam componentium diſtributio commutatur . Modò autem hoc fit nullam interpunctionem ; quæ ambiguum determinet ſenſum,

ſum, adhibendo: quò ſpectat decipiens oraculum illud: *Ibis redibis non morieris in bello*: quod fœlix omen conſu-lens credidit; ſed, eo mortuo, ſic dæmon interpunxit: *Ibis. Redibis? Non: morieris in bello*. Modò verò fit, diviſas quas volumus, voces uniendo; aut, quas unitas optamus, dividẽdo: ut cùm ſepulchrali incidit quidam lapidi: *Tumulus*: quod tamen legendum volebat: *Tu mulus*. Quò ſocus attinet parùm ſani cujuſdam nobilis: cui volebat inſculptum dominus: *In memoria æterna erit*: ſcripſit autem, aut fatum, aut feſtivi artificis induſtria: *In me moria æterna erit*: æterna ſcilicet ſtultitia.

Tertiò cujuſvis idiomatis elementa, aut numeros, aut etiam muſicas notas aſſumendo; non pro eo, quod valent; ſed pro eo, quod ſonant, & vocantur. Literis uterer, ſcribens *C D*, ad indicendum: *Cede*. Numeros adhibuit ob quendã affinem ſonum Italus ille: qui hoſtibus clypeum oppoſuit habentem *XXVII*; numerum ſcilicet *Vigintiſeptem*: quaſi Italicè diceret: *Vintiſete*: nempè: *Victi eſtis*. Muſicas quidam poſuit notas, quæ Brevis, quæ Major, quæque Maxima dicitur; necnon & aſtronomica Martis, Veneriſque ſigna; ac Crucem: quibus nonnullis vocibus interpoſitis; hæc redderet carmina:

In Martis, Veneriſque *acie* Brevis *eſſe voluptas*
Fertur: Crux Majori Maxima *pauperies*.

Quibus accedit rerum imago: quæ ſua appellatione voces ad obſcurum ſenſum ſubminiſtrent; quà integras; quà variè diviſas, colligatas, combinatas: ut cùm Batrachus, & Scaura, Græcorum inſignes architecti Romano Octaviæ templo ranam, & lacertam inciderunt; quarum alteram *Batrachum*; *Scauram* alteram Græci vocant; aut cùm fatuus ille ad exprimendum ſuæ Lucretiæ nomen *Lucum* pinxit, & *retia*.

Quartò literas nomen aliquod componentes in unicam notã mutuis nexibus implicando. Quod in nummis faciebat Sylla: qui felicitatem affectans; vocem *FAUSTUS* involvebat.

Quintò priora tantùm elementa ſingularũ vocũ, quæ ſententiam aſtruant exarando. Quod habent *S. P. Q. R.* à Sabinis in ſuis oſtentata vexillis ad denotandum: *Sabi-*

nis Populis Quis Reſiſtet? quibus iiſdem prorsùs reſpondere ſignis Romani; *Senatus PopulusQue Romanus*. Indè faceCic.de Orat. tiſſimam habuerunt interpretationē * quædam compendiariæ literæ; quæ in pluribus Anxuris locis legebantur. Cùm enim aliquando Memmius zelotypiæ cauſa in Largium iratus, lacertum ejus momordiſſet; idque poſt factum negaret amicis improperantibus: lepidiſſimè Marcus Craſſus objecit: quid negas facinus toti Anxuri celeberrimum? lege paſſim inſcriptum noſtris parietibus *L. L. L. M. M.* hic eſt earum ſenſus literarum: *Lacerat Lacertum Largii Mordax Memmius*. Publium quoque Rutilium cùm ambitus accuſaret Æmilius: (qui tamen ipſe ambitu ad Conſulatum pervenerat) atque in confirmationem producta ſcheda his ſignata elementis; *A. F. P. R.* ſic notas interpretaretur: *Actum Fide Publii Rutilii*: Rutilius verò diceret; eam eſſe forenſem formulā indicantem, *Antè Factum, poſt Relatum*: vtrique ſilentium indicens Satyricus quidam; hanc tertiam addidit interpretationem: *Æmilius Fecit; Plectitur Rutilius*. Non raro etiam ex iis initialibus literis una tertia dictio componitur. Id exhibebat Rodulphi Secundi Imperatoris teſſera voce illa: *ADSIT*: quam ſic explicare conatur Nicolaus Reuſnerus: *Auxilium Domini Sit Iniquis Terror*.

Sextò numeros, in quibus analyticè dictio reſolvitur (quod inter intrinſeca invētionis loca fuſiùs explicuimus) extrahēdo. Apocal. 13. v.18. Sic D. Joānes * Beſtiæ nomē ænigmatico obvolvit numero 666. Sybilla quoque futurum Julii Cæſaris Imperium ex denario numero, quem litera *I* apud Græcos notat; & ex vigenario, quem deſignat *K*; prima ſcilicet ejus nominis grecè ſcripti elementa; ſic deſcribit:

Primus erit Regum: cujus capitalis habebit
Litera bis decies; (poterit qui plurima bello)
Et numeri formam primam denarii habebit.

Septimò demum (ut plures cæteros huc ſpectantes modos omittam) elementorum imagines rerum aliarum figuris affinibus imitando. Figuratum autem aliquam propoſuimus ideam; cùm de Locali Memoria diceremus. Nunc ſit tantùm exemplo *JESUS* dulciſſimum Nomen ſic à Scaligero deſcriptum:

Dic mihi, quale putes Nomen: quod recta Columna
Inchoat: inde Tridens ſuſtinet: nectit item
Flexus utrinque Uncus ſecat: hinc Bivii nata; claudit
Idem Uncus; medio qui ſtetit ante loco.

LOGICUM tripliciter præſertim fit. Primò enim dictio, qua aliquid volumus indicare, colligitur ex pluribus literis; quarum ſingulas ſingulæ diverſæ ſignificationis dent voces. Innuitur autem; quænam ex ſingulis iis vocibus eligendæ ſint literæ; has (ex loco, quem in ſua quęque habent voce) modò puppim, aut proram; modò frontem, aut pedes; modò alio translato generis hujus nomine appellando. Sit exẽplum; quod, amico ſuum proteſtaturus amorem, quidam miſit, diſtichum:

Muſa tibi proram; Mars puppim; Troja carinam;
Donat Terra caput; dat tibi & exta Leo.

Sume nanque *A* à *Muſa*; *M* à voce *Mars*; *O* à *Troja*; *T* à *Terra*; & *E* à dictione *Leo*; & habebis: *Amo te.*

Secundò voces inquirimus: ex quibus diviſis variè, vel unitis; aut demptis ab iiſdem literis; vel iis additis; noſtram eruimus ſententiam. Variationem verò aliquando ſuppreſſè notamus: ut: *Sum ego una litera plùs, quàm Medicus:* ſcilicet *Mendicus*. Nonnunquam expreſſiùs indicamus: ut:

Quòd, tibi vincendos, toties mihi ſcripſeris, hoſtes:
Unum mitto tibi (reſeces modò Millia) Menſem.

Ex voce enim *Menſem* ſi *M* numeri millenarii notam auferes; retinebis *Enſem*. Quandoque omninò clarè oſtendimus: ut cùm, *apud Laertium, Kronos ita perſtringitur: *Stilponis ænigmaticos verſus non explicaſti. Igitur deprehenderis Kronos ſine K, & ſine R.* Remanet nanque, literis iis ablatis, *Onos*: quod græcè *Aſinum* ſignificat. Nec rarò translatis aliis proræ, aut frontis, ſimiliumve, nominibus, innuimus: cujuſmodi illud eſt: *Res eſt; quæ, dempto capite, volat:* Navis ſcilicet nomen, *N* truncato, remanet *Avis*. Sic & illud aliud: *Mitto tibi Navem puppi, proraque carentem:* ſcilicet *Ave*. *Laert. in Stilpon.*

Tertiò ſunt quædam voces dimidiatam exhibentia ſententiam: quæ proinde evadit obſcura. Terribile generis hujus Ænigma,* ſui vindictam ſacrilegii, Balthaſſar inſcribi vidit: *Mane, Thecel, Phares*: ſcilicet: *Numeravit, Ap-* *Daniel. 5. v. 5.*

pen-

pendit; Diviſit. Hujuſmodi quoque ſententiam credidit Divus Henricus Bavariæ Dux, & Conjux Sanctæ Cunegundis; cum qua celebs vixit. Cùm enim apparens ſibi Sanctus Vvolfangus in pariete ſcripſiſſet: *Poſt ſex*: ſedulò ſepius, prudénſque Dux parare cœpit; putans; poſt ſex dies; aut menſes, vel ſaltem annos, ſe à vivis diſceſſurum. At felix omen expoſuit eventus; ubi ſextum poſt annum Imperator is fuit renunciatus.

REALE demum (quod magis Oratorium eſt) Ænigma cujuſvis generis Oratione, quà Symbolica, quà Lapidaria, quà alia quacunque, proponi poſſe; minimè dubitamus. Conſtruitur autem deſcribendo rei non modò partes, & intrinſeca quævis ejus ſubſtantiæ; verùm & circunſtancias, ſive cunctas, ſive plures obſervando. Materiam itaque conſiderat deſcriptio humanæ dexteræ talis ludentis in tabula: *Vidi carnem humanam oſſibus ludentem in campo ligneo*. Formam intueretur (accidentalem nempè figuram) quiſquis pro Trinacria Trigonum; pro Italia Ocream; pro Meſſanenſi Portu Falcem, vel Neptuni Brachium nominaret: Efficientem Cauſam, ſimúlque relativum Effectum notat illud; forte diem, noctémque deſignans:

Eſt, qui me genuit: nec ſine me naſcitur ipſe.

Hæc autem omnia debent obſcurè proferri; ut fiat Ænigma. Sunt enim, quæ deſcribuntur, veluti materia; obſcuritas, veluti forma. Obſcuritas verò omnis ex apparenti rerum incongruentia hic habetur: docet namque * Ariſtoteles: *Ænigmatis forma eſt Oratio, quæ ex minimè congruentibus inter ſe conſtat*. Omnis autem incongruentia vel eſt inter Diſparata; vel inter Oppoſita. Oppoſita verò (ut integrum eorum percurramus locum) Adverſa ſunt; Negantia; Privantia; vel Repugnantia: quibus ſignatè addo Relata; quatenùs de eodem nequeunt verificari. Relata illud habet: quo Phœnix dicitur *Sui genitrix, ac ſoboles, altrix, & alumna*. Repugnantia (quæ ſcilicet opponuntur; non tamen certa aliqua lege) nectit Valerius Maximus; ſic reflectens ſuper énarratum Gorgiæ ortum ex Materno cadavere; dum ad ſepulchrum efferretur: *Itaque eodem momento temporis; altera jam fato functa, peperit; alter antè elatus, quàm natus eſt*. Privantia complectitur * Plato deſcripturus (ut in-

Ariſt. Poet. c. 21.

interpretatur Athenæus): Eunuchum lapide pumice perſtringentem veſpertilionem ſedentem in frutice ingenioſè fictum: dum eum virum non virum dicit, videntem ſimul, & non videntem, ſic: *Vir, non vir, videns, non videns; avem, non avem; percuſſit, non percuſſit; lapide, non lapide; ſedentem, non ſedentem; ſuper arbore, non arbore.* Negātia in eo ſunt Alexidis (Antiphanë alii volūt) quod de Somnio interpretatur Athenæus: *Non eſt mortalis, nec immortalis: nec ut homo; nec ut Deus vivit; cuique naſcatur ſubinde novè; perit tamen ejus præſentia; inviſibilis; notus tamen omnibus.* Adverſa conciliat poſterior Ænigmatis pars; quòd hæc habet de Teſtudine: *Quædam eſt hoſpes, non hoſpes: quæ domi ſemper manet; ſemperque peregrinatur.* Diſparata cōtinet major Ænigmatū numerus: ex quibus tamen illud de Laterna ſit exemplo: *Eſt ardens Amazon ferream habens galeam; & oſſeum pectus: fuſca foris; & intùs clara: tenebroſo vultu; flammeoque ſinu: quæ vagatur noctu; & diu quieſcit.*

Verùm: cùm in re quapiam, aut circùm ipſam, nequeant incompoſſibilia reperiri; quæ propriis deſcripta nominibus conſtent Ænigmata: ad aliena eſt plurium incongruentium rerum nomina recurrendum; quæ tamen ad congruentium aſſumantur ſignificationem. Hæc autem aptiſſimæ Translationes ſuggerunt; & Æquivocationes: quæ duplex tantùm eſt via rem alieno (quoad primum ſaltèm intuitum) vocabulo nuncupandi. Unde & Ariſtoteles ait: *Omninò ex probè factis Ænigmatibus licet Translationes ſumere. Tráſlationes enim faciunt Ænigmata.* Exemplis tantùm aliquæ percurramus. Æquivocationem habet vocis *Nepos*; quæ ex filio natum æquè ſignificat, & bonorum conſumptorē; quod diſſoluto Nepoti quidam comminatur: Ariſt. 3. Rhet. c. 4.

Care Nepos: mores ſi vis tractare Nepotum:
Incipis eſſe Nepos; deſinis eſſe Nepos.

Synecdochem adhibuit Plautus ſervo comminaturus bubula flagella: *Mittam te; ubi vivos homines mortui incurſant boves.* Metaphoram verò, vix eſt, quod non contineat: quare definitur Ænigma à Diomede: *Occulta ſentētia per occultam rerum ſimilitudinem.* Eſt autem Ænigmatica Metaphora; ſive quòd ex pluribus diſparatis rebus voces colligit

git rerum incongruentium: ſive quòd remotam nimis Metaphoram protrahit Allegoria. Primi generis eſt Ariſtotelicum illud Ænigma Manum per partem ſignificans; nempè Carnem: Talos per Materiam; ſcilicet Oſſa: & Menſam per remotiſſimam Campi ſimilitudinem. Poſterioris verò eſt Deſcriptio Anni duodecim conſtantis Menſibus; qui & triginta ſinguli diebus luce, & tenebris diſtinctis componuntur: quam ſic proponit Cleobulus:

Eſt unus Genitor: cujus ſunt Pignora bis ſex.
His quoque triginta Natæ ſub diſpari forma.
Aſpectu hinc Niveæ; Nigræ ſunt vultibus illinc.
Sunt immortales omnes: moriuntur & omnes.

APPENDIX
DE IMITATIONE.

IMportuna cùm aliquando ſollicitaretur quæſtione Sarracenus Abdalas; ut, quid tot inter univerſa Naturæ miracula præ cunctis putaret admirabile, renunciaret: non barbarè; ſed pro ſummi Philoſophi ſapientia, & gravitate, reſpondit: hominem unum eſſe; qui jure maximam omnium obtineat admirationem. Homo nanque; Dei cùm gerat inſculptam animæ, expreſsánque imaginem; cumque cæteris omnibus excellentius habeat corpus; in omnia temporis momento ſe transformat; ac Protei more, mille induit figuras. Hoc varietatis prodigium ſolo debetur Imitationis induſtri penicillo. Quid enim habet homo: quod non Imitationis ſit opus? Sacræ luce clariùs teſtantur * paginæ: primam hominis efformationem Divinæ fuiſſe Imitationem ſimilitudinis: dum, omnia qui ſolo condidit imperio, Summus Opifex Deus; ubi creare hominem voluit; ſuæ, veluti Sapientiæ conatus, artiſque ſolertiam adhibens: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Eidem omnibus aptam, ad omnia facilem, omniúnque ad Imitationem inclinatam indidit naturam: ut ritè Plinius *Mundi Epitomen* hominem appellarit. Nil enim ferè toto in univerſo conſpicitur: quod in

Geneſ. 1. v. 26.

ſui præſidium; quà tuendo corpori, quà animo ornando, non homo converterit Imitatione. *Nam * & inſitum eſt à natura hominibus imitari: & primas diſciplinas imitando acquirunt.* Primos textores aranea; ſagittarios hiſtrix; architectos apis, & hirundo; muſicos luſcinia; nautas cycnus; pictores umbra; medicos inſtituit brutorum multiplex genus; ut monet * Plutarchus. Nauplienſibus quoque (teſte Pauſania) quædam dedit aſinus agriculturæ præcepta. Cùm enim demorſam ab eo vitem, quam perituram exiſtimabant, ſequenti anno lætiores, uberioreſque proferre fructus vidiſſent; fortuitum ad animum traduxere, & putatione imitari cœperunt: ut apud eos experimentum invenerit illud * Chryſippi:

Arist. Poet. 2. — *De animât. compar.* — *in Proverb.*

Quod tu non noſti; fortaſſis novit aſellus.

Mitto pueriles ludos, prima Imitationē anhelantis Naturæ rudimenta. Lepidiſſimum equidem ſpectaculum, tenellos intueri Simiolos graviorum, quas aliquando obſervarint, actionum ſimulatores. Hìc ædificia ſiccis ex arenis erigere oppidò caſura: illìc inermia bella meditari. Modò, liturgiis effictis, ſacris initiari: cancrinis modò tripudiis agere choreas. Quà levium, non armaturæ ſolùm, ſed & equorum, velites in arundinibus equitare: quà innocuis jurgiis (ut Horatius * loquitur) rixari de lana caprina. Verùm hæc omnia joco. Ad magis ſeria veniamus. Undè cordis interpres, loquendi facultas, ſuam duxit originem; præter unam Imitationem? *Cùm ex infantibus* (ut ait * Auguſtinus) *loquentes non fiant; niſi locutiones diſcendo loquentium.* Aut ſcribere quî diſceret: qua ratione mechanicas quaslibet artes ab inſtructoribus hauriret puer: niſi magiſtri ductus, exempláque ſecutus, praxi conſueſceret præceptorum? Majora tamen rem confirment. Quis unquam magnorum hominum ſummus ab initio procul Imitatione fuit? Quæque ſcientia ſuam ab incunabulis eſt nacta perfectionem? Itaque, vel facultatum ſola primordia quiſque adinvenit: vel quæ alii rudibus duntaxat prætexuere principiis; multis ætatibus, multis conſpirantibus ſtudiis, aliorúmque inhærens veſtigiis, ad apicem ferè deduxit.

Horatius I. epiſt. 19. — *Doctr. Chr. l. 4. c. 3.*

Quapropter (ut tandem ad noſtrum propiùs accedamus inſtitutum) vix aliquem reperire erit Eloquentiæ faſti-

gium

gium attingentem: qui non apud alios, quod ſibi deerat, requiſierit; atque id totum Imitationis ope fuerit conſecutus. Pericles * Piſiſtratum eſt imitatus: Periclem * Demoſthenes: (cui &, Lucianus auctor eſt apud * Cælium, octies exſcriptum Thucydidem fuiſſe. Demoſthenem ex Græcis Cicero) quemadmodum è Latinis * Q. Hortenſiū;& Ciceronem Satrius * Rufus; cujus non contentus facundia, æmulus eſſe voluit. Ariſtoteles quoque Iſocratem in Rhetorica arte æmulatus eſt; quem & ſuperavit, ſi non exemplis, certè præceptis: ac dicere * ſolebat; turpe videri, Ariſtotelem ſilere, Iſocrate loquente.

Plut. in Vit. Per. *Plut. in Vit. Dem.* *Antiq. lect. l. 3. c. 19.* *Cic. in Brut.* *Plin. Epiſt.* *Sabell. l. 9.*

Hæc tamen cùm ita ſint: non deſunt; qui (ut cùm Juniore * Plinio derideam) *Statim ſapiunt; ſtatim ſciunt omnia: neminem verentur; imitantur neminem: atque ipſi ſibi exempla ſunt.* Eò nanque proceſſit eorum arrogantia: ut quod aliis decori fuit, & emolumento; ſibi pudori tribuant, & dedecori. De horum, puto, deplorabili ſorte Bionem * locutum; cùm dicebat; arrogantiam eſſe profectus obſtaculum: *Indocilis enim eſt; qui mavult doctus videri; quàm eſſe.*

Ennead. 3. Plin. l. 4. Ep. ad Avit. *Laert. l. 4. c. 4.*

Procùl igitur ab ingenuis Candidatis error hujúſmodi. Non enim omnibus ab initio ſtatim mens eximia. Pejores ſequi erubeſcamus: non meliores imitari. Atque inſultantibus; non omnia noſtro nos obtinuiſſe Marte, armíſque noſtris in Oratoria palæſtra; objiciamus, quæ ſibi improperantibus, quòd in multis Homerum imitatus eſſet, reſpondiſſe fertur Virgilius: *Magnarum eſſe virium, auferre clavam de manu Herculis.*

ELIGENDI itaque, poſt oculatam, ſedulánque inſpectionem, è melioribus plures: qui ſint exemplo ad ea, quæ noſtrum decent munus. Quare & Poetarum, & alterius cujuſque generis auctorum lectionem haud reſpuo: è quibus, & argutias non paucas; & ſolidiora translata; & aliquem deſumam numerum; aut alia ad Oratorium opus adjumenta. Si enim torpidis è corporibus ſpiritus; & è venenis ipſis antidota deducit ars: imò, ſi Natura ipſa, admirabilis chimiæ ſolertia, nutrimenta haurit ex cibis; atque emortuis rebus vitam ſpirantis corporis auget partes: cur aliquid invenire boni egregiorum Poetarum, aut aliorum

cujuſvis generis elucubrationum lectione deſperem? Aliud quidem eſt; uberiorem ad rem Oratoriam ſubminiſtrare copiam Oratores: aliud verò; cæteros nihil prorsùs apti cõtinere. Prius ultrò concedo: poſterius conſtantiſſimè inficiabor. Sed ego jucundum puto laborem: quo melius aliquid ſemper lucrari contingat. Quod & Horatius, * ſe facere, his teſtabatur:

Horatius l.4.Od.2.

Ego, apis matinæ
More, modoque,
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, vividique
Tyberis ripas, operoſa parvus
Carmina fingo.

Meliores autem eligendos volo: quos noſter imitetur Candidatus. Qua enim laude dignum, levioris conformari ponderis exemplari? Certè ſemper deriſi vanam * Parmenionis oſtetationem ob ſimulatum ad naturalem uſque ſonum grunnitum ſuperbientis. Fuerit ultrò plaudentibus Græcis ſingularium deliciarum loco. Inſuperabilis acquiſierit penès theatrum omnem dexteritatis famam. Atque, etiam vero ſue ex abdito grũniẽte, deſpicientes Græci clamaverint: *Quid hæc ad Parmenionis ſuem?* Nihilo ſanè ob id porco evaſit nobilior Parmenio. Mitto: quòd ſæpè vitiis penè inemendabilibus recens imbuitur animus. Quod Fabiano cuidam Philoſopho contigiſſe; Senior teſtatur Seneca. Is Arellio Fuſco, ſui cognominis Oratori, operam cùm dediſſet; implicatum *ejus genus dicendi imitatus; plus deinde laboris impendit, ut ſimilitudinem ejus effugeret; quàm impenderat, ut exprimeret.* Cæterùm: auctorum catalogum, quos imitemur, proponit toto ferè capite primo decimi libri ſuæ Inſtitutionis Oratoriæ Quintilianus.

Plut. cõviv. qu.

Plures verò magiſtros volo; quos ſequar: nec mihi ſufficit unus. Quanvis enim damnandam inconſtantiam putem eorũ, qui in eadem virtutis, dignitatiſque ſpecie plures cùm ſibi proponant; dum non ad ſingulorum pro libitu imitationem ingenium ſufficit; nemini unquam ſimiles, ſemper ſeipſis evadunt deteriores: opus tamen eſſe arbitror, Zeuſis induſtri ſolertia è quinque inter Crotoniatas omnes pulcherrimis virginibus compoſitam ad omnem venuſtatem

tem

tem unius mulieris imaginem deſumentis. *Natura* (ut Ciceroni * conſentiam) *nulla eſt : quæ non habeat in ſuo genere res complures inter ſe ; quæ tamen conſimili laude dignentur.* Non uno duntaxat ſidere cœlorum ſpeciem ornavit Divinus Opifex. Non uno tantùm pomo Amaltheæ cornu fœcundatur. Non ex uno flore ſerta texuntur. Non ex uno colore eruditæ pictorum tabulæ conſurgunt. Harmoniam diſſimilium concordia vocum exprimit. Emblemata varii conſtruunt lapilli. Orbis demum univerſus è multiformium partium concinna temperie coaleſcit. Accedit quòd non omnia quiſque valet: nec undèquaque perfectam dicendi formam eſt reperire. *Longè perfectiſſimus Græcorum eſt Demoſthenes : aliquid tamen aliquo in loco meliùs alii :* inquit * Fabius. Non ſemper ſapit Sapiens : & aliquando bonus quoque dormitat Homerus. Quidni igitur, in quo meliores video, ſequar & alios? Num cum dormitante ſomniare cogar: aut cum errante magiſtro deſipire?

de Orat. 3

inſt. 10. c. 2.

Meliora igitur, & aptiora, è melioribus pluribus eloquentibus eruta ſunt objicienda imitanti. *Prudentis enim * eſt, quod in quoque optimum eſt, ſi poſſit, ſuum facere?* Habent ſua quique vitia; è quibus ſint ſegregandæ virtutes. Plato, quotquot ad ſuum uſque tempus fuerunt, ſuavitate, prudentia, gravitate, dicendi genere ſublimi, excelſo, admirabili, penè divino, facilè ſuperàvit; ut ejus in ore non immeritò apes mellificaſſe, diceres; Jovémque, ſi græcè loqui voluiſſet, Platonis ore crederes locuturum: ſed tamen verbis propriis, uſitatíſque neglectis; novata nimiùm ſecutus eſt, & antiqua, ac peregrina. Iſocratem aſſidua centeſimum aduſque annum * ab adoloſcentia exercitatio reddidit Inventione admirabilem; heroicum magnificentia, illuſtrem Argumentorum ſplendore; Diſpoſitione prudentem; in moribus exprimendis induſtrem; atque (ut cenſet Tullius) Eloquentiæ Patrem: attamen ſcholaſticis laboratorum minutiis; hiulca nimio vocalium concurſu Oratione; moroſa ad ſatietatem uſque affectatione; exactis ad vitium numeris, & circunſcriptis verborum ambitibus; dicendíque genere ſemper eodem, ſempérque molli. Demoſthenis laudes indeſeſſis reſonat encomiis poſteritas; tanquam in ſe omnium virtutes, ceu colores omnes in Iride, habentis: habet

Quint. ibid.

Dion. Critic. Epiſt. ad Pompei.

Socrat. in Phedr. Plat.

Longin. de [illegible] nihilominus, quę reprehendantur; rudes mores, * & af-
Celſ. fectus, languorem, * & frigiditatē in laudationibus; & mor-
Dion. de De- dacitatem aduſque trivialia maledicta deſcendentem, præ-
moſth. ſertim in Æſchinem; ob quam *Argas* (quod feri nomen
eſt ſerpentis) vocabātur: ut ulteriori parcam tanti Orato-
ris cenſuræ. Ciceronem ipſum agnoſcite; ſummum in do-
Orat. 2. cendo; in dicendo maximum. Quis tamen notatam ab Apu-
lejo * verboſitatem; quæ ne proprio quidem filio probari
potuerit: quis invidioſam, turgidánque ſui jactationem:
quis maledicentiam diſſimularet? Arte proinde debet præ-
ditus eſſe, quiſque alium ſibi proponit imitandum: ut ſin-
gulas artificii partes perſcrutetur; & leges, quibus confor-
mes eæ ſunt: rationéſque univerſas; ob quas circunſtan-
tiarum omnium congruant dignitati. Suos enim, inſtar
aquilæ, probatos vult alumnos Eloquentia.

EST autem IMITATIO, prout hìc ſumitur, *Rei cujusli-
bet ex induſtria inſtar alterius effectio*. Quare duo præſertim
exigit vera Imitatio. Primum horum diverſitas rei, quæ ab
imitatore efficitur, ab ea, quę normę eſt: ut vel diverſa
materia ſit: vel, ſi eadem; diverſum thema, aut argumen-
tum: quod ſimili Diſpoſitionis, aut Elocutionis artificio
veſtiatur. Vera enim ſimilitudo ſemper inter diſtinctas res
intercedit: & nemo exactè dicitur ſimilis ſibi ipſi; ſed idem.
Quo ex capite à veræ Imitationis ratione excludimus, tùm
Orationum ex uno ad alium codicem, ſcribarum more,
tranſcriptiones: tùm interpretum traductiones ex uno ad
aliud idioma. Similiter (bona Verani * pace, & Theſauri, *
Ver. Panth. dicam, quod ſentio) & novum modum multipliciter vari-
l. 1. prolcg. 8. andi ſententiam aliquam, Figuràs percurrendo Pathethicas;
& 10. aut Grammaticales omnes Conjugationes, & Synonima:
Theſ. Cann. ut dicens: *Heu merent! heu lachrymabunda lucent ſidera*:
c. 3. Metaphoram illam imitetur: *Sidera lugent*. Hujúſmodi
nanque variationes potiùs ad Exornationem attinent; aut
Amplificationem Verbalem. Secundum, quod Imitatio
requirit, eſt Artis ſimilitudo; non ſolo habita caſu, vel nà-
turali quadam neceſſitate; ſed ex induſtria. Quis enim
arborem imitatricem arboris diceret; eoquòd ſimilia det
poma: aut gallinā exēplo eſſe gallinæ ad ſimillima ſuis ova
proferenda? Protogenemquoq; in ōnibus Naturæ ſolertiſ-

ſimum

ſimum imitatorem putabo: at ſpumæ, * quam anhelantis canis imagini, impacta ſimilitudinem deſperante manu ſpongia, reddidit; non artificem unquam; ſed fortunatum rebor aſſecutorem. *Ælian. var. hiſt. l. 12.*

Æmulatio verò eſt *Imitatio meliorum cùm præcellentiæ ſtudio*. Ad quam utique generoſiorum omnis conatus ingeniorum deberet aſpirare. Primùm, quòd ſervilem indicat animum, ita aliorum imitari ſingula: ut nihil quæramus; nihil noſtro (etiam valentes) reperire Marte velimus; ſacrúmque ſit non in magiſtri verbo jurare. Hujúſmodi proinde ſcrupuloſos aliorum pediſequos *Servum pecus* aptè vocat * Horatius: eoſdénque his Seneca * monet: *Qui ante nos iſta noverunt; non domini noſtri; ſed duces ſunt*. Deinde ſummam rationalis puto naturæ injuriam, tot ei denegare velle novarum rerum acceſſiones; quibus ejuſdem pulchritudinem, concinnámque varietatem quotidie perſpicaciorum augere hominum inventa, paſſim experimur. *Quid enim* (inquit * Fabius) *futurum erat temporibus illis, quæ ſine exemplo fuerunt; ſi homines nihil, niſi quod cognoviſſent, faciendum ſibi, aut cogitandum putaſſent? nempè nihil fuiſſet inventum. Cur igitur nefas eſt, reperiri aliquid à nobis; quod antè non fuerit?* Certè quælibet artes rudia priorum ex inventorum mentibus primordia ſortitæ ſunt; perfectionem ſucceſſione temporum à ſuis cultoribus conſecutæ. Veritas crepuſculos habuit ante meridiem. Quin mundi ipſius Sapientiſſimus Opifex terram primùm creavit inanem, & vacuam: deinde omnigenis vegetantium complevit ornatibus. Addo quòd (ut Quintilianus ait) *plerunque facilius eſt plus facere; quàm idem*. Cujus utique ratio videtur: quòd minores ſemper ſumus; quàm eſſe contendimus. Quare gladiatores gravioribus addiſcere conantur armis; quàm pugnant. Pluribus ante luctam reſiſtere aſſueſcunt athletæ; ne à ſingulis vincantur. Sagittas qui jaciunt; ſcopo eminentius dirigunt ad ſignum. Similiter agere quiſque debet; ut prior ſit: ut, ſi fortè præcedere nequibit; ſaltèm æquet. Eum ſiquidem æquare nemo poteſt; cujus veſtigiis invariabili ſibi, putat, inſiſtendum greſſu. * *Neceſſe eſt enim; ſemper ſit poſterior; qui ſequitur.*

l. 1. Epiſt. 19. ad Mæcen. *Sen. Epiſt. 33. l. 4.* *inſt. 10. c. 2.* *Quint. inſt. l. 10. c. 2.*

Furtum autem eſt *Alienæ rei, tanquam propria, uſurpatio*.

tio. Quamobrem à furti nota penitùs eos abſolvo: qui, licèt (ut dicitur) ex libris librum faciant: quæ tamen ex aliis ſumunt; non ut ſua venditant. Quin & hujúſmodi collectores in præceptivis artibus tradendis laudo: ſi præſertim aliorum dogmata nova diſpoſitione faciliora reddant; ſuis aliquot rationibus firment; ſtyli claritate illuſtrent; recentiorúmque obſervationum ingenioſa acceſſione fœcundent. Non enim ipſorum eſt ex ingenio præcipere: ſed, quæ longa obſervatio, vel diuturna conventio præceperit, exhibere. Fures econtrà conſtanter eos dicam: qui alienum opus, quantúmvis deformatum, ne dignoſcatur, proprium facere non verentur. Id enim furibus omnibus eſt induſtriæ: ut ex pallio centonem faciant; & ex inauribus annulum; ne deprehendantur. Prætereà fures eos cenſeo: qui (ut ait * Quintilianus) *abrupta quędam, ut fortè ad manum venere, jaculantur: unde fit; ut diſſoluta, & ex diverſis congeſta Oratio cohęrere non poſſit; ſimiliſque ſit commentariis puerorum, in quos ea, quę, aliis declamantibus, laudata ſunt, congerunt*. Iis quoque ſimilem inuro notam: qui, vel minimum, aliquid ſuum faciunt; cùm ſit alterius. Sive penulam auferas; ſive purpuram; fur ſemper eris. Non enim rei pretium conſtituit: ſed aggravat ſolúmmodo furti pondus. Aliud quippe eſt; quenquam excuſari ob rerum, quas aliunde exſcripſit, levitatem reſpectu ad ea, quæ ſuo peperit ingenio; aliud verò longè diverſum; eſſe penitùs innocentem. Impudentiſſimum proinde Concionatorem illum dicam: qui, apud * Areſium, notatus, quaſi aliquid furatus eſſet à quodam libro, reſpondit; ideò ſibi illum emiſſe; uti, quatenùs opus eſſet, uteretur.

Inſt. 2. c. 11.

Art. pred. l. 4. c. 23.

Occurrit tamen nunc calamo: quomodo quiſque valeat Orator aliorum argumenta, ſuppreſſo authorum nomine, laudabiliter uſurpare. Quid enim? Improbè num faciunt Sacri noſtrorum temporum Concionatores; iique Eloquentiſſimi; quibus acceptiſſimus jam mos eſt; è melioribus alienarum Orationum hortulis fragrantiores degere rationum flores; ut ſuos congerant faſciculos? Num cenſura dignos putabimus Sanctos Patres ex ſeſe invicem infinita propémodum haurientes? Abſit; ut hoc audeamus. Quid igitur? Cùm non omnes omnia attento potuerint ſtylo pro-

ponere; quæ tamen ſuadendi vim continent minimè deſpiciendam; laudabile quidem erit iis nervum addere; atque ad Oratoriam aptare ſuaſionem: quandoquidem non tam ingenii in inveniendo pompa; quàm ſuaſionis hîc fructus exquiritur. Inſuper plura, quæ ad ſolum ornatum penès varios authores ſparſa, leviora videbantur, in unum ad irruptionem congerere, præſentibus & circunſtantiis aptare, laudabile. Quid verò; cùm haud nunquā aliqua ſummi ponderis occurrat legenti ratio; & cui vix aliquam ſit reperire ſimilem? Hæc igitur abſcondenda auditorum erit animo? Hæc Oratoriæ Confirmationis (cui præcipuus ſcopus ſuaſio eſt) vehementiæ deneganda? Accedit pro Sacræ Eloquentiæ profeſſoribus: quòd, cùm eadem ferè ſemper ſint, quæ tot diſcutiuntur quotidie Orationibus, themata: cúnque præcipuum robur probationibus dent auctoritates è Sacris erutæ literis; aut ex experientia rationes; quas utraſque nulli eſt integrum ingenio componere ſuo: difficillimum erit, ni impoſſibile dicam, novum aliquod meditari. Proindéque prudentiæ magis conſonum in Elocutionem eorū, quæ ab aliis probata inveniuntur, ſtudium convertere: ut & novis induantur ornamentis: & recentibus, ac efficacioribus formulis animentur. In his tamen omnibus; nec Imitatio locum habet; nec ea, de qua mox ſumus locuti, Æmulatio. Non imitatio quidem: quia aliena corrigere, vel immutare; imitari, atque aſſimilare nequaquam eſt. Neque Æmulatio: quæ imitatorum virtus eſt ad excellentiam; de qua nobis hactenus ſermo.

LEGES porrò ut IMITATIONIS proponam: tria præcipua conſiderabo Oratoris munera: Inventionem ſcilicet, Diſpoſitionem, & Elocutionem. Memoriæ enim, & Pronunciationis Imitatio; qua, vel memoriter addiſcendi, retinendíque artificium aliis probatum; vel vocis, actuúnque aptam dignitatem ſequimur; notior omnibus eſt; quàm ut in ejus explicatione tempus diſperdamus.

Inventio tria conſideranda præbet: Thema; Propoſitionis formam; & Loca Argumentorum. Thema ſi Imitatio ſuggerit; ſemper diverſam exigere materiam, quam ſubjectum appellant; certo certius ex dictis eſt. Nihil enim aliud Thema conſtituit; niſi materia; quam ſuademus, aut

 diſ-

diſſuademus: & forma ; ſeu prædicatum Honeſtatis , Utilitatis , Jucunditatis , vel his oppoſitum; quod ei tribuimus . Quare tota efformantis Thema conſiſtet Imitatio in eruendo ex eodem loco, vel oppoſito, prædicatum ; quod de oppoſita , ſimilive materia confirmandum tota aſſumatur Oratione . Sic : dixerit aliquis ; Eleemoſynam eſſe mercaturam ; Utilitatem (quantùm ad Thema pertinet) tribuens Eleemoſynæ : hunc imitabor ; ſive utile dicens Jejunium , ut id ſuadeam ; ſive , ut ab ea retraham , noxiam Gulam , aut Avaritiam . Propoſitionis forma duo, præter Thema, dicit : Unitatem ſcilicet, & Novitatem . Unitatem imitari non poſſumus : niſi plura Thematis puncta eodem nexus genere glutinando : ſi tamen eandem habeant proportionem ; & ad eum recipiendum nodum ſint apta . Sic eum ; qui corporis , animique emolumenta ſub unica reduxit Utilitatis Theſi; imitarer , ad unam univerſalem redigens Utilitatem ſalutis, quam animæ , corporique affert Jejunium . Novitatem verò imitamur , inſtar Problematicæ, Comparativæ , aut Metaphoricæ, Problematicam, Comparativam , aut Metaphoricam aſtruendo . Quamobrem: cùm Metaphorica ſit , quam in exemplum adduximus , Propoſitio Eleemoſynam aſſerens Mercaturam : eam imitabor dicens ; Jejunium eſſe vitæ Arborem . Ubi tamen obſervandum : aliud eſſe , Propoſitionem imitari Metaphoram ; de quo nunc ſumus locuti : aliud , ipſam Metaphoram imitari ; indè eam repetendo ; undè & aliam deſumptam eſſe , comperimus ; quod ad Elocutionis attinet Imitationem . Loci verò iidem ſemper eſſe reſpectivè poſſunt ; ubi diverſum eſt Thema confirmandum: ut ſi ex Etymologia; ex Partibus ; ex Oppoſitis; aliiſque ſimilibus , quà intrinſecis,quà extrinſecis arguas : ex quibus is confirmavit; quem vis imitari . Sed obſervandum tamen : rationum alias ad ſolius attinere Thematis Probationem : alias verò ad formam, ſeu Novitatem Propoſitionis . De prioribus dictum jam ſatis eſt . De poſterioribus monendum remanet: ut ejuſdem ſit generis Propoſitio , nempè ſimilis formæ, cum ea; cujus Probationem decernimus imitari . Quid enim,ſi Problematicæ inſtar quæſtionis,argumenta veſtiges ad Allegoricam Propoſitionem confirmandam ? Utique laborabis

in

in diſceptando : an Chriſtus Dominus ſit iſte, qui diem illuminat, Sol : an D. Joannes ſit Aquila: & hujúſmodi inanibus deſudabis nugis. Quodcunque autem de Confirmatione totius Orationis eſt dictum : intelligendum opto de locis inſervientibus ; ſive captandis animis Exordio ; ſive iiſdem immutandis Epilogo. Quapropter ſi Docilem, vel Benevolum reddere conaris auditorem : eum imitare ; qui talem fecit : modò & ſimiles interveniant circunſtantię tui; ipſorum, qui audiunt ; eorum, de quibus loquendum ; cæteraque cuncta. Undè averſum à Cauſa Principem ſuaſurus, Orationem pro Ligario potiùs; quàm aliam : populum verò convicturus, Agrariam ex Cicerone propones imitandam. Similiter ſi Miſericordiam requiret Cauſa, & recipere valebit auditor; aut ſi alium quemlibet animi motum: eos tibi propones ; qui talem ſimilibus in circunſtantiis civerunt affectum : & ex iiſdem repetes locis ; è quibus ipſi feliciter excitarunt.

Diſpoſitio ; ſive Concluſionum ſit, aut Argumentorum; ſive Rerum, aut Doctrinarum ; quę, vel in Exordio, vel in Orationis corpore dicuntur : ſemper diverſas res optat; aut rationes ; concluſiones ; ac doctrinas : ſed tamen ſimiles habentes cauſas ; ob quas hanc potiùs Ordinem, quàm alium, exemplaris inſtar, obtineant. Videndum igitur quare is, quem imitamur, Naturali (exempli gratia) Ordine poſthabito, res Libera Diſpoſitione donaverit : an ſcilicet, ut Oratio creſceret ; útve ſucceſſivè magis auditorum affectus augeretur: & ſi eadem pro noſtra militāt Cauſa ; ei adhærendum : ſin minùs ; alia quærenda norma eſt.

Elocutio ; quemadmodum plura requirit ; ita non pauca habet, quæ Imitatione conformentur. Stylus omnia continet ejus munera. Proinde ſatis eſſet monere : ut hic aſſimiletur ei ; quem in ſimilibus circunſtantiis dicentis, auditorum, & rerum, compertum eſt, egregium quenquam adhibuiſſe Oratorem : eaſdémque figuras habeat ; vocum genus ; & harmoniam : vel in contrariis contraria ; cùm contrariorum eadem ſit ratio. Ne tamen ſpecialioribus deſimus præceptis: ſolas Metaphoras paulò diligentiùs inſpiciemus. Ars ſiquidem Sententias quaslibet imitandi à

pluribus eruditiſſimis præceptoribus, data (ut verum fatear) nihil continet peculiaris induſtriæ. Quid enim ejúſmodi docet ars? Sententiæ, inquiunt, vel idem diverſo tribuunt ſubjecto; vel diverſa eidem; vel demum diverſa diverſis; putà contraria contrariis; comparatis collata; & de cæteris pariter: ſemper tamen ſimilem eis dicendi formam ſuggeret Imitatio. Sic: cùm Apoſtolus * de Charitate dixerit: *Nunc manent tria; fides, ſpes, charitas; major autem horum eſt charitas*: & alibi *de Tribulatione Juſtorum: *Tribulatio patientiam operatur; patientia probationem; probatio ſpem; ſpes autem non confundit*: utrunque locum eſt imitatus D. Bernardus. De Oratione enim * hæc habet: *Nunc manent tria; verbum, exemplum, & Oratio; major autem horum eſt Oratio.* De malis verò in preſſura poſitis * ſic aſſerit oppoſita artificio ſimili: *Tribulatio parit puſillanimitatem; puſillanimitas perturbationem; perturbatio deſperationem; & illa interimit.* Hæc certè fieri laudabiliter omnia poſſe, fateor. At duo continent: inventionem ſcilicet prędicati; & formam prędicandi. Primum nullam peculiarem habet artem, pręter eam, quam probandi vis exigit circa Topicam; effata nanque ſolùm ad evincendum aliquid enunciantur à bono Oratore; undè non quia ſimilia; ſed quia æqualis roboris, prędicta adhibuit prædicata D. Bernardus. Poſterius verò; cùm ſemper ſimilitudinem optet in modo enunciandi; ſatis ſub generali figurarum ſimilitudine continetur. Similiter & de Argutiis puto; univerſum eas imitandi artificium in Topica, Figuratáque Imitatione conſiſtere. Nil enim aliud earum primò inveniendarum ars continet: præter loca, undè eruuntur; & formulas eas exhibendi.

2. Corinth. 13. — *Rom. 5.* — *Epiſt. ad Bald. Abb.* — *Epiſt. 32.*

Metaphoras igitur imitaturis duplex occurrit via. Primò nanque artificioſiùs obſervamus; in quo fundetur ea, quam prototypon eligimus; ut in eodem fundetur & noſtra. Quare Metaphoram illam, *Prata rident*; quia in proportione fundatam; imitarer alia proportionis Metaphora, dicens; *Valles à montibus conculcari*: & *Roſeam Auroram* audiens; quæ ſimilitudini innixa Metaphora eſt; ejus inſtar, Lilia vocarem *Vegetantes hortorum nives*. Secundò faciliùs topicè comparamus ſubjectum, de quo meta-

ta-

Digitized by Google

taphoricè loqui volumus, cum eo, cui tribuitur exemplaris Metaphora: & quam inter hæc reperimus proportionē; eandem quoque tribuimus prædicatis. Dixerit ergo quiſpiam, Ver eſſe *Juventutem anni*: ſingula ego loca, & quidem intrinſeca, eum imitaturus percurram. Et nomen utrique difficillimè ſuggerere poteſt, tùm ſubjecti, tùm prędicati etymologiam, vel æquivocum; quæ necti valeant: dat tamen aliquibus utriuſque Conjugata: ut dicerent *Vernantis anni hilarem adoleſcentiam*. Nos autem, cùm furtum potiùs, (licèt prudens) quàm Imitationem dixerimus variationes hujúſmodi: ſterilem ferè ſemper hunc cenſemus locum; quantùm ad præſens attinet intentum. Partes verò Totúnque conſiderans;Temporum differentias, *Variam, ſibique ſemper diſſimilem anni vitam*, nuncupabo: quemadmodùm enim Tempus genus eſt, aut totum; & cunctas anni partes complectitur, tanquam ſpecies, aut conſtitutiva: ita & vita genus eſt cunctas continens ætates. Comparata docent relativo Autumno tribuere Virilitatem: vel convertere cùm prędicato ſubjectum, dicendo *Ætatis Ver* pro Juventute; quandoquidem prædicatum omne ſui ſubjecti Logicis correlativum eſt. Oppoſitio Hyemem *Anni Senectam* præcipit nuncupandam. Circunſtantiæ verò Cauſam Veris, nempè Solis radios ſuaviſſimis Zephyris temperatos, offerunt; Effectus quoque, ſcilicet venuſtos flores; & ſic de reliquis: ad quorum proportionem dabunt Juventutis circunſtantiæ Cauſam, videlicet calentiores ſpiritus, mediocri tamen prudentiæ temperamento frænatos; dabunt & Effectus, nempè vultus amœnitatem, ac ridentem lætitiam.

VITIA demum incautis imitatoribus tria præſertim inſidiantur: Inconſtantia; Ineptia; & Exceſſus. Inconſtantes ſunt: qui de eadem materia, atque in circunſtantiis iiſdem; modò hunc imitantur; modò illum: aut puerili levitate; quotquot legentibus ſibi, vel audientibus plauſibiles obvenèrint Oratores; tot varios eligunt vexillarios, quos in Oratorio ſequantur conflictu. Inepti his affines videntur; ſi incohærentiam dictionis, & circunſtantiarum attendas: ſi verò vitii ſpectes originem; ex diametro opponuntur

tur

tur. Sunt enim Inepti ſimiles Procruſtæ illi notiſſimi nominis prædoni: cujus in manus quotquot incidiſſent viatores; ſuo applicabat grabbato: & ſi proceriores inveniebat; amputatis pedibus, decurtabat: ſi breviores; funibus alligatos intolerabili nervorum extenſione cruciabat. Sic ii; de quibus nunc loquimur; uni, alterívе probati auctoris Orationi cujuſque generis argumenta, quibúslibet audientibus, conformare conantur. Digni ſanè: quorum id eveniat nomini; quod de Neantho Pyttaci tyranni filio ſcribit * Lucianus: qui dum Orphei lyram, feras & ipſe cicuraturus, imperitè pulſaret; ab efferatis ſtrepitu canibus fuit dilaniatus. Excedunt denique in imitando novi quidã Oratoriæ Artis Icari: qui ſuis Dædalis dum eminentiores eſſe contendunt; in errorum oceanum miſerrimè dilabuntur. Hujúſmodi ſunt: qui, ſi quid joco, ſi quid aliam ob juſtã cauſam ſemel à Cicerone, alióve ſapparis nominis Oratore dictum deprehenderint, quod ſibi arriſerit; tertia quaque repetunt periodo: de quibus eſt apud * Senecam aptiſſima cenſura. Inſuper & qui pluribus ex auctoribus ſparſas voces, exteras, novas, colligentes: ſententias, & proverbia congerentes; quævis penès alios, velut nitentes gemmæ, ſplendidas diſtinguunt Orationes: figuras, quaslibet efficaces, vividáſque norunt, adunantes: laſtaurocacabum ex iis omnibus componunt. Quas omnes vitiorum ſpecies ſub unum Cacozeli genus reducit * Lucianus: ex quo Cacozelia eſt Orationis prava affectatio ex errore vitioſæ Imitationis ducta.

adverſ. indoct.

Epiſt. 114.

De Saltat.

Ab his itaque ſingulis bono cavendum eſt imitatori: cùm non minoris ſit cauſa erroris malos adamuſſim; quàm bonos pravè imitari: utrunque enim æquè vitium eſt. Notiſſima jam omnibus eſt feſtiva Æliani * narratio: ex qua; infantulum à nutrice, explicatis faſciis, ablui, in pelvi tractari, panníſque iterum circumveſtiri, cùm ex eminentiori loco proſpexiſſet Simia; cúnque, remotis cuſtodibus, jacentem in cunis eundem obſervaſſet; in evolutum corpuſculum, poſt varias, importunáſque geſticulationes, perverſa imitatrix, ferventem aquam effudit. Tullium quoque Hoſtilium, affert * Plinius, Numæ Magiam in eliciendis

De anim. l. 7. c. 21.

l. 28. c. 2.

endis fulminibus non ritè imitatum, fulminis ictu conflagraſſe. Quapropter veriſſimum in dies de Imitatione Quintiliani * eſt dictum: *Hoc ipſum, quod tantò faciliorem nobis rationem rerum omnium facit, quàm fuit iis, qui nihil, quod ſequerentur, habuerunt; niſi cautè, & cum judicio apprehenditur, nocet.* *inſt. 10. c. 2.*

FINIS.

ERRATA ne corrigas: ne tibi contingat; quod mihi. Quia enim corrigenda quærere volui; luminis oculorum majorem amiſi partem; eorum tamen plurima non valui reperire.

Digitized by Google

INDEX
RERUM

Numero Paginam deſignans.

A

AAron *Eloquens à Deo appellatur. Murmurans quare non puniatur lepra, ſicut Maria.*
Ab Ovo incipere: *undè dictum.* 333.
Abraham *filium ſacrificaturus argutè conſideratur.* 204.
Abundare *poteſt Oratio in ſuis partibus ſupra Cauſæ neceſſitatem.* 317. Abundantia *contemptum facit* 109.
Abuſio *Tropus: v. Catachreſim.*
Abuſus *regulam, ac legem non facit.* 178.
Acceptatoria *Epiſtola quid præſtet: & qua arte.* 504.
Accentus *quid ſit; & quotuplex: & quomodo ſit diſponendus ad Harmoniam.* 170.
Acclamatio *Figura: v. Epiphonema.*
Accuſatio: *v. Criminationem.*
Acervatio *Argumentationis Species: v. Soritem.*
Achates, *lapis omnium colorum, Orationis perfectæ Symbolum.* 193. *Achates Apollinem habens cum Muſis à Natura depictos.* 478.
Acrivologia *quid ſit.* 123.
Actio *pars Pronunciationis præcipua.* 10. *Quid valeat: & quæ ejus origo.* 255. *Quid in ſingulis corporis partibus requirat.* 256. *Varietatem dicente dignam, auditoribus; & rebus expoſcit.* 261. *Quomodo pro Rerum diverſitate varianda.* 263. *Affectibus variis quonam accommodanda modo.* 263. *Prudentia opus in primis habet.* 263.

Differre Oratoria debet ab Hiſtrionica 262. *Neque ei plus dandum; quàm dictioni: non enim è manus pendet motu Cauſa.* 257. *Ejus vitii Hortenſius notatur: adeò ut Collegæ de injuriis diem dixerit; quòd fortuitò rugam veſtis ſibi deſtruxiſſet: undè Dionyſia ſaltatricula vocabatur.* 257. *Actionis nimiæ quomodò lepidè notatus quidam Orator.* 260. 261. *inſuper & Manlius Sura.* 262. *Agendi mos varius apud aliquas ex exteris nationibus.* 256. *Cætera v. de Pronunciatione.*

Actus *faceti quidam recenſentur.* 79.

Adagium *quid ſit.* 52. *Quid ſuadeat.* 60. *Inventioni deſervit Exordiorum.* 288. *In quo ejus fundetur vis.* 53. *Quomodo tamen enervetur.* 53. *An Metaphoram requirat.* 52. *Novitatem undè deſumat.* 52. *Pluribus ſit applicabile.* 52.

Adjecta: *v. Epitheta.*

Adjunctorum *Locus copioſiſſimus quid valeat: & quas habeat ſpecies.* 30. *Exordiorum aptiſſimus Inventioni.* 287.

Adjuncta, *ſcilicet Epitheta: v. infra.*

Adjunctio *quid ſit: & quomodo Periodi liget partes.* 166.

Adjuratio *Figura quos uſus habeat: & quomodo fiat.* 160.

Admiratio *reddit attentum.* 275. *Jucunditatem parit.* 187. 472. *Oritur à Novitate.* 116. 187. 472. *& Magnitudine rei.* 116. *Quare admirantur rarò magnanimes.* 116. *Admirationes quædam ineptæ de levioribus deridentur.* 116. *Admirationem verò familiaris aufert uſus.* 116. 318.

Admiratio *Figura Ornatum ſimul habens; & robur: quomodo fiat.* 116. *Ea carens Elocutio nulla eſt.* 116.

Admonitio *Figura lenior quomodo adhibeatur.* 160.

Admonitoriæ *Epiſtolæ uſus; & præcepta.* 505.

Adoleſcentia *permiſſos quoſdam habet ludos.* 167. *Quas habeat virtutes.* 374. *Quos prædominantes Affectus.* 38. *In quibus omnibus eſſe nimia conſuevit.* 89. *Undè, quæ vitioſa, quavis eſt beſtia intractabilior.* 89. *Adoleſcentia via Salomoni ignota.* 88. *Adoleſcentes quo dicendi genere delectentur.* 194. *Monentur; ne altiora ſe petant.* 209. *Adoleſcentis Caroli Quinti prodigioſa maturitas.* 374. *Inſuper & Alexandri Magni* 372.

Ad-

Adverſa *quodnam Argumentorum Locus.* 27.
Adverſariorum *argumenta an diſſimulare; vel contemnere liceat.* 344.
Adulatores *Chamæleonti ſimiles.* 452.
Æmulatio *quid ſit.* 68. 543. *Nonnunquam facilior eſt Imitatione.* 543. *Quibus ſuccendatur.* 74. *Inculcatur exemplis.* 543. *Quare tepeſcat.* 74.
Ænigma *quid ſit: & an differat à Grypho.* 529. *Quænā ejus forma.* 534. *Definitur à Diomede.* 535. *Tres habet Species; Graphicum, Logicum, & Reale: & quid earum quælibet importet.* 530. *Theſaurus Sapientiæ in Sacra Scriptura dicitur.* 529. *Troporum eſt fodina.* 535. *Ænigmatica Metaphora quid ſit.* 535. *Ænigmaticè delineantur voces translatis rerum imaginibus, aut numerorum, figuriſve muſicis.* 236. *Rerum figuris quomodo Batrachus, & Saura ſint uſi ad ſuum exprimendum nomen in Romano Octaviæ Templo.* 237. *Ænigmatum uſus ſapientiſſimus, & antiquus.* 528. *Ænigmatibus concertabant Reges.* 529. *Enodantibus quodnam penès antiquos præmium.* 529. *Ænigma à piſcatoribus Homero propoſitum de pediculis.* 529. *Ænigmatica Anni deſcriptio.* 535. *Ænigmaticum Epitaphium.* 494.
Æquale, *unus ex intrinſecis locis, ad praxim reducitur.* 25.
Æquivocatio *Locus Argumentorū.* 14. *Ea ſervum in mare lapſum irridet Siculus.* 14. *Æquivoca ſenſum habentia turpem fugienda.* 178.
Æquum, & Bonū *eſt Legis ſupplementum.* 51. *Ubi valeat: & quam habeat vim.* 51.
Æſopus *an verè Fabularum inventor.* 524.
Ætas *quam laudi tribuat materiā.* 372. *Ætatē ſuam mentientibus lepidè occurrit Cicero.* 80.
Æterna *duntaxat vera ſunt bona, aut mala.* 425. *Æternum nomen Hiſtoricus; non temporalia curet bona.* 518.
Affectus *quid ſint: & quot.* 66. *Eorum notio neceſſaria Oratori.* 67. *Debet enim ſedulò veſtigare; quinam eorum ſingulis inſint Auditoribus.* 88. *Prædominantur enim varii in unoquoque hominum genere.* 62. *Et inclinant ut plurimùm ad pejora.* 11. *Omnes tamen ſcopum habent felicitatem.* 63. *Quare ne ad pravum ducentes medium, quan-*

vis ex intentione boni finis, moveantur : ſed potiùs quodammodo ſanctificentur. 62. Quos in aliis volumus ; eos in nobis priùs excitemus. 156. Deliberativum præ cæteris decent Orationum genus. 414. In Exordiis parci ſint, & lenes : in Epilogis multi, & efficaces. 354. Qui eorũ proprius in Oratione locus: & quam artem exigant. 353. Qui præſertim in Epilogo ſint concitandi. 354. Et ſub quibus figuris. 355. Quam requirant pro ſui varietate Prolationem. 252. 355. Et quam pronunciantis Actionem. 263. 355.

Affectus *Circumſtantia quænam ſuggerat Argumenta.* 36.

Affectatam *aſperitatem vera reſpuit Philoſophia.* 38.

Affectatus *vitio Stylus evadit ob nimias argutias.* 208.

Affirmatio *Figura in quo conſiſtat.* 120.

Ageſilaus *Deus appellatus, renuit: & quid reſpondit.* 389.

Aggreſſio *eadem eſt Argumentatio; ac Epicherema: v. infra.*

S. Agnetis *imperterrita Virginitas ; & amor cæleſtis Sponſi.* 125. 131.

Agriculturam *Aſinus docuit.* 538.

Ala *muſca tecta Navis ; & eburnea Quadriga.* 212.

Alapas *ſibi impingere quomodo permiſſum Oratori.* 265.

Alcides *anguium nece luſitabat in cunis.* 367.

Alexander *quo die natus eſt, Dianæ Templum conflagravit. 199. Duodennis qua maturitate Perſas Legatos receperit. 371. Cujus fuerit Pulchritudinis. 378. Quæ à Pædagogo hauſerat, dicendi vitia ſemper retinuit. 7. Jovis filius fortuita vocis interruptione vocatur. 16. Deus fieri à Lacedæmonibus petens acutam accipit reſponſionem. 389. Pauper eſt deſiderii culpa. 73. Eoque felicior in dolio Diogenes. 64. Darii captivas filias pulcherrimas quare nec aſpicere ſit auſus. 286. Reum in equuleo crimen cõfeſſum antequàm damnaret, voluit extra tormenta confeſſionem confirmantem. 59. Oraculo ſatisfacturus, ruſticũ ſacrificare cùm vellet; Oraculum acutè ruſticus interpretatus, aſellum exhibet pro victima. 39.*

Allegoria *quid ſit : & quid addat ſupra Metaphoram. 190. Ne minuta ſit. 191. Invētioni Exordiorũ opportuna. 284.*

Allegoriam, *quia Vocem Extraneam proferre non audebat Tiberius. 179.*

Allegorica Propoſitio, *Chriſtianæ Eloquentiæ inventum, quænam ſit. 321. Tota debet Oratione retineri. 322. Cætera v. Propoſit. Allegor.*
Allegoricus *Scripturæ Sacræ ſenſus. 42.*
Amazonum *imitatrix Zenobia duxit exercitus. 375.*
Ambitio *quid ſit. 67. Ambitioſi laudis Oratores reprehenduntur. 262.*
Ambulare *quomodo permittatur Oratori. 261. Ambulans nimis Orator argutè notatur. 261.*
Amicitia *quid ſit. 67. Quibus concilietur. 69. Quibus diſſolvatur. 70. Probatur ex oneris amici portatione. 155. Amicitiam falſam perſtringit Seneca. 70. Amicus eſt alter ipſe. 52. Qui amat, & redamatur. 67.*
Amor *quotuplex ſit. 67. Amare faciliùs Deum poſſumus; quàm ſpeculationibus quærere. 137. Amor temporalium inſidias habet. 71. Amabilitas Regis ſummum Regnorum præſidium. 375.*
Amplificatio *quid primævis Oratoribus fuerit. 211. Leges habet, quà Inventionem; quà Elocutionem conſiderantes. 212. Topica ex ſingulis deducitur Locis. 213. Elocutrix quænam ſit. 216. Metaphoris, cæteriſque Tropis; ac Epithetis quomodo utatur. 220. Imò & Figuris ſingulis. 216. Rebus apta debet eſſe. 212. Atque à vana verboſitate aliena. 211. Verbalis undè præſertim habeatur. 221. v. etiam Exornationem. Quomodo Periodum variet: aut Vocem quamlibet amplificet. 220. Quid Prolationis requirat. 254. Quid Actionis. 264.*
Amplus *Stylus; v. Copioſum.*
Anacephalæoſis *aptiſſima Perorationibus Figura. 139.*
Anaglypta: *v. Emblemata.*
Anagogicus *Sacræ Scripturæ ſenſus qui ſit. 42.*
Anagramma *Literale tripliciter ſit. 15. Purum, aut Impurum quodnam ſit. 16. Anagrammate reſpondetur Pilato interroganti; quid ſit Veritas. 16. Numerale, ſeu Arithmeticum Anagramma: v. Analyſim Arithmeticā.*
Analyſis Arithmetica *quid ſit: & quot fiat modis. 16. Jeſu Nomē prædicit ex Sybilla, 16 Ejuſque notat perpetuitatem. 17. Analyſis duplex in D. Cajetani nomen. 18. Analyſi oſtenditur; Martinum Lutherum fuiſſe beſtiam Apocalypſis. 18.*

B. An-

B. Andreas Avellinus, *cùm primò ſolveretur à faſciis, ſe Cruce ſignavit.* 373. *Aliis, quàm ſibi, magis ſemper conſuluit.* 61.

Angelorum *laudes undè peti valeant.* 367.

Anima *Corpus habet inimicum.* 141. *Quas reſpiciat Virtutes.* 375. *Anima juſti cœlum eſt.* 153. *Imò & Paradiſus.* 268.

Animus *hominis quotuplicem habeat motum.* 66. *Quot cõparetur modis Exordio.* 270. *Paſſionibus indulgens amittit libertatem.* 59. *Quia moderatus; feliciorem reddit Alexandro Diogenem in ſuo dolio: & Aglaum pauperrimum feliciorem Gyge triumphante.* 64.

Annominatio: *v. Paranomaſiam.*

Annuales Conciones Sacræ *quam artem requirant.* 436.

Annulus *quam habuerit originem.* 476. *Servitutis primùm fuit initium: & quid ſignificet arctum Annulum ferre.* 477. *Quare prohibitus Diali Flamini.* 477. *Sacerdotibus tamen noſtris conceſſus.* 477. *Tranſiit verò jam in honoris teſtimonium.* 477. *Materiam primùm habuit ferrum: ferreuſque Regibus dabatur, & Imperatoribus: qualis & Promethei à rupe liberati Annulus fuiſſe dicitur.* 477. *Aureum Medicis qui primus impetrarit.* 478. *Ornatum à pretioſis recipit gemmis Annulus: qualem Nonnius habebat ſeſtertiûm vigintimillium pretium continentem.* 478. *Nec inferior Achates Apollinem naturâ exhibens cum Muſis.* 478. *Annulis inſculptam Jeruſalem ferebant Hebræi.* 480. *Annulus à Pharaone Joſepho datus Crucẽ reddebat: & quare.* 481. *Annulus Caroli Quinti Horologium pro gemma claudebat.* 478. *Annuli quidam brevi cælatura coactos continebant gigantes.* 480. *Alii loco gemmę clavem offerebant.* 481.

Annulus Pronubus *quam habuerit materiam; & figuram: & quinam ejus proprius digitus.* 479. *Coronare credebatur Cor.* 479. *Hujuſmodi recepit à Deipara Robertus, adhuc puer: eidemque puer dedit Virgini Cantuarienſis Edmundus.* 373. *Pronubus Sigillarius quare datus.* 479.

Annulus Sigillarius: *v. Sigillum.*

Annus *ænigmaticè deſcribitur.* 535.

Antidotum *Mithridaticum quale ſit.* 193.

Antiphraſis *qui Tropus ſit: & quomodo differat ab Ironia.* 186.

An-

Digitized by Google

Antiquitas *Tabulis vendicat auctoritatem*. 60.
Antitheſis *Figura in quo conſiſtat*. 132. *Quot modis adhibeatur*. 133. *Antitheſes falſæ, & ſimulatæ*. 134.
Antonomaſia *quid ſit : & quos Translationis habeat uſus*. 185.
Apis *in Electro mortua argutè deſcribitur*. 139. 207. *Apes è Tauri cadaveribus ortæ Taurini capitis habent imaginem*. 430. *Apem qui laudent*. 368.
Apologiæ *quod munus: & quæ textura*. 406.
Apologus: *v. Fabulam*.
Apoſiopeſis: *v. Reticentiæ Figuram*.
Apoſtolorum *Definitiones fidem exigunt Evangelio non minorem*. 41.
Apoſtrophe, *efficaciſſima Figura, quos habeat uſus: & quàm rarior debeat eſſe reliquis figuris*. 157. *In Exordiorum tamen initiis rariſſima*. 295. *Cùm in iis vix unquam locū habeat*. 157. *Panegyri Sacræ claudendę an apta*. 383.
Apotheoſis: *v. Conſecrationem*.
Apovaterion *quænam Oratio ſit: & quā habeat artē*. 392.
Appetituum *cùm domina ſit Voluntas; iis tamen turpiter obtemperat*. 62.
Appoſita: *v. Epitheta*.
Aquas *anhelantem Exercitum quibus ad hoſtium aggreſſionem incitaret Magnus Carolus*. 411.
Aquila *infantem Aurelianum è cunis extulit : & quo Omine*. 373.
Areopagitâ taciturnior: *quale Adagium ſit*. 270.
Ariditas *Familiaris ſtyli vitium penè incmendabile*. 209.
Argumenta *cùm depravari non poſſint, ſicut Teſtes ; quid in Oratione valeant*. 56. *Dubiis ne innitantur aſſūptis*. 342. *Non oſtiatim à Locis emeudicanda : ſed ea offerat conſuetudo*. 12. *Ex iis tamen quædam eligenda*. 341. *Nō enim omnia, quæ occurrunt, onerare debent auditorem*. 341. *Quæ Sacris ſunt Oratoribus aptiora; undè petantur*. 429. *Quo ſint Ordine diſponenda*. 103. *Quomodo iis utendum*. 342. *Qua ſcilicet Elocutione graviora ex iis donanda: qua leviora*. 145. 342. *Semper tamen eorum nimia velocitas damnatur*. 343. *Argumenta Adverſariorum diſſimulare an liceat, vel contemnere*. 344.

Ar-

Argumentatio; *Formula ſcilicet Argumenta afferendi;quid valeat.* 147. *Cui innitatur Axiomati.* 148. *Quotuplex ſit.* 148.
Argumentativæ *Orationis munus, & artificium.* 438.
Argutiæ *Flores ſunt Orationis,& Lumina.* 25. *Similes corporis humani ſpiritibus.* 203. *Vim undè ſuam habeant: & undè petantur.* 205. *Duplex eas requirendi via.* 206. *Quid habere Elocutionis poſſint.* 207. *Flentibus vix aptæ ſunt.* 204. *Argutiis nimiū Orator ne vacet.* 208. *Argutia Hegeſię de Dianæ incenſo Templo frigidiſſima.* 199. *Argutiarum Imitatio quid habeat artis.* 548. *Argutiæ Picturæ quid ſint.* 446.
Argutus *Stylus qui ſit: & quotuplex: ac quomodo habeatur.* 203.
Arroganti *cujuſdam Heretici interrogationi argutè reſpondet D. Hieronymus.* 82. *Arrogantiam cujuſdam Arriani fregit argutè D. Baſilius.* 82.
Ars *occulta debet eſſe; ne Ars eſſe deſinat.* 262. *Defferenda eſt; ubi ad oppoſitum urget ratio.* 4. 309. *Opus ingenio habet: eique viciſſim ſumma confert.* 8. *Naturę, Studii, & Exercitationis fructus examinat.* 9. *Arte deſtituti Oratores quare ſępè cum laude audiantur.* 8. *Artes omnes Imitatione diſcuntur.* 538.
Articulus *idem Oratoribus eſt, ac Conciſum: v. infra.*
Aſinus *agriculturam docuit.* 538.
Aſperitas *Germanici quonſque Gallos tumultuantes incenderit.* 421.
Aſſimilatio *dat Harmoniam Periodo: & quomodo.* 172.
Attentio *Dociles facit Auditores:* 277. *Quomodo captetur in Exordio.* 275. *Magis tamen quęrenda eſt in reliqua Oratione.* 279.
Attributum, *ſeu Prędicatum,quid ſit.* 12.
Avaritia *Quid ſit.* 67. *Quàm enorme vitium.* 71. *Qualis audaciæ fons.* 28. *Quoſdam induxit ad menſarum viliores reliquias ſigillis ſordidè ſignandas.* 481. *Avaritiæ Quadriga à D. Bernardo ingenioſè efficta.* 321.
Auctio, *Species Auxeſis, qualis Figura ſit.* 130.
Auctoritas, *Inventionis Locus, idem eſt, ac Teſtimonium: & cuncta Extrinſeca Loca complectitur.* 39. *Dividitur*

in

in Humanam;& Divinam.39. Divina ſola infallibilis. 40. *Multiplex eſt.40.41. Materiam præbet aptiſſimam Exordiis,288.Humana etiam multiplex.41.Quæ eſt Clarorum Hominum; quid valeat. 60.Quæ imbecillior eſt;Concluſionem infirmat.40.*
Audacia *quid ſit.68.Quibus excitetur.73.Quibus comprimatur. 74. Inter Figuras locum habet.159.*
Audiri *quiſque reus debet.278.Audiendo diſcat Orator,antequam dicat.7.*
Auditorum *inclinationem quomodo Orator conſideret.413. Fallēdi autem nonnunquam ſunt.307.Sæpè laudandi: ſed moderatè. 275. Eorum opinio Exordiorum deſervit Inventioni.289.*
Auguria *figuræ ſunt aliquando.159. Cæterùm:v. Auſpicia.*
Auguriorum Epiſtolæ *quid præſtent:& quomodo.505.*
Aves Tabellariæ. 500.
Auſpicia *fallaciſsima: undè,iis licèt non credens Cæſar,victor extitit: obtemperans verò Paulus cecidit in pugna. 40.*
Auxeſis *Figura ad exaggerandum aptiſsima.130.*

B·

Balnearum *uſus fomitem accendit.28.Balnei ſordes lepidè incuſat Diogenes.114.*
Baptiſmi *dilatio ad ſolemniorem pompam,reprehenditur.385. Baptiſmum recipiens aquas fœdavit Iulianus Apoſtata.57.*
Barbariſmus *undè dictus.* 182.
Batrachus,& Saura *Romanos deludunt in Octaviæ Templo. 237.*
Beatitudo: *v. Felicitatem.*
Bellici Furoris *imago ingenioſè depicta.447.*
Bellum *inter , & Pacem nihil medium. 30. Quid à Tumulto id diſcrepet. 283.Pyrrhum à Bello quo retraxerit artificio Cineas.63.*
Benevolentia *quid ſit. 67.Benevoli quomodo Auditores fiant in Exordio.270.Id tamen potiùs adhibendū in reliqua Oratione.279.*
Beniamin *improperant fratres ob furata à Matre idola.25.*
Beſtia *Apocalypſis Martinus Lutherus eſſe Arithmetica oſtenditur Analyſi.18.*
Bethlehemitici *Antri profanatores perſtringuntur.200.*
Biſticcio *Italicè: v. Paranomaſiam.*
Blandimenta *Figura nonnunquam ſunt: & qualis. 158.*
Bomolochia *quale vitium ſit.* 81.
Bonum *omnibus placet.52. Nec improbatur ab aliquo ; licèt etiam mala probante.444. Quotuplex ſit.63. Quodnam ex pluribus concurrentibus maius eſſe ,ſingula doceant Topicæ loca.65.Quod minimum eſt; Bonum non eſt.7. Bonum nullum; niſi æternum. 425. Bona autem huius mundi inſtabilia.84. Nec felicitare poſſunt.64.*

Bonum *inſolitum plus amatur.* 79. *Boni ſemper aliquid quivis habet auctor.* 7. *Bonum ut eveniat, non eſt malum faciendum.* 33. *Nec eius ſuaſio tentanda affectibus ad pravum conducentibus actû.* 61. *Non Bona habere extrinſecùs advenientia; ſed iis benè uti, laudabile eſt.* 369.
Brachia *quomodo in Oratoria Actione projicienda.* 260.
Brevitas *Figura in quo conſiſtat: & quid valeat.* 127.
Bruta *hominum Magiſtri.* 538. *Vndè eorum erui poſſit laus.* 368.
Buonaruota *dum alium penicillo pungit; ipſe argutè deridetur.* 128.

C

CAchinnus *Stultorum eſt riſus.* 69.
Cacophotan *quodnam Orationis Vitium ſit.* 442.
Cacozelum *quodnam ſit Orationis Vitium.* 550. *Et præſertim Arguti Styli.* 208.
Cadens, *cùm è cymba deſcenderet Cæſar, qua argutia eventum diſſimularit.* 206.
Cæſar *immaturè de Ajace ſcripta delevit: ejuſque lepidum de hoc dictum.* 4. *E cymba deſcendens cùm caderet; argutè factum diſſimulavit.* 206. *Ejus mors argutè narratur.* 205.
Cæſum: *v. Conciſum.*
S. Cajetanus *Polaris Stella Eccleſiæ præfulgens.* 322. *Intra Clauſtra ſe recipiendo Eccleſiæ hoſtes ſtrenuiori aggreſſione proſtravit.* 321. *Cleri Reſtaurator, & Lux, Arithmetica dicitur Analyſi.* 18. *Comparatur cum Divo Laurentio.* 311. *Et cum Moyſe.* 321. *Ejus cum Chriſto in nominis numero correſpondentia.* 17.
Callimachus *occiſus adhuc ſtabat.* 112.
Calvus, *fatuuſque Senes æquivocatione impetitur.* 15.
Cancer, *Anagrammatis Species Literalis, quid ſit.* 15.
Canens *ineptè Muſicus irridetur.* 205. *v. Cantum Oratorum.*
Canis *Epitaphium.* 495. *Canis tabellarius velociſſimus.* 500. *Caninis induti pellibus tabellarii Canum inſtar reptantes.* 499.
Canonica Lex *quid ſit.* 46.
Canonici Libri *Sacræ Scripturæ fidem exigunt divinam.* 41.
Cantus *Oratorum in proferendo deridetur: ſed tenuis ad eum inflexio permittitur aliquando.* 250.
Caput *quomodo regendum ſit Oratori.* 257.
Carolus *Quintus adoleſcens gladium præ corona elegit: & ſententioſè dat cauſam.* 374.
Carpatii, *leporibus in ſuam Inſulam introductis, agrorum devaſtationem patiuntur.* 53.
Caſtitatem *ut ſervaret, cuncta reliquit Ioſeph.* 22. *Democritus verò ſe excæcavit.* 28.

Ca-

Caſus *quodnam habeat inter Inventionis Loca munus.* 38.
Catachreſis *quinam Tropus ſit:& in quo differat à Metaphora.* 185.
Categoriæ *quot; & quæ ſint.* 31. 92.
Cavillatio *arguta quid ſit: & quomodo fiat.* 207.
Cauſa *quid priſcis fuerit Oratoribus ſecundùm generaliſſimam nominis acceptionem: & quomodo emanet ex ea Quæſtio.* 298. *Quot habeat ſpecies.* 280. *Quanam Exordium neceſſario requirat.* 280. *Variis ejus ſpeciebus diverſa præſtare debet Exordium munera.* 280. *Cauſas quare non agebat Accius, Tragœdus alioqui celeberrimus.* 343.
Cauſa *prout Speciem alterã importat Controverſiæ: v. Hypotheſim.*
Cauſæ *Circunſtantia quænã contineat:& quomodo ſit adhibẽda.* 31.
Celeritas *nimia Prolationis damnatur, tanquam indigens fræno.* 249. 250. *Sed præſertim inepta Confirmationi.* 343.
Charitas *deſiderabilior eſt; quàm Prophetia.* 74. *Charitati in reprehendendo parcere Orator debet.* 81.
Chriſti Domini *Generatio inenarrabilis quotuplex cõſiderari poſſit.* 45. *Nomen in Conſtantini Labaro quinam ſint venerati: idenque clypeis, galeis, numiſmatibus, aut coronis inciderint.* 483 *Chriſtus Dominus Puer interrogabat in Templo: Vir docebat.* 7. *Priùs dicitur feciſſe; deinde docuiſſe.* 45. *Ejus Mortui Monodia quomodo texenda.* 388 *Samſoni quomodo comparandus.* 42. *Significatur per Leonem.* 42. *Chriſtus, & Forum multiplici ex capite opponuntur.* 133. *Chriſti eſt Caſtitas, Largitio, Tranquillitas, Pax.* 28.
Cicatrices *Antonii quid apud Romanos valuerint.* 265. *Similiter & M. Servilii Cicatrices.* 356.
Ciceris *grana in acum quidam inſerebat: & quod ab Alexandro præmium ob id receperit.* 177.
Cicero *quid emolumenti ab Exercitatione deſumpſerit.* 6. *Vtilitatẽ Jucunditati dicendi ſociavit.* 201. *Mordax fuit.* 82. *Facetus quoque ad uſque vitium.* 77. *Ciceronis Nomen inſigne Arpini Oppidi monumentum.* 456.
Cineres *filii cur in Scenam attulerit Pollio.* 156. 252.
Circuitio *qualis Figura ſit.* 125.
Circumlocutio *cujus ſit generis Figura.* 126.
Circunſtantiæ *ubertiſsimum dant Inventioni Locum.* 30. *Quam habeant vim.* 30. *Opportunæ ſunt Exordium Inventioni.* 287. *Vnitatem dant totius Orationis Propoſitioni.* 311. *Amplificandi magnum habent robur.* 216. *Quas in ſpecies dividantur.* 30. *Negotiorum Circunſtantiæ quot; & quæ ſint.* 31. *In decem Categorias dividuntur.* 31. *Perſonarum Circunſtantiæ quot ſint: & quæ.* 35. *Quænam Hiſtoriis ſint aptiores.* 518. *Circunſtantiis utilia ſunt aptanda.* 335. *Circunſtantiæ Luxuriæ apertè non ſunt ab Oratore explicandæ.* 431.
Clandeſtinus *ſcribendi modus oſtenditur.* 498.

Clamor *quorundam Oratorum notatur*. 248. *Clamautem Oratorem ſententioſè reprehendit Demoſthenes*. 248.
Clamyde *purpurea Græci naſcentes pueros efferebant*; 371.
Claritas *prima ſit Oratoris regula*. 179. *Emendatæ locutioni præfe-ratur*. 443. *Doctrina præſertim eſt neceſſaria: & quibus obtinea-tur*. 442. *Eam exigens anicula Divum Ioannem Chryſoſtomum re-prehendit* 442. *Clara inprimis eſſe debet totius Propoſitio Ora-tionis: & quomodo id præſtetur*. 314.
Clavem *habentes Annuli progemma*. 481.
Cleopatræ *ſibi aſpidem applicantis imago poſt triumphalem tra-hitur currum*. 448.
Climax *Figura eadem cum Gradatione*: *v. infra*.
Clypei *quare Glypti nuncupati*. 455. *Clypeorũ variæ cælaturæ*. 459
Clypeis naſcentes infantes levabant Scythę. 371.
Cœli *nomine Anima Iuſti deſignatur*. 153.
Cognitio *quæ Figura ſit*. 115.
Collocutio *Dialogiſmi Species quænam ſit Figura*. 136.
Colores *quarum rerum Symbolum ſint; iidenque Diis à Gentilibus ſacrati*. 447.
Columbæ *Tabellariæ*. 500. *Columbam Semyramidis ſuæ Symbolum clypeis Aſſyrii ſculpebant*. 459.
Combinatio *Figurarum Styli varietatem conſtituit: quemadmo-dum corpuſculorum Combinatio Mundum*. 92.
Comicus *Pollio filii cineres in Scenam cur attulerit*. 156. 252.
Comma *Rhetoribus idem; ac Conciſum*: *v. infra*.
Commendatio *quænam ſit Orationis Species*. 422. *Quænam Species Epiſtolarum*. 107. *Quænam Figura*. 161.
Commeſſationum *damna*. 445.
Comminatio *Species Orationis qualis ſit*. 405. *Eadem præſtare pro-portionatè in Epiſtolis poteſt: & quomodo*: 510. *Quæ Figura eſt; quid importet*. 160.
Commiſeratio *nonnunquam in ipſa reperitur Indignatione*. 159.
Commonitio *cujus muneris ſit Oratio: & cujus artificii*. 423.
Commoratio *Figura quid præſtet: & quot modis*. 126.
Commune *Exordium quonam laboret Vitio*. 291.
Communicatio *quænam Figura ſit*. 115.
Communio Eucharıſtica *non eſt prætextu humilitatis diutiùs dif-ferenda*. 141.
Commutabile *quo Vitio Exordium*. 291.
Commutatio Perſonæ *quid ſit: & quid valeat*. 274.
Compar *Periodo melos addit: & quomodo fiat*. 169. *Non Membris modò; ſed & Conciſis ineſſe poteſt*. 169.
Comparatio *in Topica qui Locus ſit*. 23. *Genus eſt Exemplum, Fabu-lam, & Parabolam continens*. 522. *Aptiſſima eſt ad amplifican-dum*. 214.

Com-

Comparativa *Propoſitio Orationis quomodo fiat.* 320.
Compendiariæ *notæ in Inſcriptionibus adhibitæ.* 488. *Lepidè quadam interpretatæ.* 532.
Compendium *qualis Figura ſit.* 127.
Complexio, *Iterationis Species, quaenam ſit Figura.* 143.
Compoſitio *quid in Elocutione importet.* 161.
Comprehenſio *Tropi Species: v. Synecdochen.*
Conceptus Sacræ Scripturæ *è quolibet minimo ejus apice poſſunt erui.* 45. *Quomodo hauriantur.* 43. *Quas, Argumentationum inſtar, habere formulas poſſint.* 154.
Conceſſio *Figura duplicem habens ſpeciem: Purgationem; & Deprecationem.* 120.
Concilia *Oecumenica Pontificia firmata auctoritate Definitiones faciunt de fide non minùs, ac Sacra Scriptura.* 41.
Conciliatoria *Oratio quam exigat artem.* 420. *Quam & Epiſtola Conciliatoria: v. Deprecatoriam.* 512.
Concinnitates *Orationis: v. Argutias.*
Concionatores *immaturi monentur.* 209. *Sacri ne avarè Dei verbum abſcondant.* 154.
Conciones *an locum in Hiſtoriis reperiant.* 519.
Conciſum *quid ſit.* 163. *Conciſis omnis conſtans Oratio infracta eſt.* 164. *Conciſa quomodo in unicam Periodum ornatè componantur.* 167. *Conciſa Oratio ſoluta differt à Conciſa Periodica.* 165.
Concitationis *quod inter Orationes munus: & artificium.* 420.
Concluſiones *debiliorem ſequuntur partem.* 40. *Quam ab Oratore Diſpoſitionem exigant.* 102.
Cõcordia *Magiſtratus inter, & Duces ablata; à quovis leviori milite Civitas proſternitur.* 359.
Concupiſcentia *quid ſit.* 67. *Quibus accendatur: vel extinguatur accenſa.* 71.
Conduplicatio, *Iterationis Species, qualis ſit Figura.* 144.
Confeſſio *Figura eadem cum Conceſſione: v. ſup.*
Confirmatio *quid valeat: & quem locum habeat.* 120. *Quanam Argumenta cupit eligenda.* 341. *Qualis Demonſtrativam deceat Orationẽ.* 382. *Qualis Iudicialem* 401. *Qualis Deliberativam.* 416. *Qualis Sacram.* 435. *Pronunciationem qualẽ requirat.* 342. *Caeterùm v. Argumenta: & Probationem.*
Conformatio *Figura eadem cum Proſopopœja: v. inf.*
Confutatio *quem habeat in Oratione locum.* 346. *Quàm ſit neceſſaria ſimul, & difficilis.* 343. *Vndè eruatur.* 343. *Rationem exigit; quare neget: nec ſufficit Argumenta adverſariorum contemnere; aut diſſimulare.* 344. *Quid praſtet Iudiciali Orationi.* 401. *Quid Deliberativæ; ubi requiritur.* 417. *Quam exigat Elocutionem: & quam Pronunciationem.* 346. *Caeterùm: v. Probationem.*
Conjecturales *Cauſas aliquãdo neceſſitas praſcribit: aliquando movet exercitatio.* 11.

Con-

Conjugata, *Locus Argumentorum, omnium, qui ex Nomine, ſolidior.* 14. *Amplificationi deſerviunt.* 214. *Cauſam dederunt; quare fuerit Regilianus Rex acclamatus.* 14.
Conjunctio *qualis ſit Periodi nexus.* 167.
Conjunctum *Exordium qua Virtute ſit.* 291.
Connexio *partium Propoſitionis undè habeatur.* 309.
Conqueſtiva *Epiſtola quando habeatur: & quomodo.* 509.
Conſcientia *bona timorem neſcit.* 76.
Conſecratio, *Demonſtrativæ Orationis Species, qualis apud Gentiles.* 388. *Vbi fieri ſolebat.* 390. *Qualis apud Chriſtianos.* 391. *Conſecrandi in Deos quæ Gentilibus Cauſa.* 388. *Et qui ritus.* 389.
Conſilium *qualis Argumẽtorum ſit Locus.* 35. *Conſilio mundus adminiſtratur.* 149. *Conſilium mutare cum ratione Sapientis eſt.* 50. *Conſilium quomodo dent Epiſtolæ.* 505. *Quam in dante requirat integritatem.* 419.
Conſolatoriam *artem præ omnibus docebat Antiphon.* 424. *in Oratione quàm neceſſaria ſit: & quomodo adhibenda.* 424 *Et in Epiſtolis.* 508. *Conſolationem è quibus hauſerit Democritus.* 424. *Et Sulpitius.* 515.
Conſonantes *quæ Aſperæ ſint; quæ Dulces; quæ Medii Soni.* 173.
Conſtantia *fluvio ſimilis in Sacris requiritur Oratoribus.* 430. *Qualem in ſuis requiſierint Gentiles.* 430. *Qualis Solonis in dicendo fuerit.* 409. 431. *Qualis in Eleazaro Machabæo.* 375.
Conſtantini *Labarum tùm Numiſmatibus; tùm Clypeis; tùm Galeis; tùm etiam Coronis additum.* 483.
Conſuetudo *Legum interpres: Quid ſit: & Quotuplex: quas conditiones requirat: & quanto tempore ſtabiliatur.* 48. *Conſuetudinẽ ſoli boni faciunt* 177. *Conſuetudo facilitatem addit.* 128. *Minuitque admirationem.* 318. 116.
Conſultatio *quam Orationis artem expoſcat.* 418. *Conſultans paſſionibus ne agatur: ſitque ejus rei perfectus cognitor; de qua dat conſilium.* 419.
Contemnere *adverſariorum argumenta an liceat Oratori.* 344. *Cõtemptus Iram excitat: & quid ſit.* 68.
Contentio *quid Prolationis requirat.* 254. *Quid Actionis.* 264.
Contentio *Figura: v. Antitheſim.*
Contra præcepta *quare dicatur Exordium.* 291.
Contradicentia *qualis Argumentorum Locus.* 27. *Eorum altero negato; alterum eſt neceſſariò concedendum.* 29.
Contraria *qualem dent Locum Argumentorum.* 27. *Eorum altero negato; tribuendum alterum eſt ſubiecto; cui genus competit.* 29.
Contumelia *quid ſit* 68.
Conveniens *quid ſit* 64.
Convenientium *Locus quot contineat genera.* 23. *Quam probandi vim habeat.* 24. *Exemplis expenditur.* 26.

Con-

Conventio: *v. Pactum.*
Converſio, *Figura, quæ Iterationis ſit Species.* 143.
Conviciis *parcendum eſt Oratori.* 346.
Convivia *pernicioſa* 445. *Ænigmatibus quare complebantur.* 529.
Copioſus *Stylus: v. Stylum Copioſum.*
Cordis *humani motus, & viciſſitudines.* 67.
Corollarium *in Sacris Orationibus quid ſit.* 348.
Corpus *Animæ inimicus.* 141. *Ejus virtutes quænam ſint.* 376. *Corporis humani membra decorem nectunt utilitati.* 201.
Corpus Impreſiæ *Phrenoſchematis Figura dicitur.* 465.
Correctio *privatim eſt facienda: & de ea arguta retortio.* 207.
Correctio, *Reflexionis Species, quænam Figura ſit.* 137.
Crambe recocta mors eſt: *quale Adagium.* 349.
Crates *quale inſtrumentum ad clandeſtinè ſcribendum.* 498.
Criminatio *quid ſit: & quod momentum, & Artificium habeat in Oratione.* 401. *Quod in Epiſtolis* 509.
Criminatores *quales eſſe debeant.* 284. *Sinceri quoque optantur: & ſine paſſionibus.* 401. *Veraces utiles ſunt Reipublicæ: mendaces verò ejuſdem peſtis.* 401.
Crucifixo *ab Hebræis Meſſanæ Chriſtiano puero; quod prodigium ſecutum.* 488.
Crux *erat inſculpta annulo; quem Pharao dedit Ioſepho.* 481. *Crucis ſigno ſe munit infantulus adhuc B. Andreas Avellinus.* 383. *Cruci Romanum damnare civem infandum erat facinus.* 217.
Cupiditas *abſentium eſt rerum.* 90. *Cupidus pauper cum malo divite damnabitur.* 156.

D

David *quoque ſuum habuiſſe dicitur Phrenoſchema.* 454.
Damnatus *capitali ſententia ridet: & quare.* 79. *Damnati tabellam geſtabant pœnæ cauſam aperientem.* 487.
Deceptiones *Sales continent.* 79. *Quot modis fiant,* 79. *Vndè petantur.* 80. 81. *Decipere: v. Fallere: & Fraudem.*
Decollatio *S. Ioannis Baptiſtæ amplificatur.* 215.
Defenſivæ *Epiſtolæ utilitas, & artificium.* 511.
Definitio, *Locus Argumentorum, quid ſit: & quos habeat uſus.* 21. *Definitiones conglobatæ Amplificationibus aptiſſimæ.* 213.
Deformitas *non rarò vitii argumentum eſt.* 377. *In muliere prava argutè notatur.* 139. *Et in tribus mulieribus feriantibus.* 206. *Et in Iuliano Apoſtata.* 377.
Dehortatoriæ *Orationis artificium.* 420. *Inſuper & Epiſtolæ.* 505.
Delectabile *quid ſit.* 63.
Deliberativi *Generis utilitas: & momentum.* 408. *Munus; Nomina; Antiquitas; & Præſtantia ſupra reliqua.* 409. *Artificiū.* 410.

Tem-

Tempus proprium futurum. 411. *Status idem eſſe poteſt; qui Demonſtrativi.*301.*Stylus quam vim expoſcat.*413. *Quam Gravitatem: & Majeſtatem.*416.*Quænã Species:& quales* 418. *Quenã;& quales Partes.*415. *Exigit in Oratore Conſtantiam:& Gravitatem.*409. *Necnon & Opinionem bonam; ac Gratiam.*421.
Demonſtrativum *Genus laudatur:& defenditur.*366.*Quem habeat finem.*366.*Quod Tempus proprium.*369. *Quam ad cujuſvis objecti laudem Materiam.*367. *Eundem habere Statum poteſt cum Deliberativo.*301. *Prudentiam in Oratore; & Dignitatem exigit.* 378. *Quem appetat Stylum.*379. *Quas Partes optet: & quales.*380.*Quas;qualeſque Species habeat.*383.
Demonſtrare *in ſuis certaminibus Citharædi, & Poetæ dicebantur.* 367.
Demoſthenes *nullum protulit ſine artificioſa Elocutione Argumẽtum.*108.*Fulmina vibrare cur dicebatur.*162.*Dormitat aliquando.*6.60. *Facetiis ſemper ineptus.*77. *Pronunciationis vitio adoleſceus deriſus;quomodo ſe correxerit.*243.
Deprecatio *requiritur; ubi nequit excuſari reus* 345. *Quam habeat inter Orationum Species neceſſitatem; & artem.*406.*Quam inter Epiſtolas.*512.
Deprecatio *Figura quoque eſt,Conceſſionis Species.*120. *Quid poſſit.* 159.
Deriſoriæ *munus Epiſtolæ: & artificium.*503.
Derivatæ *Voces: v. Voces Derivatas.*
Deſiderium *quid ſit.*68. *Inſatiabile eſt: cruciat : & pauperem reddit.*73. *Alexandrum inferiorem facit Diogene : & pauperem Aglaum Gyge triumphãte.* 64. *Quibus inflammetur: aut extinguatur* 72.
Deſcriptio *Figura ſub ſe plures habens Species.* 121. *Vtilis non parum eſt.*122. *Ad minuta non debet deſcendere.* 123.*An Hiſtoriis ſit apta* 518.*Deſcriptio Meſſanæ:& Xiphiæ;ejuſq;piſcationis.*122
Deſperatio *quid ſit : & quibus inducatur.* 68. *Audaciam aufert; Spem; & Securitatem.*74.
Deſperatus *Stylus quo ex capite ſit Vitioſus.*201.
Deus *undè laudari queat: ejuſque Nomina varia.*367. *Minatur in hoc mundo; ut oretur;& parcat.*155. *Amando faciliùs invenitur; quã Speculationib' quærẽdo.*137.*Ejus Auctoritas infallibilis quotuplex ſit.*40. *Ejus Voluntati ſine murmuratione obſequendũ.* 84.
Deos *negabat Melitus: Dæmones tamen Deorum ſtultè filios aſſerebat.* 114. *Deos Originis ſuæ Stipites volebant antiqui.* 370. *Deos ſeſe mentiti ſunt alii.* 376. *Alii Deorum ſtatuis proprii capitis imaginem ob id amectebant.*448. *Deificari cùm vellet à Lacedæmonibus Alexander; quod acceperit reſponſum.* 389. *Deificandi quæ leges Gentilibus : & qui ritus* 388.*Deus nuncupatus Ageſilaus renuit.*389.

De-

Dialogiſmus *quænam ſit Figura: & quas habeat Species: atque artificium.* 136.
Dicacitas: *v. Scurrilitatem.*
Dicatoriæ *Epiſtolæ munus: & præcepta.* 508.
Dicendi *Genera quot ſint: & quæ.* 365.
Dictum Celebre *Exordiorum ſuggerit inventionem.* 288.
Dies *cujuſque Menſis qua ſuperſtitione Gentiles obſervarint.* 384.
Differentia, *Locus Argumentorum ſub Partium genere, quam habeat vim.* 22.
Digitus *medius infamiæ notatus.* 478. *Quinam proprius Annuli Locus.* 478.
Dignitas *Elocutionis quid ſit.* 161. *Dicentis utilitati eſt præferenda.* 195. *Imò & eadem ſemper prodeſt.* 195. *Huic addictus Socrates qua majeſtate pro ſuo dixerit capite.* 195. *& Africanus quidam maluit Patria cedere.* 195.
Dignitatum *celſitudo ruinæ eſt affinis.* 52.
Digreſſionis *Figura quid valeat: & quomodo adhibenda.* 140.
Dilemma *qualis Argumentatio ſit.* 151. *Argutè à Iuriſperito adhibetur.* 152.
Diminutio *duo habet Tempora: legeſque Amplificationis proportionatè ſervat.* 212. *Amplificationi præhabitæ quo pacto occurrat.* 221.
Diminutio, *Figura. v. Tapinoſim.*
Diogenes *in dolio felicior Alexandro.* 64. *Gymnaſium retrogradè ingreditur.* 79.
S. Dionyſius *Areopagita amputatum caput geſtat.* 378.
Diſcedētib' *Amicis, vel Principib', qualis Oratio perſolvēda.* 392.
Diſcere *non dedignatur Socrates confectus ſenio & morti proximus.* 7.
Diſconvenientium *quot genera.* 23. *Quæ ſingulorum Efficacia inter Topicæ Loca.* 24.
Diſparatorum *Locus exemplo reducitur ad praxim.* 27.
Diſpoſitio *quàm ſit Mundo, ejuſque partibus neceſſaria.* 100. *In Oratione quid importet.* 100. *Quid præſtet.* 10. *Quotuplex conſiderari poſſit.* 101. *Quot reſpiciat Imitationi apta.* 547. *Quæ Propoſitionis partibus danda.* 318. *Quæ Concluſionibus.* 102. *Quæ Argumentis.* 103. *Quæ Rebus in Oratione contentis.* 106. *Quæ Doctrinis.* 105. *Semel aſſumpta ne facilè deſeratur.* 101. *Non tamen ſuperſtitiosè ſervanda.* 107. *Quin cedit non rarò Periodicæ Harmoniæ.* 107.
Diſſimilium *inter Argumentorum Loca vis: & Exemplum.* 26.
Diſsimulare *an liceat adverſariorum Argumenta.* 344.
Diſſolutio *Figura Periodi Vnitatem ornans* 167.
Diſſolutus *quo Vitio laboret Stylus.* 202.

Diſtributio *Figura: v. Partitionem.*
Diviſio *Propoſitionis quàm ſit utilis.* 314 *Defenditur.* 315. *Quas exigat Virtutes.* 315 *Minutior deridetur.* 317. *Superflua notatur in Cicerone.* 317. *Quem aptiorem habeat tota in Oratione locum.* 315. *Quem Partium exigat Ordinem.* 318.
Divitiæ *contemptibiles ſunt.* 74. *Divitiarum Tyrannis.* 91. *Divites quibus agitentur affectibus.* 91.
Docere *quoque eſt Oratoris munus.* 437. *Plura docentur homines à brutis.* 538.
Docilitas, *præcipuum Exordii munus, quibus captanda.* 277. *Magis tamen ad totam pertinet Orationem.* 279.
Doctoribus *Laurea donatis qualis Oratio perſolvenda.* 392.
Doctrina *(qua ſcilicet Doctus eſt) perficit Oratorem.* 3.
Doctrinas *in Foro primus adhibuit cum plauſu Pericles.* 438. *Quæ Inventionis Loca ſubminiſtrent.* 440. *Quo donare opus eſt Ordine.* 105. *Cæterùm: v. Doctrinalem Orationem.*
Doctrinalis *Oratio, Sacræ Eloquentiæ Inventum, quam habeat antiquitatem* 439. *Quæ Loca Argumentorum reſpiciat.* 440. *Virtutes optat: quibus ſit Clara; Sana; Utilis; Ornata: & quomodo harũ quævis obtineatur* 441. *Quem exigat Stylum.* 443. *Quas habeat Species: & quales.* 439. *Doctrinalis Epiſtola quid præſtet: & quomodo* 512.
Doctum *hominem quod dicendi genus magis deceat.* 194.
Dolor *Eloquentiæ magna pars.* 253. *Quid in Pollione Oratore potuerit.* 253.
S. Dominici *Mater Canem videt os face accendentem.* 371.
Dona: *v. Munera.*
Dubitatio Figura Copioſa. 112. *Deliberationem expectat; ejuſque rationem.* 112.

E

EBrietas *libidinem infert: aufert memoriam.* 226. *In Antonio exaggeratur.* 33. 216
Eccleſia *Regni Cælorum nomine intelligitur.* 105.
Eccleſiaſtici *an publicè reprehendendi* 432.
Eclypſim *ſol paſſus eſt; quo die Roma condita fuit.* 368.
Educationis *Circumſtantia ad quid conferat.* 37. *Ejus vis etiam leones cicurat.* 38. *Quid in ea neceſſarium ſolertiæ.* 373. *Ejuſdem quæ Catoni, & Auguſto notabilis cura.* 374. *Malæ Educationis Nutrices culpantur.* 372.
Effectus *Circumſtantia quid valeat inter Argumentorum Loca.* 32.
Effictio, *Figura ſub Deſcriptionis genere, quid habeat.* 121.
Egreſſio *Narrationem inter, & Confirmationem à quibuſdam adhibita examinatur.* 341.

Ela-

Elatus Stylus quod Vitii genus habeat.197.
Electio rerum Prudentiam requirit.4.
Electrum Viperæ ſepulchrum.207.
Elegantia quid ſit.161. Præcipuus eſt Elocutionis ornatus.176. Ad eam deſerviens Vocum Catalogus 177.
Elocutionis Encomia.107. Definitio.108. Nomina varia.107. Difficultas. 108. Munus.10. Species.109. Quæ admirationem non habet; nulla eſt. 116. Ornatrix Elocutio Cælo eſt ſimilis. 161. Quas habeat partes.161. Motrix quot modis ſuum præſtet munus.110. Elocutrix Amplificatio quanā ſit. 216. Quænam Elocutio Deliberativo ſit apta Generi. 413. Quænam Iudiciali.399. Quæ Demonſtrativo.179. Quæ Sacris Orationibus.433. Rebus debet aptari. 212. Quomodo imitari eam quis poſſit.547. Elocutionem habent cuncta Demoſthenis loca.108.
Elogii appellatio.489. Differentia ab Epitaphio, & Inſcriptione: Munus: Stylus: ac reliquum artificium. 490. Elogium contumelioſum.491.
Eloquentia malumne, an bonum Civitatibus attulerit. 290. Pernicioſam qui dixere; redarguuntur. 376. Ea nanque, & Gratia, plurimùm valent in Republica. 273. Præſertim Copioſo uſa Stylo. 198. Soli comparatur.364. Eloquētiæ flumen eſt Oratio. 268. Eloquentiæ magna pars dolor.253. Imitationi quantū debeat Eloquentia.538. Eloquentiæ ornatus in Sacris Oratoribus defenditur: ſed qualis eſſe debeat; definitur 434. Eloquentiæ Principes ſemper eſſe Græcia voluit.184. Eloquētē neminē ſe vidiſſe; ait Antonius.108.
Emblematis Nomen quot ſignificet 451. Quæ, præter id Nomen, appellationes.451. Quæ Definitio.453. Quæ differentia à Phrenoſchemate.460. Et ab Hieroglyphicis. 453. Quæ Antiquitas, & Origo. 450. Quæ Species.453. Quę Partes: & quales. 451. Quod lemma.453. Emblema quodnam contineat documentum.452. Emblematis Nomen quare expungi juberet Tiberius.179.
Emendata locutio Claritati cedat.443.
Emphaſis, Figura intellectum augens, qualis ſit. 129. Emphaſim habere Timantis picturæ dicebantur. 129. v. etiam Energiam.
Empirici, ignota morborum cauſa, ſola medentur experientia. 9.
Encomiaſticæ Epiſtolæ Munus: & Structura .503.
Energia quibus habeatur.124. Narrationibus eſt in primis apta. 335. Hypotypoſi deſervit.124. Perpenditur in illis verbis: Domine Tu mihi lavas pedes? 31.45.
Enthymema, quale ſit Argumentationis genus: & quomodo fiat. 150. Præ cæteris aptior ad amplificandum.218.
Enumeratio, Epilogi pars altera, quem habeat in Oratione locum: quod Munus: quas Leges.349. Quam Neceſſitatem. 350. Vndè incipienda.349. Quem Ordinem rerum recenſendarum. 350. Quam Elocutionem: & Stylum. 351. Quam expetat Pronunciationem.

352. *Sacris Oratoribus à Concilio Colonienſi præſcribitur*. 350.

Enumeratio Partium, *Locus Argumentorum, quomodo adhibeatur*. 20. *Quid valeat ad amplificandum*. 213.

Epanalepſis, *Iterationis Species, qualis Figura ſit*. 144.

Epicedium *quæ ſit Orationis Species: & cujus artificii*. 394.

Epicherema *qualis ſit Argumentatio*. 151.

Epidicticū *Genus quare ſic dictum*. 366. *Cæterùm v. Demonſtrativum.*

Epilogus *quibus appelletur Nominibus: & quam exigat Artem*. 347. *Ob ſui vim ab Athenienſibus vetitus*. 347. *Cum Gebone Fluvio collatus*. 268. *Quas habeat Partes*. 347. *Quid in Demonſtrativis præſtare debeat Orationib⁹*. 382. *Quid in Deliberativis*. 417. *Quid in Iudicialibus*. 401. *Quid in Sacris*. 435. *Quid in Hiſtoriis*. 520. *Quomodo Corollarium contineat*. 348. *An Oſtenſiones rerum ad affectus commovendos admittat*. 355.

Epinicium *quænam Oratio ſit: & cujus Texturæ*. 394.

Epiſtolæ *quid ſint: quam Vtilitatem: & quem Vſum habeant*. 497. *Quem Stylum*. 502. *Quas Partes: & quales*. 500 *Quas; qualeſque Species*. 503. *Clandeſtinè ſcribuntur*. 498. *Occultè ut transmitterentur, & tutò, ſolertia variæ* 499. *Deglutitæ, ſūpto pharmaco, integræ redduntur* 499 *Pani incoctæ: Lepori incluſæ: Vtribus inſutæ: Tabellarii Capiti inſcriptæ*. 499 *Canibus datę: Sagittis immiſſæ: aut transmiſſæ Columbis; Avibuſque* 500. *Interceptæ: & in oppoſitum permutatę* 500.

Epiphonema *qualis Figura*. 138.

Epiſtrophe *Figura eadem cum Intercalari. v. infra.*

Epithalamium *qualis Oratio*. 387. *In quo differens à Nuptiali*. 386.

Epitaphiorum *Antiquitas à Iacob Patriarchę temporibus: Etymon: & Artificium varium*. 492. *Stylus*. 495. *Epitaphium Hebręis conſuetum*. 492. *Epitaphia Canis: & Mulæ* 495. *Infamia: Mordacia: Iocoſa*. 499.

Epithetorum *Nomina: & Quidditas*. 191. *Vſus*. 192 *Species*. 191. *Ad amplificandum vis*. 220.

Epivaterion *quęnam Oratio ſit: & cujus Induſtriæ*. 393.

Epulonis *Parabola vera fuit Hiſtoria*. 335.

Equuleo *cùm Alexander criminis confeſſionem à reo extorſiſſet; extra Tormenta voluit confirmatam*. 59.

Error *noſter quomodo nobis gratus*. 79.

Etopœja *Figura ſub Hypotypoſis genere quid pręſtet*. 124.

Etymologia *qualis Argumentorum ſit Locus*. 13.

SS. Euchariſtiæ *receptio non eſt, humilitatis titulo, nimis differenda*. 141. *De ea quales Sermones fiant*. 436.

Euchariſticæ *Orationis quodnam Munus: & Artificium* 395. *Quod Epiſtola*. 505.

Eu-

Euphrates, *unum è quatuor Fluminibus fœcundiſſimum, quod habeat Etymon.* 267.

Ex Abrupto *quando poſſint incipere Exordia.* 296.

Ex Abundanti *Exordia quomodo ducantur.* 283.

Exaggeratio *mendax, & ridicula, de cujuſdam vulnere.* 518.

Exclamatio *qualis Figura.* 157. *Acutam reſpuit Vocem.* 249.

Excuſatoria *Epiſtola quid præſtet: & quomodo.* 511.

Exemplum, *unum ex Argumentorum Locis, explicatur.* 25. *Quid ſit: quomodo à Fabula differat: & quibus ejus innitatur vis.* 522. *Inventionem ſuggerit Exordiis.* 286. *Amplificationi vim addit.* 215. *in Hiſtoriis quod legentibus dederit fructum.* 515. *Exemplis non debet omnia proſequi Magiſter.* 240. *Exempla bona rara; mala frequentia* 129. *Pravum ne daret, mori maluit Eleazar.* 375.

Exercitatio *quid ſit: & quæ ejus Munera.* 7. *Omnia vincit præcepta.* 6. *Certamine eſt durior.* 6. *Quantum ei debeat Cicero.* 243. *Quomodo ea ſe correxerit Demoſthenes* 243. *Exercitatione Memoria excolitur, & labore.* 225. *Exercendi, vel à prima pueritia, putabantur Oratores futuri.* 6.

Exhortatio *Superioris ſpeciem habet præcepti.* 420. *Cæterùm: v. Hortatoriam.*

Ex libris librum facientes *quomodo non fures.* 544.

Exordium *Undè ſic dictum: & Quid ſit.* 269. *Quàm Oratori ſit Neceſſarium.* 269. 279. *Aliquando à Neceſſitate exigitur: aliquando ab Ornatu.* 280. 281. *Reſpuitur verò modò ab Orationis natura: modò à diſpoſitione Auditorum* 281. *Ab Areopagitis exulavit.* 279. *Paradiſi Fonti comparatur.* 258. *Ab Introductione in quo differat.* 324. *Poetarum Prologo confertur.* 380. *Quot modis debeat animos comparare.* 270. *Munus præcipuum habet Docilem reddere: id autem præſtans in quo à Propoſitione differat. & Narratione.* 277. *Vim Propoſitionis illativam ne habeat: atque à Probatione differat.* 290. *Undè erui poſſit: & quo inveniri tempore.* 282. *Elocutione quo donari valeat tempore.* 282. *Quas exigat Virtutes: quæque fugiat Vitia.* 290. *Initium Apoſtrophæ rariſſimè permittit.* 157. 295. *Parcos in Affectibus, & lenes vult Oratores.* 354. *Quam exigat Pronunciationem.* 296. *Munera habet varia pro diverſis Cauſarũ Speciebus.* 280. *In Demonſtrativo Genere quale eſſe debeat.* 380. *Quale in Deliberativo.* 415. *Quale in Iudiciali.* 400. *Quale in Sacris Orationibus.* 435. *Quale in Hiſtoriis.* 519. *Quale in Epiſtolis.* 501. *Non admittitur à Præfationibus.* 514. *In Exordiis quomodo timebat Cicero.* 296. 297.

Exornatio: *v. Commorationem Figuram.*

Exornativum *Genus idem: ac Demonſtrativum: v. ſupra.*

Expoſitio: *v. Commorationem.*

Exprobatio *qualis Oratio ſit.* 404. *Qualis Epiſtola.* 510.

Expoſtulatio *quænam Orationis ſit Species: & quid exigat.* 403.

Ex

Ex templo *occurrentia ſunt præmeditatis gratiora.* 141.
Extenuatio: *v. Diminutionem.*
Ex ungue diſce Leonem: *undè ortum Adagium.* 235.
Ex Viſceribus Cauſæ *quomodo ducantur Exordia.* 283.
Exultat *non ſemel figuratè Orator.* 159.

F

FAbula *Quid ſit: & quæ habeat Nomina.* 522. *An inventorem habeat Æſopum.* 522. *Exemplo ex diametro opponitur.* 522. *Quam habeat ſuadendi vim: & quid Fabulis ſuaſerint Menenius, Demoſthenes, & Nazianzenus.* 523. *An: & quæ Oratorem deceat.* 523. 524. *Deorum Fabulas prædicantes Sacri Oratores ſimiles Idolatris.* 423. *Fabulæ Hebrçorum aliquot ineptæ.* 524. *Fabulæ Virtutes: & Stylus.* 525. *Species quæ: & quales.* 525. *An Exordiis apta Fabula.* 286.
Facetiæ *Sales Orationis: quid ſint: & an deceant Oratorē: ac Chriſtianam ſerietatem.* 77. 78. *Iis ineptus Demoſthenes.* 77. *Quæ habere poſſint Vitia.* 81. *Facetus uſque ad Vitium Cicero.* 77. *Facetiis ne Sacra deſerviat Scriptura.* 43.
Facile *quid ſit.* 412.
Factorum *Locus quam habeat probandi vim.* 38. 40.
Fallendus *aliquando eſt Auditor.* 307.
Fama *quid ſit; & Quotuplex: & in quo differat ab Adagiis.* 53. *Bona eſt Oratori neceſſaria.* 421. *Quid juvet ad Exordiorum inventionem.* 289. *Semper aliquid veri præſupponit.* 54. *Quomodo ea ad Argumenta utendum.* 54. *Quomodo refutetur.* 54. *Inanis: ut plurimùm eſt, & mendax.* 53. *v. etiam Nomen.*
Familiaris *Stylus qualis ſit.* 209. *Familiaritas: v. Conſuetudinem.*
Fatuus *arguta pictura quidam prædicatur.* 456.
Febres *Vitiorum quot: & quæ.* 20.
Felicitas *in quo ſita ſit.* 64. *Conſideratur ab Oratore, prout ab Auditoribus apprehenditur.* 63. *Felicior Alexandro Diogenes: & Aglaus Gyge.* 64.
Femur *percutere primus Cleon cæpit.* 259. *Dolorem indicat.* 182.
Fictæ Voces: *v. Voces fictas.*
Fide *credenda quæ Auctoritas reddat.* 41. *Fidem Theologia exponit, probat, defendit, & nutrit.* 429.
Figuræ; *ſeu dicendi formulæ; quid ſint: & quæ earum Nomina.* 108. *Quot ſint: & quæ. à* 111. *Commovendis Epilogo affectibus aptæ quænam ſint.* 355. *Quæ ad amplificandum.* 216. *Figuras natura docet.* 196. *& naturales quilibet loquendi modi.* 158. *Figurā Emblematis; aut Phrenoſchematis: v. de Emblemate; & Phrenoſchemate.*

Fi-

Filius *Patrem debet honorare*.25.
Finis *inter Circumſtantias quid probet*.34. *Fine Legis adæquatè ceſſante; Lex ceſſat* 47. *Finis in omni re eſt prævidendus*.347. *Finem non conſequetur; qui non Principium rectè habuerit*.279.
Firmamenti *nomine quid veniat intra Cauſarum ſeriem*.360.
Flagellis *ſe coram populo cedere an permiſſum Oratori*. 265.
Flores *in Sacris Orationibus fructus parturiant*.435.
Fluctuans *quo Vitio ſit Stylus*.202.
Flumen *Eloquentiæ eſt Oratio*.268. *Flumina è Paradiſo manantia*. 267.
Fœminæ *celebres*.375. *Fœminas domi manere decet* 452. *Fœminarum Virtutes*. 375. *Eas ne aſpiceret; quare ſe excæcavit Democritus*. 28.
Fons *Paradiſi deſcribitur*.267.
Forma *qualis Argumentorum Locus*.21.
Formicam *qui commendent*. 366.
Fortes *eum hoſtem putant, qui contendit: victo verò parcunt*. 113.
Fortitudo: *v. Conſtantiam.*
Fortunæ *Circumſtantia quid importet*.37. *Fortunæ non credendũ*.84.
Forum, *& Chriſtus multiplici ex capite opponuntur*. 133. *Forum acutiſſimis lapidibus quare ſtraverit Cato*. 397.
Fraus *amica licet: nec omnis reprehenſibilis eſt*. 106.
Frequentationis *Figura quid habeat*.129.
Frigiditas *quodnam Orationis Vitium*. 199.
Fuga *pro armis Ioſeph utitur*. 22. *Fugienti Duci quodnam opprobrium* 446.
Fulmina *eliciens Fulmine ictus perit*. 550. *Fulminare cur dicatur Demoſthenes*.162.
Furoris *bellici imago ingenioſè deſcripta*.447.
Funebris *Orationis Origo: Munus: Uſus: Artificium*.387. *Sacræ quæ leges*.436. *De Chriſti Morte qualis*. 388.
Funeribus *non niſi muliebri amictu permittebantur aſtare viri*.425.
Furatur *nummos è ſignatis ſacculis ſervus; ſigillo intacto*.481.
Furtum *Oratorium quid ſit*. 543. *Quare non committatur à Sanctis Patribus ex aliis res ſumentibus*.544.

G

GAudium *de præſenti bono præterita augent mala*.79.
Gehon *è quatuor Paradiſi Fluminibus Æthiopiã abluens*.267.
Gemma *integrum conſtituens vas*. 21. *Gemmarum pretium in Annulis*.478
Generatio *Chriſti inenarrabilis quotuplex conſiderari poſſit*. 45.
Genethliacon *quid priſcis fuerit*.384. *v. Natalitia.*

Genus

Genus *Argumentorum qui Locus*.21.
Genus *dicendi quotuplex*.365.
Genus, *nempè Origo, quam afferat laudem: & quomodo ei occurratur*.370. *Id à Diis priſci repetere conabãtur: Arcades verò Luna antiquius jactabant*. 370. *Generis gloria , nec bona , nec mala patitur eſſe in occulto*.371.
Geſtus *Oratoris ſenſus potiùs innuat; quàm verba*. 263. *v. Actionē: & præſertim Manus.*
Gigantes *in Annuli gemma coacti*.480.
Gladiatorios *ludos Demonactes couſtanter improbat*.433.
Gladio *ſepties iſta innocens Virgo feriri nequibat*. 204. *Gladii capulo inciſum Sigillum cur haberet Carolus Magnus*. 480. *Idem Gladium præ Corona cur elegerit adoleſcens*.374.
Gloria *quid ſit*.21.
Glypti *nomine quare Clypei nuncupati*. 455.
Gradatio, *Figura, quid præſtet: & qualis eſſe debeat*.142.
Græcia *ſemper voluit Eloquentiæ Princeps eſſe*.184.
Grammatici *Rhetorum provinciam cur occuparint*. 496.
Grandis *Stylus: v. Magnificum.*
Gratia, *& Eloquentia plurimùm in Civitatibus valent*. 273.
Gratias *agit Oratio Euchariſtica: & quomodo id præſtet*.395.
Gratitudo *quid ſit*.67.*Quæ eam ingenerent: vel auferant*.70.
Gratulatio *quodnam Orationis genus*.393. *Quodnam Epiſtolæ*. 505.
Gravis *Stylus qualis eſſe petat*.196.
S.Gregorius Nazianzenus *facetiſſimus fuit*.77.
Gryphus *quid ſit: & undè ſic dictum*.529.

H

Habitus *Circumſtantia quid valeat*.37.
Harmonia *Orationis Muſica , ac Militari comparatur Arti*. 162. *Eſt ad ſuadendum utiliſſima*. 162. *Quibus conſurgat ex Virtutibus*.162. *Non ſit minuta*.174.*Ob id enim Iſocrates deridetur*. 174.199.*v. Numerum Oratorium.*
Hebraicæ Linguæ *ſtudium laudatur*. 429. *Ea quare locutus Chriſtus Dominus*.189.
Hebræorum *inepta Fabulæ, & Traditiones*. 524. *Scelus quorundã puerum Chriſtianum crucifigentium: & quod indè prodigiũ*. 488. *Epitaphia*.492.
Hieroglyphicum *quid ſit: quam habeat antiquitatem: & quomodo ex ſingulis deſumatur Tropis*.449.*Quotuplex ſit*.450.
S. Hieronymus *haretici cujuſdam retundit arrogantiam*.82.
Hiſtoriæ *Encomium: & Vtilitas*.514. *Munus*.515. *Quidditas: Finis duplex: duplexque Genus*. 516.*Materia*.517.*Veritas incorrupta, & im-*

Digitized by Google

& imperterrita. 517. Brevitas quomodò intelligatur. 519. Partes: & Textura. 519. Ordo: Partiumque Ligamen. 520. Ornatus: & Vbertas. 518. Stylus. 520. Succinctæ longum Exordium ſtultū eſt. 292. Species variæ: & quid earum quæque requirat. 516. Hiſtoriis an Conciones annectendæ. 519. Hiſtoria an Exordiorum apta materia. 286. Hiſtoriæ Lectio dat Alphonſo Valetudinem. 515. Sine Hiſtoria Achillis nec ſomnū capiebat Alexander. 515.
Hiſtoricæ Epiſtolæ Species: & Ars. 524.
Homerus nonnunquam dormitat. 60.
Homicidarum pœnæ. 22. Homicidam opprimit necati Micitii Statua. 446.
Homo mundi Epitome: ad imaginem Dei factus: Imitatione creatus: Naturæ miraculorum maximum. 537. Ejus laudandi materia per temporū differentias diſtribuitur. 368. Hominum Magiſtri bruta animalia. 538. v. Humana.
Honeſtum quid ſit. 64. Quibus inſit rebus. 411.
Horologium in Annulo Caroli Quinti. 478. Horologio ineptè elaborato facetum additum Lemma. 78.
Hortatoria Oratio quid Artis requirat. 419. Quid Epiſtola. 505.
Hoſtes ſunt; qui de victoria contendunt; non qui victi ſunt. 113. Hoſtes ſolò deterruit vultu Auguſtus: & Severus. 421. Hoſtis ne in manus incideret Cato ſe occidit. 204. Hoſtium ſpolia: v. Trophæa.
Humana Auctoritas quā habeat probandi vim: & Quotuplex ſit. 41. Humaniorum Literarum Magiſtri quare Rhetorum provinciam ſibi arrogēt. 496. Humanitatē expetit vera Philoſophia. 38.
Humeri quomodo in Actione Oratoria regendi. 260.
Humilis Stylus quinam ſit: & quæ ejus Vtilitas: & Ars. 210.
Hyperbaton quid ſit: quot modis partes liget Periodi: & quando ſit Vitium. 166.
Hyperbole, Figura, quid præſtet: & quomodo. 131. Modum quem habere debeat ut Virtus ſit: Sapit enim aliquid Juvenile: imò frigidiſſima à Demetrio dicitur. 132. Quo pacto & ipſa ſuperferatur alia Hyperbole. 131.
Hypotheſis quid primævis fuerit Oratoribus. 299.
Hypotypoſis Figura claritatem addens. 123. Vim recipit ab Energia. 124. Tenui Stylo tribuitur à Demetrio. 123. Quas habeat ſpecies. 124.

I

IActantia Oratore indigna. 2. in Pomponio comprimitur argutè à Cæſare. 82.
Idioma; Quodnam aptius Oratori. 178. Hebræum quàre aſſumptū à Chriſto Domino. 189. Latinum quale antiquitùs fuerit. 180. La-

vini incorrupti primas habet laudes Q. Catulus. 179. Italicum Commune quomodo in Sacris Concionibus adhibendum: & quomodo loci dialectis utendum: eſt enim extraneis periculoſum. 179. Quodnam Sacris aptum Muſicis hbus. 179.

Idola *Patris furata Racheli. 25. Idolatriæ affines quinam Oratores ſint. 433.*

Ieiunium *eximit à divinis flagellis. 71.*

Ieſus *puer cum puero Hermāno ludit. 373. Eius Nomen ænigmaticè deſcriptum. 533. Analyſi Arithmetica à Sibylla prædicitur. 16. Perpetuam præſefert permanentiam. 17.*

Ignarus *rei, de qua dicebat, orator irridetur. 5. v. etiam Indoctos.*

Ignis *flagrat; ubicunque Deus loquitur. 429.*

Ignoratio *quænam ſit Figura. 111.*

Imago *Deiparæ brachiis dormientem infantulum ſuſtinentis arguto carmine ornata. 206. S. Brunonis arguto ſubſignata diſticho. 205. Imagines Locali aptæ Memoriæ quænam ſint. 235. Imaginem non vulgaris rei geſtantes in annulis obſcœna ingredi loca prohibebantur. 479. v. etiam Statuas.*

Imitatio *quid ſit: & quomodo diverſitatem ſimul exigat, & ſimilitudinem. 542. Hominis Creationi exemplar exhibuit. 537. Humanæ inſita naturæ: hominumque Magiſtra 538. Artes docet: & Scientias. 538. Pueris ludos ſuggerit. 538. Quid Eloquentiæ conferat. 538. Eſt plerunque Æmulatione difficilior. 543. Imitati qui alios ſint, Oratores egregii. 539. Imitari dedignantes irridentur. 539. Imitandi plures: & meliores ſunt. 540. Quales tamen hic eſſe debeant: & an Poetas imitari liceat Oratori. 539. Imitator meliora è ſingulis eligat. 541. Imitationis Leges Inventionem reſpicientes; Diſpoſitionem; & Elocutionem. 545. Metaphoras radicitùs per omnem Topicam obſervantes. 548. Imitationes quadā ab aliis ennumeratæ rejiciuntur. 542. Imitandi ſententias, & argutias, quò ſpectet ars. 548. Imitatorum Vitia. 549. Itemque damnatur Inconſtantia. 540. Imitatores nimis ſcrupuloſi, ceu ſervum pecus, reprehenduntur. 543. Mali ſimiles Hoſtilio fulmine icto: & Simiæ infantem fervidæ immergenti aquæ. 550.*

Imminens *quando ſit malum. 76.*

Impatia *quam inter Argumentorum Loca vim habeant. 24.*

Imperator *quid in Republica ſit. 25. Aptus à Pietate redditur. 373. Imperatoris nomina clypeis ſculpebant milites. 456.*

Imperium *ænigmaticè prædicitur D. Henrico Bavariæ Duci. 534.*

Imperium *eſt una ex Figuris: & qualis. 161.*

Implicatio, *Figura, ad Reticentiam reducitur. 117.*

Imprecatio *qualis Figura ſit: & quàm eſſe rara debeat. 158.*

Impreſiæ *Nomen undè deductū 455. Cætera. v. de Phrenoſchemate.*

Improperium, *Figura vehemens, quomodo adhibeatur. 161.*

Impuri *typus animi Oryges Deorum ſigillo non ſignabatur. 479.*

Ine-

Inæqualibus quomodo nil poſſimus inter Argumentorum loca. 24
Inanimorum laus undè petatur. 368.
Inauguratio quænam Oratio ſit: & cujus artificii. 391.
Incendium à parva ſæpè ſcintilla habuit initium. 44.
Inconſtantia quorundam Imitantium damnatur. 540. 549.
Incrementum Auxeſis Figuræ quænam ſpecies. 130.
Indecorus Stylus quinam ſit. 201.
Indignatio Virtuoſus ut plurimùm Affectus; Vindictæ mater; & Miſerationis hoſtis; quid ſit. 69. Degenerat nonnunquam in furorem. 87. Quare ferveat 86. Quibus frænetur. 87.
Inductio non tam ad Argumentationes, quàm ad Argumentorum loca ſpectat. 154. Quomodo fiat. 154. Commiſerationi immiſcetur. 159.
Indocti quare plauſus non rarò conſequantur. 8 v. etiam Ignaros.
Ineptos Rhetoricæ pueros; eorumque mercedem rejiciebat Alabandenſis. 3.
Infamiæ erat nota Digitus medius. 470. Infames Inſcript. v. inf.
Infans B. Andreas Avellinus Crucis ſe munit prodigioſè ſigno: 373. Infans locutus eſt Cræſi filius: Zoroaſtres, quo die natus eſt, riſit: Aurelian⁹ è cunis ab Aquila fauſto elat⁹ eſt omine. 373 Julianus Apoſtata Luſtrales fœdavit Aquas. 57. Naſcẽtes quibus excipiebant variæ Nationes. 371. Infantes cur Germanæ Matres propria alebant lacte: & Cato, quoties à Nutrice faſciis vincirentur, intereſſe volebat. 374. Infantia quid laudabile habere poſſit. 372. In pluribus portentoſa. 372. v. etiam Pueros.
Infidelitas Servorum noſtri temporis notatur. 481.
Infulis Sacerdotalibus naſcentes levabant infantes Athenienſes. 371.
Ingenium ſine Arte: & Ars ſine Ingenio inſufficiens. 8.
Ingratitudinis ſpeculum ex quodam Apologo. 526.
Inimicus Animæ eſt Corpus. 141. Inimicum lędere eſt ſibi nocere. 72.
Innocens ſepties iſta feriri nequit. 502. Innocentis pœna ſupplicium non eſt. 83.
Inquiſitio, Figura: v. Interrogationem.
Inſcriptionis Nomen: Munus: & Stylus. 487. Inſcriptionum compendiariæ notæ. 488. Inſcriptiones ad infamiæ memoriam. 488. Morales aliæ 489.
Inſcriptiones Emblematis quales eſſe debeant. 452.
Inſinuatio quid ſit: quando Neceſſaria: & Quomodo fiat. à 270.
Inſtrumẽta, Locus Argumẽtorũ ex Circumſtantiis, quid evincat. 33.
Intellectio, Tropi Species: v. Synecdochen.
Intellectus quot modis moveatur. 116.
Intercalaris Figura ad Converſionẽ reducitur: & quid præſtet. 143.
Interpretatio Figura tùm ferits inſerviens, tùm facetiis. 139.
Interpunctio quomodo ſenſum variare poſſit. 247. Deſideratur multiplex in Evangelii initio ſecundùm Joannem. 248.

Interrogatio, *Figura cunctis deſerviens Figuris, quam habeat Artem.*113.
Interrogantur *Adverſarii, ut ex ipſo ſuo judicentur ore.* 113.
Introductio *Oratoria comparatur Euphrati.*268. *Quem in Oratione locum habeat.*323. *Diſtinguitur ab Exordio; Narratione; & Probationis initio: neque vim habere debet Propoſitionis illativam.*324. *Qualis in ſuis fuerit primordiis.*324. *Qualis nunc ſit: & Quotuplex.*325. *Quodnam ejus Munus: & an omitti poſſit.*325. *Quomodo è ſingulis Topicæ Locis ernatur.*326. *Quas habeat partes: & quas Virtutes.*327. *Quæ Brevitas ei ſit aptior.*328. *Quam exigat Pronunciationem.* 328. *Qualis ſit in Sacris Orationibus.* 435. *Qualis in Hiſtoriis.*519.
Invectivæ *Orationis ſcopus: & Artificium.*405. *Epiſtolæ.*510.
Invenit *aliquando; qui ſemper quærit.*9.
Inventa *ſubitò gratiora: quàm, quæ domo allata.*141.
Inventio *quid ſit.*10. *Quod Munus habeat.*9. *Pro Deliberativis Orationibus undè petatur.*410. *Pro Doctrinalibus.*440. *Pro Sacris.* 429.432. *Pro Symbolis.* 446. *Quid imitanti conſiderandum exhibeat.*545.
Inverecundum *quare ſit Exordium.* 293.
Invidia *quid ſit.*69. *Supplicium eſt invidi.*132.
Invitatoria *Epiſtola quæ: & qualis ſit.*507.
Invocatio *Figura nonnunquam eſt: & qualis.*159.
S. Ioannis Baptiſtæ *Decollatio amplificata.*215.
S. Ioannes Chryſoſtomus *obſcuritatis reprehenſus ſe corrigit.*442.
Iob, *in Hus, terra ſceleſtiſſima; vir rectus.* 33.
Iocoſus *Stylus quibus acuatur.*203.
Ioſeph *Senectutis Filius quare dictus.*372. *Impuram dominam fugiens laudatur.*22. *Annulum recipit aureum à Pharaone.* 477. *Cui Crux erat pro gemma.*481.
Ira *quid ſit.*68. *Contemptum ſupponit.*68. *Quibus accendatur: aut extinguatur.*75. *Perniciosa eſt iracundis* 75. *Non eſt immortalis fovenda.* 22. *Iram Romani Populi in ſe concitatam in adverſarios quomodo Scipio rejecerit.* 255. *Ob quæ aliis iraſcimur; in nobis ſæpiſſimè reperimus.*76.
Ironiam *malè Tropum aliqui faciunt.*183. *Eſt Figura multiplicis uſus.*119.
Iſocolon: *v. Compar.*
Iteratio *quod Figuræ ſit genus.*143. *Quam habeat menſuram: & quas Species.*146.
Iucunda *quænam ſint.*410. *Attentionem facit Iucunditas.*275.
Iudex *ſine manibus ſit.*396. *Apud Ægyptios jurabat; neque ſi Rex præciperet; ſe injuſtè judicaturum.* 396. *Iudicis pecuniam accipientis detracta pellis Filii judicaturi ſedem tegere jubetur.* 396. *Iudicare nolentem Hadrianum quibus corripuerit muliercula.*397.
Iudicatio *quænam Controverſia priſcis fuerit Oratoribus.*300.

Iudicatum: v. *Præjudicium.*

Iudicia *quam habuerint Originem.* 397. *Ex Argumentis, an ex Teſtibus fieri debeant.* 56. *Iniqua Porta mortis dicuntur.* 397. *Iudiciorum formæ.* 396.

Iudicialis *Orationis Antiquitas.* 397. *Momentum: & Inventio.* 398. *Stylus.* 399. *Partes.* 400. *Species.* 401.

Iudicium *omnia tranſcendit Oratoris Munera: nec ſpeciale conſtituit.* 10.

Iulianus Apoſtata *quo deformi fuerit vultu.* 177. *Luſtrales Aquas infans fœdavit.* 57.

Iuramentum, *Figura vehemens, quando adhibenda: & per quid juret Orator.* 120. *Cætera v. de Iusjurando.*

Ius *quid ſit: & quotuplex.* 41. *Quomodo materiam Exordiis ſubminiſtret.* 288. *Ius Naturæ: v. Naturæ Ius. Ius Gentium; Canonicũ; & Civile quid ſint: & quam habeant probandi vim.* 46.

Iusjurandum *quid ſit: & quid probet.* 58. *Arctiſſimum eſt ad fidem aſtringendam.* 58. *Dicitur à Labario Emplaſtrum æris alieni.* 58. *Semel falsò juranti non eſt ampliùs credendum.* 58.

Iuſtoriæ *Epiſtolæ Munus: & Textura.* 507.

Iuſtitiæ *laus: & Tribunalia.* 396.

Iuſtus *facilè exauditur.* 155. *Iuſti anima Cœlum eſt.* 153.

L

LAc proprium alẽdis liberis quare dabant Germanæ Matres. 371.

Lachrymæ *mentis indices: Doloris; aut Lætitiæ effectus.* 258.

Lachryma nihil citiùs areſcit. 354. *Lachrymas ex inimicis expreſſit Gracchus.* 243. 251.

Laconiſmus, *Figura à Lacedæmonibus originem habens, quid valeat.* 127. *Quam habeat Gravitatem.* 197.

Lætitia *Lachrymas aliquando parit, deliquiũ, aut mortem.* 68. *Quibus excitetur.* 76. *Quibus reprimatur.* 77. *Lætitia mundi vana.* 77.

Lamentatio *quænam Oratio ſit: & quid exigat Artis.* 194.

Languidam *Pronunciationem Oratoris redarguit Cicero.* 248.

Lapidariæ *Orationis cunabula.* 485. *Quibus efferatur modis.* 485. *Qua incidi ſoleat lege.* 486.

Latro *non ſemper vincit.* 38.

Latus *quomodo Oratori regendus ſit.* 260.

Laudabile *quid ſit.* 64. *A ſola Virtute habetur.* 369. *Laudabile non eſt bona habere extrinſecùs advenientia: ſed benè iis uti.* 369. *v. Laus.*

Laudatores *Auditorum ſint moderati.* 275. *Mendaces veras obſervant laudes: incauti verò nolentes vituperant.* 379. *v. Laus.*

S. Laurentii *Martyrio anagrammaticè alluditur.* 16. *cum D. Cajetano comparatur* 311.

Laus

Laus à nonnullis victoriæ præfertur. 13. Ejus nimis avidi Oratores reprehenduntur. 162. v. Laudabile: & Laudatores.
Lectione diutina inſtruatur Orator, priuſquam dicat 7.
Lectiones Sacræ Pomeridianæ: v. Doctrinalem Orationem.
Lemma Emblematis, aut Phrenoſchematis: v. Emblema, & Phrenoſchema.
Lenitas quid ſit. 68.
Leo Chriſtum Dominum ſignificat. 42. Leo pueros in amphitheatro diſcerpens argutè increpatur. 205. Leonem ex ungue. 635. Leones ſerico filo per Vrbem ducti. 88. Triumphalem Antonii currum trahentes. 452.
Lepores Orationis ſunt Argutiæ: v. ſup.
Lex quotuplex ſit. 46. Quomodo citabitur ab Oratore. 46. Quomodo oppoſita confutabitur. 47. Quot ex capitibus ceſſet. 47. Ceſſat, adæquato fine ceſſante. 47. Legem ſuperioris nequit inferior caſſam reddere: poteſt æqualis. 46. Legem vis non facit. 47. Legis ambiguæ undè Interpretatio. 48. Sine Lege loqui erubeſcunt Iuriſtæ. 43. Legem quare à Sacerdotibus petere; & propria ſibi ſcribere manu Reges juberentur in Deuteronomio. 228. Legum conſtans obſervantia in Eleazaro. 375.
Libertas humani arbitrii à paſſionibus obruitur. 59.
Libertas in reprehendendo qualis eſſe Sacris in Oratoribus debeat. 430.
Libidinis Cauſa Ebrietas. 226. Effectus Avaritia. 28. Eam ut fugeret, ſe excæcavit Democritus. 28.
Licentia, Figura vehementiſſima, quomodo adhibenda. 118.
Ligare Civem Romanum, facinus erat. 217.
Linguam non frænantis vana Religio. 12. Lingua Demoſthenis fulminans. 162. Lingua; ſc. Idioma: v. ſup.
Lis, ne in conſuetudinem Romanis tranſiret; quid fecerit Cato. 397.
Literalis Sacræ Scripturæ ſenſus quis ſit. 41. Vim habet inter cæteros præcipuam. 42. Non tamen ſemper eum habet Scriptura: nam Litera aliquando occidit. 42.
Localis Memoria: v. Memoriam Localem.
Loci Circunſtantiæ quid probet. 32.
Loci, quos Topica ſuggerit, ſint Oratori præ manibus. 12. Quid ii ſint. 11. Quot: & qui ſint. 12. Intrinſeci qui ſint. 13. Qui Extrinſeci. 39. Vtrique quid Amplificationi conferant. à 214. Qui ſint Doctrinalis Orationis proprii. 446. Qui Symbolis materiam ſubminiſtrent. 446.
Logici filii Sophiſma de ovis argutè Ratiocinator reſolvit 207.
Longum Exordium vitioſum: & quale ſit. 292.
Loquitur Crœſi filius adhuc infans. 472.
Ludit cum Puero Ieſu Hermannus puer. 373. Ludus aliquis Adoleſcentiæ permiſſus. 167.

Lug-

Lugdunenſis Rhetoris pallor: quale Adagium. 52.

Lumina *Orationis ſunt Argutiæ: v. ſupra.*

Lunæ *habet imaginem Selenitis lapis.* 430.

Lupanaria *ingredi ſignatos annulos habentes non vulgari figura vetitum.* 479.

Luſtrica *Oratio quænam ſit: & qualis.* 385. *Luſtricus dies qui ſit.* 385.

Lutherus *Apocalypſis beſtia Numerali Analyſi oſtenditur.* 18.

Luxuria *Avaritiæ Mater.* 38. *Ebrietatis filia.* 226. *v. Libidinem.*

Luxus *à Seneca reprehenditur.* 22.

M

MAgiſtri *filiorum eſſe voluere Plato; & Auguſtus.* 374. *Magiſtri eſt præcepta tradere: nō exemplis omnia proſequi.* 240.

Magna *minùs miramur, quàm nova.* 124. *Magna de levibus prædicantes irridentur.* 400.

Magnanimes *rarò admirantur.* 116.

Magnificus *Stylus qui ſit: & quid valeat.* 196.

Magnus *Stylus dicitur à nonnullis; qui Copioſus.* 198.

Majeſtas *Iulii Cæſaris uno verbo ſeditioſos cohibuit.* 421. *Scipionis verò modò concitatam in ſe Populi Romani iram in adverſarium retorquet: modò adoratur, ut divina, à latronibus.* 255.

Majus, *Argumentorum locus, exponitur.* 26.

Malè *petenti, quæ petit, denegare ne pudeat.* 85.

Maledicus *Stylus Vitioſus; idem, ac Mordax: v. inf.*

Maledici, *nec mortuis parcentes, notantur.* 45.

Maledictio *nil facilius.* 54.

Malum *nullum, niſi æternum.* 425. *Mala prævisa minùs angunt.* 76. *Quando immineant.* 76. *Præterita gaudium augent de præſenti bono.* 79. *Et ad id reducuntur: quemadmodum & minus Malum.* 64. *Mala multi probant: Bona nemo improbat.* 444. *Mala cuncta Malus patitur.* 218. *Non ſunt facienda, ut eveniant Bona.* 33.

Malus *cuncta patitur Mala.* 218. *Mali omnes ſumus.* 76.

Malus *Affectus commovendus non eſt; quamvis ad bonum finem.* 62. *Malè fœminæ deformitatē argutè Theophilatus interpretatur.* 132.

Mandragora *Viti quid præſtet.* 433.

Mane, Thecel, Phares, *ænigma portentoſum: quid ſignificet.* 524.

Manus *præcipuum habent Actionis Oratoriæ munus: ut ferè loquantur.* 258. *Quomodo ſint regendæ.* 259.

Manus Dei *myſticè dicitur Omnipotentia.* 42.

SS. Mariæ Virginis *quanta Protectio.* 145. *Quàm ſalutare Nomē.* 146. *Id quicunque profert; addit illicò Virginis appellationem.* 191.

191. *Ejus imago dormientem Ieſu ſuſtinentis arguto ornatur carmice.*206.*Eam ſubbarrat puer Edmundus: atque ab eadem puer Robertus ſubbarratur.*373. *Ejus ubera, ſimulque vulnera Chriſti contemplatur D. Auguſtinus.*112.
Martyris *Virtus quomodo amplificetur.*214.
Mater *ex amore erga infantem agnoſcitur à Salomone.*57.
Matura *Caroli Quinti adoleſcentia.*374. *Inſuper & Alexandri.*372.
Medico *cognoſcendum, qui morbus ſingulis inſit ægrotis.* 88. *Medico Rex cõparatur.*374. *Medicis aureum annulũ qui impetrarit.* 478.
Media *quam habeant probandi vim inter Circunſtantias.*33.
Medius *Stylus qui ſit: & quotuplex; & quid valeat.*201.
Membrum *Periodi quid ſit.*163. *Quæ ejus apta Longitudo.*168. *Mēbra quot componendæ Periodo aſſignentur.*168. *Quomodo venuſtè in unam Periodum componantur.* 167. *Membratim, aut Inciſim Soluta Oratio differt à Membratim, aut Inciſim Periodica.* 165.
Memoriæ *Encomia.*223. *Memoria dividitur in Apprehenſivã: & Recordativã: & quid earum quælibet ſit.* 224. *In Hortenſio quàm fuerit felix.* 226. *In Proæreſio dictam ex tempore Orationem fideliſſimè retinebat.*224. *In Mithridate, & Theodecte quàm admirabilis.*223. *In quodam puero portentoſa.*225. *Memoriæ vitio, quò laboraverit Calvitius.*224. *Integrã obliti nonnulli ſunt Orationem: quidã verò alius etiã ſuum Nomen.* 224. *Memoriæ Artem ſibi promittenti quid reſponderit Themiſtocles.*224. *Ars ejus præcipua labor eſt: & exercitatio: opus autem ejus Phyſicis omnibus arcanum.* 225. *Iuvat quoque Scriptio.* 228. *Memoriter ediſcens qualis eſſe debeat: & quomodo res intelligere, quas ediſcit.* 226. *Ediſcendi qui aptior Locus: quod Tempus: qui Modus.* 227. *Memoriæ quomodo per partes ſit Oratio tradenda: & an ſingula committenda Verba.* 227. *Memoriam experiri quomodo juvet.* 225. *Memoriæ Mors Ebrietas.*226.
Memoriæ Localis *ex notabili eventu Origo.*230. *Ejus vana jactatio in Metrodoro.*234. *Ejuſdem Artificium Locis continetur: & Figuris.*231. *Ad quod aptæ multigenæ Imagines.* 235. *Ejus leges praxi inutiles.*241. *Loci mutatione Memoriã inſufficientem adeò Porcius Latro expertus eſt; ut transferri voluerit ſubſellia in Baſilicam.*241.
Memoriæ *Oſtentatio, quæ Italicè dicitur* Titata; *aptior eſt circulãti; quàm* Oratori: *atque indoctorum hominum propria cenſetur à D.Hieronymo.*146. *Nullum habet boni Oratoris Munus.*145.
Mendaciis *laudantes vera obſcurant.*379. *Mendacium apertiſſimũ, & ridiculum, de cujuſdam vulnere.*518.
Mendacem *oportet eſſe memorem.*337. *Ei, etiam vera cùm dicit, nõ credendum.*379.
Mentiri *qui ſolet, pejerare conſuevit.*58. *Mentiri nolens ſepties icta non feritur.*501.

Meſ-

Meſſanæ deſcriptio.122. *Meſſanenſis pueri erga Deiparam devotio: ob quam ab Hebræis crucifigitur: & quod indè prodigiū.*488.
Metalepſis *omnibus ſe immiſcens Tropis: ab iis tamen differens.*186.
Metaphora, *Specialis Tropus, in quo fundetur.* 86. *Quot habeat Species.*187. *Quæ Proportionis eſt; probatiſſima.*474. *Quas quęlibet exigat Virtutes.* 187. *Ob Evidentiam commendatur.* 473. *Quomodo fiat Vivax.* 190. *Quomodo Nova.*187. *Quomodo Brevis.*187. *Quomodo Clara: & quo pacto ex pluribus una poſſit ſine obſcuritate fieri.*188. *Vndè incepit; ibi finiri debet.* 191. *Modeſta quomodo ſit; Aptaque; & Decens.* 188. *Nimis recondita degenerat in Ænigma.*187. *Ænigmatica quomodo fiat.*535. *Metaphoræ quo pacto rem amplificent.*220. *Audaces refutantur.*189. *Duræ reprehēduntur.*189. *Quomodo leniēdæ.*190. *Metaphora Exordiorum eſt Inventioni aptiſſima.*284. *An ſit Adagiis neceſſaria.* 52. *Metaphoricæ Definitiones ad amplificandum aptiſſimè conglobantur.*213. *Metaphorica Propoſitio: v. Allegoricam.*
Metonymia *qui Tropus ſit: ejuſque plura genera ex omnibus Circumſtantiis.*184.
Metu *extortæ confeſſiones non evincunt.*57.
Militaris *Virtutis Encomium.* 32. *Militares induſtriæ: & cautiones in Epiſtolis.*499. *Militiæ, & Muſices fœdera.*162.
Mimus *quo Vitio quis dicatur.*81.
Minus, *Argumentorum Locus, explicatur.*26.
Minutus *quorundam labor Oratorum grana ciceris in acum inferenti comparatur.*177. *Minutiarum notatus ſe defendit Damis.*381.
Mira *uſu vileſcunt.*318. *Miramur magis nova, quàm magna.* 124. *v. etiam Admirationem.*
Miſeratio, *Indignationis hoſtis, quinam Affectus ſit.* 69. *Ex quibus conſurgat.*85. *Quibus obruatur.*85.
Miſeratio Divina *relucet in Chriſti Domini lachrymis ſup. Hieroſolymam.*96.
Miſericordia Divina *orari vult; ut ignoſcat.*155.
Miſſiones *Sacræ cujuſgeneris optent Orationes.*437. *Quod Idioma.* 179. *Incultæ eſſe non debent; ſed artificioſæ.*208.
Mithridatis *Antidotum.*193. *Memoria prodigioſa.*223.
Modi *Circumſtantia quid Argumentis tribuat.*34.
Mœrorem *quæ cauſent.*69. *Quæ augeant: aut minuant.*83.
Monodię *pro Chriſti Domini Morte quodnam artificium.*388.
Monopolium, *quia Vocem Extraneam, dicturus Tiberius veniam petit.*179.
Moralis *Sacræ Scripturæ ſenſus quinam ſit.*41.
Morales *Conciones: v. Miſſiones. Morales Inſcriptiones: v. ſup.*
Mordacitas *quodnam Vitium.*81. *Et in Satyrico Stylo.* 208. *In Cicerone, & aliis morte punita.*82. *Et à Tiberio in Paraſito.*83. *Atque ab Antigono in Theocrito.*82.208.

Mors, eàque ſubſequens Tempus, undè laudetur. 378. *Morti ſubjectos omnes homines undè cognovit Sulpitius.* 515. *Quid ex ea veritate Democritus deduxerit.* 424. *Mortem à Riſus impetu patitur Zeuſis.* 78. *A fulmine quidam recipit fulmina artificioſa eliciens.* 550. *Aggreditur Curtius; ut Patriam liberet.* 378. *Præeligit Cato: ne in hoſtis incidat manus.* 204. *Mavult Theocritus; quàm parcere Mordacitati.* 108. *Morti damnare Regem quàm inuſitatum.* 272. *Mortui filii memoria quid in Pollione Oratore valuerit.* 253. *Filii Cineres quare Scenæ Polus intulerit.* 156. 252. *Mors charorum non eſt flenda Senecæ.* 152. *Mortuos miſeros non eſſe; argutè probat Cicero.* 29 *Eorum aſtare funeribus solùm muliebribus amictis veſtibus viris permittebatur.* 425. *Mortuus in acie Callimacus adhuc ſtabat.* 112. 378. *D. Dionyſius amputatū caput geſtavit.* 378. *Mortuis non parcentes Maledici notantur.* 451.
Motrix *Elocutio: v. Elocutionem Motricem.*
Mulieres: *v. Fœminas.*
Multitudinis *quænam; & quotuplex Auctoritas ſit.* 41.
Multum *non eſt; quod ſatis non eſt.* 72.
Mundus *Divinæ Providentiæ adminiſtratur conſilio.* 149. *Mundi bona inſtabilia.* 84. *Beare nequeunt.* 64. *Lætitia vana; & inſtabilis.* 77. *Lachrymis plerunque immiſta.* 96. *Mundum rectum eſſe non poſſe; quidam argutè dixit.* 205. *Ejus varietas ex varia conſurgit corporum combinatione.* 192.
Munera *Oratoris quænam ſint.* 9.
Munera *dabantur ei; cujus celebrabantur Natalitia.* 384.
Murmurantem *Mariam, & non Aaron, lepra quare Deus puniit.* 432. *v. etiam Maledicos: & Mordaces.*
Muſarum *in Templo Rhetoricam docuit Pytheus.* 162.
Muſca *laudatur à Luciano.* 368. *Muſcæ ala tecta Navis: & eburnea Quadriga.* 212. *Muſcas præ otio cōfodiebat Domitianus.* 528.
Muſices, & *Militiæ fœdera.* 162. *Muſicus malè canēs irridetur.* 205.
Mutare *cum ratione Conſilium Sapientis eſt.* 50.
Mutilatores *rerum ab aliis ſumptarum adhuc fures.* 544.
Mutius *Scevola Porſennā Regem aggreſſurus furtim in ejus penetrat caſtra: & quid deprehenſus graviter dicat.* 197.
Myſticus *Sacræ Scripturæ ſenſus quinam ſit: & quotuplex.* 41.

N

Narratio *Oratoria cum Euphrate confertur.* 268. *Quid ſit.* 329. *Quem à Diſpoſitione locum obtineat.* 331. *Quæ ejus Neceſſitas: quæ Permiſſio.* 331. *Munus Introductionis nonnunquam gerit.* 322. *Quodnam ſit tamen ejus proprium Munus: & quæ ejus Utilitas.* 330. 332. *Eam Propoſitionis Speciem cenſuit Ariſtoteles,*

307. *Quem exigat ſuarum partium Ordinem.* 334. 381. *Quas Virtutes requirat.* 332. *Brevitatem ejus neceſſitas cùm non permittit; quomodo ſit præparandus auditor.* 333. *Veriſimilitudinē undè habeat.* 336. *Non modò Veriſimilis ſit; ſed & Vera: veriſimilia tamen additamenta quædam non reſpuit.* 335. *Claritatem qualem requirat.* 334. *Energiam in primis recipit.* 338. *Ornatum qualem velit: & Stylum.* 337. *Qualem & Pronunciationem.* 339. *Solo Iudiciali generi conceditur à Celſo: ſed malè.* 330. *In Iudiciali quomodo narret; quæ pro nobis ſunt.* 400. *Quomodo; quæ contra nos.* 331. *Qualis in Demonſtrativo debeat eſſe.* 381. *Qualis in Sacro.* 435. *Qualis in Hiſtoria.* 519.

Naſcentes *infantes quibus variè levabant antiqui.* 371.

Natalis *Circunſtantiæ quid proſint ad laudem: ejuſque dies, & hora quomodo ſine ſuperſtitione notandæ.* 371. *Natalis Platonis dies idem; qui feſtus Apollinis: eodemque aureus cecidit imbres.* 372. *Natus vix Zoroaſtres eodem die in riſum ſolutus eſt.* 373.

Natalitia *celebranti munera dabantur ab amicis.* 384.

Natalitia *Oratio quænam ſit: & quæ ejus textura.* 384.

Natura *plus ad virtutem ſola valet; quàm ſine Natura Doctrina: proinde Naturæ dotibus condeſcendat Orator.* 3. *Imò & eas augeat.* 5. *Ejus verò defectibus Prudentia occurrat.* 4. *Omnique conatu Vitia corrigat.* 5. *Prolationem ſuæ conformarunt Naturæ Cotta, & Antonius.* 247. *Naturā quas ſuggerit; dicendi formæ in artificioſas aſſumi poſſunt figuras.* 196.

Naturæ *Circunſtantia quid ad ſuadendum valeat.* 3. *Quas habeat Partes.* 36.

Naturæ *Ius Quid ſit: & Quotuplex.* 45. *Immutabile eſt: & infallibilem infert conſequentiam.* 46.

Navis *alæ muſcæ tecta.* 212.

Neceſſarium *quodnam Deliberativæ ſit aptum Orationi.* 413.

Negantia *quem Argumentorum Locum conſtituant.* 27.

Negatio *quando ſit Figura.* 120.

Neganti *probare opus eſt; quare neget.* 344.

Negotiorum *Epiſtolæ quid præſtent: & quomodo.* 507.

Nero *deluditur ab Oraculo.* 39. *Paranomaſia deridetur à Romanis.* 175. *Ejus crudelitas æquivocatione arguta notatur.* 15.

Nexus *inter Periodi partes quotuplex ſit.* 166. *Quomodo ornatè diſponatur.* 167.

Nihil *peccare in Arte Oratoria peccatum aliquando eſt.* 4.

Nobilitas *quantum bonum ſit.* 370. *In quo verè conſiſtat.* 26. *Vera Nobilitas Virtus eſt.* 371. *Nobiles ſolam gloriam ſpectare debent ex Tullio.* 21. *Nobilium qui Affectus.* 91. *Nobiles ut ſe facerent; quid mentiti ſint antiqui:* 370.

Noema *quid ſit* 8.

Nomen *antiquitùs quo imponebatur die: & qui impoſitionis ritus.*

385. Nomen Ieſu ænigmaticè deſcriptum. 533. Ejuſdem Analyſis Arithmetica perpetuitatem deſignans, 16. 17. Nomina Imperatorum clypeis inſculpta geſtabant milites. 456. Sua qua induſtria ſculpſerint Batrachus, & Scaura; Romanis licèt prohibentibus. 237. Nomen ob inſigne geſtum aſſumptum. 385. Diis quare in Apotheoſibus mutaretur. 390. Nomen Ciceronis Arpinis honoris inſigne. 456. Nomen cum violis roſiſque; natum. 205. Nomini mores congruant. 385.

Nomen *Locus Argumentorum.* 13. *Quomodo Inventionem Exordio ſubminiſtret.* 283. *Ejus Notatio.* 13. *Conjugatio: v. Conjugata.*

Nominis *Circunſtantia quid præſtet.* 37.

Nomen *æternum curet Hiſtoricus; non temporalia bona.* 518.

Nominatio: *v. Onomatopæjam.*

Non omnibus omnia: *amplificatur hoc dictum.* 364.

Notatio Nominis *quid ſit: & quid valeat.* 13.

Notatio *Figura: v. Etopæjam.*

Novenæ *Sanctorum quales exigant Orationes.* 437.

Novitas *admirationem parit.* 187. *Magiſque novas miramur; quàm magna.* 124. 318. *Sola hominibus Iucunda.* 109. *Attentionem promeretur.* 275. 276. *Quænã eam dent Adagiis.* 51 *Novitas Propoſitionis: v. Propoſitionem. Novitas Vocum: v. Voces.*

Numeros *translatè deſignant quædam rerum imagines.* 238.

Numerus *Oratorius Quid ſit: & quomodo Harmoniam cauſet.* 169. *Quomodo Accentus conſideret: & Membrorũ partes.* 170. 172. *Decet tùm Sæcnlares; tùm Sacras Orationes.* 172. *v. etiam Harmoniam.*

Numiſmatum *Antiquitas: prima Inſtitutio: Materia; Imagines; & Quidditas.* 482. *An ſint inter Symbola numeranda.* 483. *Alia ſunt Honoris: alia futuræ Felicitatis.* 482. *Honoris varia: & Quibus; Quare ac Quando cuſſa.* 482. *Felicitatis varia.* 484. *Alia Gubernandi Normam exhibentia.* 484.

Nuptiarum *qui ritus antiquis.* 386.

Nuptialis *Oratio qualis eſſe debeat.* 386.

Nutrices *optimæ futuris Oratoribus aſſignandæ.* 7. *Pravæ reprehẽduntur.* 373. *Nutrix filios faſciis cùm vinciebat; intereſſe Cato volebat.* 374.

Nutus *animorum ſunt indices.* 263. *Voluntatem determinant: & pro Voce non raro ſunt.* 256.

O

OBiurgatio *qualis Oratio ſit.* 404. *Epiſtola qualis.* 510.

Obſcœna *bellua Deorum Sigillo non ſignabatur.* 479 *Obſcœna in loca annulos ferre non vulgari imagine ſignatos erat capitale.* 479. *Obſcœnarum rerum propria nomina, vel nomina, æquivoca,*

Ora-

Oratori fugienda.178. Etiam cum detrimento Cauſa.189.Obſcæna,cùm reprehenduntur,ſæpè Reticentiam optant.117.
Obſecratio *eadem cum Deprecatione Figura.159.*
Obſequium *inter Figuras quid præſtet.58.*
Obſiſtentia *Argumentorum qualis Locus.27.*
Obteſtatio *Figura explicatur.121.*
Occupatio: *v. Præteritionem.116.*
Oculi *quid requirant Actionis Oratoriæ.258. Laſcivientes redarguuntur.286. Oculis quem frænum poſuerit Alexander.286.Quid Democritus fecerit.28.*
Odium; *ejuſque ſpecies.67. Quibus cauſetur.71. Quibus auferatur.72.Odio habens alios plùs ſibi nocet.72.*
Offertoriæ *Epiſtolæ Munus: & Præcepta 504.*
Officioſæ *Epiſtolæ explicatio.506.*
Omnipotentia *per manus ſignificatur.42.*
Onomatopœja *quid ſit: & ea quomodo utendum Oratori.182.*
Opinionum *diverſitas inimicos facit.72. Opinionibus aliorum ne facilè cenſuram inurat Orator.443.*
Oppoſita *quas in ſpecies dividantur.27. Quem Locum Argumentis præbeant.27. Simul eſſe non poſſunt:ſed debent de Oppoſitis in eodem genere prædicari. 28. Exordiorum Inventioni quid conferant.186.Eorũ Congeries ãplificat:& quomodo adhibẽda ſit.215.*
Optat *nonnunquam figuratè Orator.159.*
Oracula *Ethnicorum Vana; Fallacia; Adulatoria; Ænigmatica.39.Amphibologica.53 r.*
Orantes *Iuſtos audit Deus.154.155.Qui vult orari;ut ignoſcat.155.*
Oratio *inter Circumſtantias quid valeat.36.*
Oratio Rhetorica *quid à vulgaribus Confabulationibus. & Philoſophicis Diſputationibus differat. 109. Eſt Flumen Eloquentiæ. 268. Creſcere debet.101. Quas habeat Partes. 268. Quem optet Stylum: v.de Stylo. Quem Ornatum: v.de Ornatu. Iuxta Styli diverſitatem, varia ſortitur Nomina. 192. Pendens, ac Supina, quænam dicebatur.163. Membratim, & Inciſim ſoluta differt à Membratim, & Inciſim Periodica. 165. Periodis conſtans Compoſitis plauſibilis. 165. Quænam habeat ſub ſe Genera à 365. v. Demonſtrativam; Deliberativam; Iudicialem; & Sacram.*
Orator *Vir bonus ſit dicendi peritus 2.3. Prudens.3.Opinionem habens bonam. 421. Verè Sapiens. 6. De rebus omnibus ex proprio dicere valens munere. 5. Proteo ſimilis. 1. Nutrici comparatur. 472. Oratoris eſt Docere; & Suadere. 437. Ad hoc præſtandum quænam ejus Munera. 9. Alia autem præſupponit Rhetorica: alia verò ſuggerit. 2. Oratores ardeant; ſi volunt incendere.156. Neque timidi ſint; neque audaces: ſed ſecuri.244. Et qua præditi Cõſtantia. 430. Voluptuoſi redarguuntur. 342. Et qui voluptatem ſaluti; ac laudem victoriæ præferunt. 13. Non eos dedecent mo-*

dera-

derata, & raræ Facetiæ. 77. *In proferendo perſonam ſuam nunquam deſerant.* 252. *Vociferantes irridentur.* 342. *Inertes quare plauſus ut plurimùm conſequantur.* 8. *Orator ex omni parte perfectus nemo unquam fuit.* 6. *Oratorum honores: eiſque erectæ Statuæ.* 408. *Oratores futuros pueros, vel triennes, in literariis exercendos Rudimentis optabat Quintilianus: & Chryſippus optimis etiam Nutricibus tradendos.* 6. *Exerceantur audiendo; legendo; meditando; & ſcribendo; priuſquam dicant.* 7. *Oratores novi ne altum ſapiant.* 109. *Oratoribus Lugdunenſibus ardua lex indicta: ac pœna; ſi victi remanſiſſent.* 52. *Sacros Oratores: v. inf.*

Ordo *Reminiſcentiam adjuvans qualis eſſe poſſit.* 230. *Cætera: v. de Diſpoſitione.*

Origo: *v. Genus.*

Ornamenta *Symbolica Puellis data Ægyptiis ad mores inſtruendos.* 462.

Ornatus *Orationis Virilis ſit.* 147. *Plures habere ſe eum credunt: ſed verè non habent.* 147 *Defenditur in Sacris Oratoribus: ſimulque oſtenditur; qualis eſſe debeat.* 434. *Ornatus Doctrinæ Qualis.* 443. *Exordii qualis.* à 293. *Majeſtatem ſcilicet ſervans.* 294. *Qualis Narrationis.* 337.

Orphei *Lyram improbè ſonans feras in ſe concitat.* 550.

Oſtenſiones *rerum in Epilogo quando liceant: & quomodo faciendæ ad Affectus excitandos.* 265. 355. *Quæ Concionem commoverint.* 265. 356. *Quæ riſum fecerint.* 81. 266. 356. *Oſtenſa SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli capita populum ad Eccleſiæ Catholicæ commovent defenſionem.* 356.

Oſtenſio *Figura Narrationibus præſertim apta: & Deſcriptionibus.* 121.

Otium *Domitiani muſcas tota die confodientis.* 528.

Ovum non tam ſimile Ovo: *Adagium.* 25.

P

PActum *quid ſit: & quid ad Argumenta concludenda valeat.* 51. *Liberum eſſe debet.* 51. *Quomodo ejus enervetur vis.* 51.

Pædagogi *futurorum Oratorum quales exigebantur.* 7.

Pani *incocta Epiſtola.* 499. *Panes terram producturos ſomniarunt Hebræi.* 524.

Panegyrica *Oratio qualis eſſe debeat.* 383. *Sacra qualis.* 436.

Parabolæ *etymon.* 526. *Eſſentia.* 527. *Parabolæ plures è Sacra recenſentur Scriptura.* 527. *Parabola de Epulone vera fuit Hiſtoria.* 335. *Parabolas quomodo loqui Chriſtus dicatur: & quid eæ ſint: & quare Fabulæ non dicantur.* 527.

Paradigma *quid ſit.* 521.

Paradiſus *Terreſtris deſcribitur: eique Rhetoris aſſimilatur Animus.* 267.

Paradoxũ *quæ habeat Propoſitio Orationis: & quomodo aptũ.* 320.

Paranomaſia *quid ſit: & quomodo fiat.* 174. *Quàm parcè adhibenda: & qui in ea multi fuerint.* 175. *Vndè hauriatur abundè.* 176.

Paranymphæa *qualis Oratio.* 392.

Paraphraſis *alicujus textus ad Vnitatẽ Propoſitionis ſufficiẽs.* 312.

Paraſitum *Tiberius occidit; quia ab eo morſus.* 82.

Parentheſis *quæ Figura ſit: & quos habeat uſus.* 140.

Parerga: *v. Emblema.*

Pares *cum Paribus facillimè congregantur.* 52.

Parmenionis Sus: *undè dictum Adagium.* 540.

Parœmia *quaſi in via repertum: v. Adagium.* 52.

Partes *locus Argumentorũ validiſſimus: & quas habens ſpecies.* 19. *Eorũ Enumeratio quomodo probet.* 20. *Quomodo amplificet.* 213.

Partes *Orationis quot: & quæ ſint.* 268. *Duas tantùm cùm facit Ariſtoteles; quomodo ſit intelligendus.* 279. 280.

Partitio *cujus Muneris Figura, & Artis.* 134.

Partitio *Propoſitionis: v. ejus Diviſionem.*

Parum *non eſt; quod ſatis eſt.* 72. *Parva magnorum Cauſæ.* 43.

Paſſiones *judicia pervertunt.* 62. *Opprimunt libertatem.* 59. *Iis turpiter Voluntas inſervit; cùm ſit Domina.* 62. *Earũ expers ſit Orator.* 2. *v. etiam Affectus.*

Paſſionem *Chriſti Domini narrare quomodo Oratores debeant.* 388. *Qua Pronunciatione.* 245.

SS. Patres *quomodo non furer; cùm plura ex ſeſe accipiant.* 544.

Patria *quã laudem conferat: arguta circa hoc dicta: ejuſque laudis refutatio.* 370. *Patriam ut ſalvaret; ſe in voraginem urget Curtius.* 378.

Patrocinatio *quænam Orationis ſpecies: & quid requirat.* 406.

Paucis *contentu Aglaus Gyge felicior: & Diogenes Alexãdro.* 64.

S. Paulus *ſoli comparatur: & ejus Anima Paradiſo.* 285.

Pauli Toloſæ *Clerici Regularis Epitaphium.* 493.

Paupertas *quæ infirmitas.* 141. *Qui potiores Affectus.* 91. *Quod eis dicendi genus conveniat.* 194. *Pauper ſemper Pauper ex Martiali.* 2. *Cupidus cum divite damnabitur.* 156. *Paupertas Chriſti Di exemplo ſit nobis.* 26. *Paupertatem cupiditas comitatur.* 90. *Pauper Aglaus Gyge beatior: & Diogenes Alexandro.* 64.

Pax, *& Bellum nihil habent medium.* 30.

Peccata *ſunt Ignis; Nubes; Fermentum: quæ, etiam levia, ad graviora inducunt.* 44. *Peccator veluti Barbarorum ſervus miſerrimus.* 148.

Pedum *in Oratoria Actione qui Status: & qui motus.* 261. 264.

Pendens, *ac Supina Oratio quænam ſit.* 163.

Periodi *Quidditas: & Origo.* 162. 163. *Genera.* 164. *Quantitas aptior.*

ar. 168. 169. *Quas Partes conſideret Numerus Oratorius.* 170. *Periodus Compoſita quæ ſit: & quæ Simplex.* 164. *Compoſita quibus excepta plauſibus.* 165. *Quomodo venuſtè, & ornatè componatur.* 167. *Quot Membris aptè componatur.* 168. *Quomodo varietate dilatetur.* 220.
Periodica *Oratio Suavis eſt.* 163. *Membris, Conciſiſque ligatis conſtat: & à Membratim, aut Inciſim ſoluta differt.* 165.
Periphraſis: *v. Circumlocutionem.*
Perjurii *ſemel reo non ampliùs credendum eſt.* 58.
Peroratio: *v. Epilogum.*
Perplexio *quænam Figura ſit.* 158.
Perſonarum *Circumſtantiæ quot; & quæ ſint: & quid Argumentis proſint.* 35.
Perſona *conſideranda eſt Dicentis; Auditorum; eorum, de quibus agitur; & aliorum.* 4. *His quoque aptanda Prolatio.* 251. *& Actio.* 261.
Petitoria *Epiſtola quod habeat Munus & quid expoſcat.* 506.
Philoſophia *Nobilem facit.* 26. *Communem vitam, & Humanitatẽ amat.* 38.
Phrenoſchema *quã habeat Etymologiã: Primordia: & Antiquitatẽ uſque à David tẽporibus.* 454. *Definitionẽ: & Diſcrimen à cæteris Symbolis.* 471. *Præſertim ab Emblemate.* 460. *De quibus loqui debeat* 459. *Quidque translatè ſignificare.* 460. *Leges à quo primùm acceperit.* 455. *Phrenoſchematis Partes eſſentiales explicantur.* 455. *Campus qualis.* 466. *Figura an neceſſaria.* 463. *Qualis.* 465. *Quomodo translata.* 455. *Vndè ejus Tranſlatio.* 457. *Ad quẽ uſque numerũ valeat multiplicari.* 46. *Principalis ex pluribus quæ dicatur.* 467. *Lemma an neceſſariũ.* 464. *Quale eſſe debeat.* 469. *Quomodo inveniatur.* 474. *Sub quo Modo, & Tempore efferri poſſit.* 470. *Quã admittat Longitudinem.* 470. *Quam Locutionis Figurã.* 471. *Ejus Decor in quo conſiſtat.* 475. *Perfectum Phrenoſchema quid exigat.* 471. *Qualem Figuram.* 472. *Qualem: & Quantum Lemma.* 473. *Quod Lemmatis Idioma.* 474.
Phyſon, *è quatuor Fluminibus unum, aureas habens arena.* 267.
Pictorem *inter, & Rhetorem comparatio.* 269. *Picturæ Timantis Emphaſim habere dicuntur: & Energiam.* 129. 446.
Pietas *Imperatorem facit.* 373.
Plauſum *ne affectantibus arma excidant.* 342.
Plebeji *quibus vincantur Affectibus.* 91. *Qui eis aptior Stylus.* 194.
Pleonaſmus *quæ; & quotuplex ſit Figura.* 125.
Pœnam *ab occiſore Micitii interempti exigit ſtatua.* 446.
Polyſyntheton, *Species Iterationis, quanam Figura.* 144.
Polyſyntheton *quale Ornamentum nexui Periodi.* 167.
Pontificis *Summi ex cathedra loquentis auctoritas.* 41.
Popularis *Stylus quinam ſit.* 443.

Por-

Portenta *quatenus ad laudem conducunt.* 371.
Portus *Meſſanenſis deſcribitur.* 122.
Poſtulatio *de quibus ſit: & cujus artis Oratio.* 422.
Præciſio: *v. Reticentiam.*
Prædicatio *Verbi Divini non ſit avara.* 154.
Prædicatum, *ſeu Attributum, quid ſit.* 12.
Prædicitur *ænigmaticè Imperium D. Henrico Bavariæ Duci.* 534. *A Sibyllis Ieſu Nomen.* 16. *Imperium Iulii Cæſaris.* 532.
Præfationis *Quidditas: Vſus: Munus: & Stylus.* 513. *An aliquæ Partes.* 514.
Præjudicium *quid ſit: & de qua eſſe re debeat.* 49. *Nequit ab inferiori immutari.* 50. *Quomodo afferri pro ſe poſſit ab Oratore.* 49. *Quomodo refutari: & quantum ad inique indicandum conducere conſueverit.* 50.
Præoccupatio *Figura adverſariis occurrens.* 135.
Præſagia *quomodo ad laudem conferant.* 371.
Præſagitio *quæ Figura ſit.* 135.
Præſumptio *Figura eadem cum Præoccupatione: v. ſup.*
Præteritio, *Figura Amplificationi utiliſſima, qualis eſſe debeat.* 116.
Primordia *quæque res habet rudia.* 543.
Principes *qui deceat loquentes Stylus.* 194.
Principum *Salutatio quale Orationis genus.* 392.
Principium *qui non rectè habuit; finem non conſequetur.* 279.
Privantia *qui Locus Argumentorum.* 27. *Eorum alterum neceſſario dandum ſubjecto utrinſque capaci.* 29.
Probatio *Oratoria Tygri fluvio ſimilis.* 268. *Eſt adeò Neceſſaria: ut quæ probari nequeunt; proponi non debeant.* 340. *Dividitur in Confirmationem, & Confutationem.* 340.
Probitas *Oratori neceſſaria.* 2. *Non præconcepta ſolùm; ſed & Oratione expreſſa.* 3. *Præſertim Oratori Sacro.* 3.
Problematica *Propoſitio quænam habeat.* 319.
Prodigia *circa plures Infantes; ac Pueros.* 372.
Proœmiorum *volumen habebat Cicero.* 97. *Cæterùm: v. Exordium.*
Profanatores *Antri Bethlehemitici perſtringuntur.* 200.
Progymnaſmata, *ad Rhetores pertinent.* 496.
Prolatio *Elocutioni conformanda: & utraque Oratoris Naturæ.* 247. *Eaque ſumenda; quæ durare poſſit.* 246. *Perſonis apta ſit; Rebus; & Affectibus.* 251. *Quas partes in Voce conſideret.* 246. *Qualeſque velit ſingulas.* 247. *Probationis tùm Clamor reprehenditur: tùm languor nimius.* 248. *Acumen etiam: & vitioſa Celeritas: aut Tarditas.* 249. 250. *Reſpiratio quomodo variare ſensũ poſſit.* 247. *Vniſonum turpiſſimum: & Cantus: ad quem tamẽ aliquantò deflectere nonnunquam poteſt.* 250. *Quæ ejus apta varietas: & quomodo Muſico moderabatur eam inſtrumẽto Gracchus.* 251. *Cæterùm: v. Pronunciat. & Vocem.*

Promiſſoriæ *Epiſtolæ Munus: & Leges.* 504.
Pronũciatio *quid ſit: quàm neceſſaria: & quàm difficilè regatur.* 242. *Omnibus æqui valet Oratoris muneribus: & vel prima; vel ſola ſedem in re habet Oratoria.* 243. *Apta lachrymas vel ex inimicis expreſſit.* 243. 251. *Vitioſa deſcribitur.* 242. *In Demoſthene deriſa: ab eo tamen qua induſtria fuerit correcta.* 243. *Quibus ſubjecta Vitiis.* 244. *Ab extremo ad extremum illicò ne tráſeat.* 245. *Quæ affectui convenit toti Orationi communis; nũquam omninò deſeratur.* 245. *Motum vult Oratorem.* 245. *Res quomodo imitetur.* 245. *Quænam Exordiis apta.* 296. *Quænam Introductioni.* 328. *Quæ Narrationi.* 339. *Quæ Confirmationi.* 342. *Quæ Confutationibus.* 346. *Quæ Epilogo.* 352. 355. *Partes habet Prolationem; & Actionem.* 244.
Prophetarum *locutiones quare commendentur.* 191.
Proportio *in quo conſiſtat.* 438. *Vel inter tria ducitur.* 24. *Ex ungue leonem oſtendit.* 193.
Proportionata *quæ dicantur.* 23. *Qui Locus ſint Argumentorũ.* 25.
Propoſitio *Phyſoni comparatur.* 264. *Quid antiquis Rhetoribus fuerit* 304. *Quotuplex.* 305. *Quàm Neceſſaria: & quem apud eos Locum habuerit* 306. *Quot habuerit Nomina.* 298. *Recentioribus quàm Neceſſaria.* 307. 308. *Quomodo Statui antiquorum correſpondeat.* 298. 308. *Locum ante Probationem habet.* 324. *Sterilis ne ſit; quomodo fœcundetur.* 313. *Vberior eſſe poteſt, quàm neceſſitas petat.* 317. *Ne inferatur tanquam concluſio ab Exordio.* 290. *Vel Introductione.* 323. 324. *Quæ ſemel propoſuimus, iis nũquã obliviſcamur.* 313. *Vna ſit: & qua Vnitate.* 309. *Vnitas ab omni Topica deduci poteſt.* 310. *Quantùm ad principale tamen ſubiectum.* 313. *Vniverſalis ſit: & quomodo.* 313. *Partitionem qualiter recipiat.* 314. 315. *Clara quo pacto evadat.* 314. *Novitatem habeat: quæ tota in Oratione perſeveret.* 319. *Metaphorica; ſeu Allegorica defenditur.* 321. *Qualis eſſe debeat.* 322. *Qualis Comparativa.* 320. *Qualis Problematica.* 319. *Qualis Paradoxum habẽs.* 320. *Quænam Demonſtrativæ apta Orationi.* 381. *Quæ Deliberativæ.* 416. *Quæ Sacræ.* 435. *Habere quaſi ſpeciem ſui Narrationem dicitur.* 307.
Proſopopœia *quænam Figura ſit: & quid habeat.* 124.
Protei *transmutationes variæ deſcribuntur.* 1.
Proverbium *quare Parœmia dicatur: & quid ſit.* 52. *v. Adagium.*
Providentia *mundus adminiſtratur.* 149.
Provocatoriæ *Epiſtolæ bono Oratore dignæ: & quomodo fiant.* 507.
Prudens *Orator ſit in rebus eligendis; & moderando naturam.* 3. *Sed præſertim in Actione.* 263. *& Imitatione.* 541.
Pudor: *v. Verecundiam.*
Pueri *quo dicendi Stylo delectentur.* 194. *In medium afferuntur ad miſerationem.* 265. 266. 355. *Pueritia plurium prodigioſa.* 373. *Puer cothurnicum oculos eruens quare damnatus capite.* 57. *Pue-*

rorum ludi Imitationem habentes.538. *Puellæ Ægyptiæ moralibus Symbolis ornabantur.* 462.*v. Educationem;& Infantes.*
Pulchritudo *quid ſit.*377. *Et quotuplex.*378.*Laudatur.*377. *Virtutis non rarò indicium eſt.*377.*Inornata decentior.*209.*Virilis qualis* 414.*Requirebatur in Regibus.*377. *Differt à Muliebri, & fucata.*203.*In Spadonibus deſpicitur.*414.*In Alexandro qualis.*378. *Sine Virtute quantum malum.*378. *Pulchritudo unius imaginis è quinque Virginibus deducta.*540.
Purgatio *Figura ſub Conceſſionis genere.*120.
Puſillus *Teſtis argutæ Reſponſionis Cauſa,& Scopus.*208.

Q

QVadrageſimales *Conciones quid Eloquentiæ requirant.*437.
Quadriga *ala muſcæ tecta.*212.*Quadriga Avaritiæ.* 321.
Quærens *ſemper nonnunquam aliquid invenit.*9.
Quæſtiones *Loca Argumentorum v.Tormenta.*
Quæſtio *quid antiquitùs fuerit in Cauſarum ſerie.*298.
Quæſtiones *aliarum facultatum quomodo in Oratione Doctrinali tractandæ.*440. *Cuivis Exordio Inventionem ſuggerunt.*289.
Querela, & Querimonia *in quo differant.*403.
Queruli *ex quacumque levi cauſa reprehenduntur.*403.
Quid eſt Veritas *interroganti Pilato anagrammatica reſponſio.*16.

R

R, *Litera argutam exhibet Satyram.*15.
Rabidus *Stylus quodnam vitium contineat.*201.
Rachel *filii notantur à fratribus ob matris furtum.* 25.
Ratio Cauſę *quid antiquitùs fuerit.*300.
Rationes *quænam Conjecturalibus aptæ Cauſis.*11. *Infallibilibus ligari nonnulli dedignantur.*10.
Ratiocinatio *Figura attentionem excitans.* 112. *Non attinet ad Dialogiſmum.*137.*Differt à Dubitatione.*113.
Ratiocinatio *Argumentatio eadem; ac Syllogiſmus.v.inf.*
Reaſſumptio *Italicè* Tirata di Memoria *circulantis eſt, & Indocti.* 146. *Nullum habet boni Oratoris munus.*145.
Recapitulatio:*v.Anacephaleoſim.*
Rectus *eſſe Mundus non poſſe argutè dicitur.*205.
Reditus *Principis, aut alterius,qualem Orationem mereatur.* 393.
Reflexio *qualis ſit Figura.*137.
Reginæ *celebres.*375.
Rejectio *quænam Figura.*111.
Relativa, *Locus Argumentorum,quem uſum habeant.*24.
Religio *Sancta, & immaculata quæ ſit.*22.
Religioſi *ſtatus elogium.*35.
Reliquię *SS. Petri, & Pauli oſtenſæ Romanos commovent.*356.

Reminiſcentia *quodnam Memoriæ munus.*224.*Ludentem victorem reddit.*231.*Quid præſtat: & quibus adiumentis.* 229. *Artificioſa originem ex notabili ducit eventu.* 230. *Realis qua ſit: & qui eam adjuvet Ordo.*230. *Localis: v. Memoriam Localem.*
Renuentis *Epiſtolæ Vſus: & Artificium.*504.
Repetitionis *Figura majorem addit vim.* 45. *Quænam Iterationis ſit ſpecies.*143.
Repetitio *facinoris, Circunſtantia vim augens Probationi.* 34.
Repetitio *ejuſdem rei faſtidium affert.*349.
Reprehendentes *quales eſſe ipſi debeant.*284. *Reprehendendi publicè an ſint Eccleſiaſtici.*432. *An Profeſſiones, quæ ſine crimine poſſunt exerceri.*431. *Reprehenſio quomodo ab eorum, qui reprehenduntur, gradu pendeat.*432. *v. etiam Sacros Oratores infrà.*
Repugnantia *qualem conſtituant Argumentorum Locum.* 27.
Reſponſio *figurata quænam ſit.*114.
Reticentia, *efficax Figura, quid valeat.* 117.
Retortio *arguta quomodo fiat.*107.
Revelatio *Divina quotuplex ſit: & quam habeat auctoritatē.* 41.
Reverſio *Figura eadem; ac Intercalaris: v. ſup.*
Reus *audiendus eſt.*278.
Rex *comparatur ſideri benefico; & Medico.*374. *Ejus Virtutes quæ ſint.*374. *Amabilitas Regnorū præſidium.*375. *In eo etiam corporis ſpeciem; & vires qui optabant.*377. *Eū capite damnari, inuſitatum.*272. *Et in bello victum occidere.*113. *Reges jubebātur Legem à Sacerdotibus petere : & ſibi tranſcribere .* 228. *Rex obſui nomen ſit Regilianus.* 14. *Regno gladium prælegit adhuc adoleſcens Carolus Quintus.*374.
Rhetorum *Nomen undè ortum.*397. *Honores quales.*408. *Cum Pictoribus comparatio.*269. *Rhetores in Eccleſia qui dicti.*438.
Rhetoricam *à Iove ſub Mercurii comitatu miſſam finxit Ariſtides.* 408. *In Muſarum Templo qui docuit.*162. *Rhetoricæ eſt de re omni ſuadere.*365. *Rhetoricæ ineptos pueros , eorunque mercedem à ſe rejiciebat Alabandenſis.*3.
Ridet *Zoroaſtres, quo naſcitur, die.*373. *Quidam etiam capite damnatus.*79. *Ridiculum quid ſit.* 78. *Riſus quid ſit: & in quo differat à Cacchinno.*68. *Zeuſi mortem intulit.*78. *Quibus fugetur.*81. *Quibus excitetur: v. Facetias.*
Rithmus *quid Orationi inſerviat: & quomodo habeatur.* 169.
Robur *quanti fecerint antiqui.*376. *In ſuis Regibus quærebant Medi.*377. *Sine virtute animi flagitioſum.*377.
Roma *quo nata eſt die, eclypſim paſſus eſt Sol.*368. *Servire quare non pateretur.*27. *Romani Senatus priſca flagitia.*376. *Romanum Civem vincire, necare, in Crucem tollere, quale facinus.*217.
Ruborem *non rarò figuratè ſimulat Orator.*159.
Rumor: *v. Famam.*

Ru-

Ruſtica *vita quas alat Virtutes.*28.*Cupiditates neſcit.*38.

S

S.P.Q.R.*quid ſignificent: & quæ harum origo notarum.*531.

S. Sacer *Orator quã habere debeat probitatẽ.*3. *Cũ Sæculari cõparatur.*426. *Zelo ferveat.*429. *Nunquã ſine Scriptura loquatur.* 429. *Vti quomodo externis poſſit doctrinis.* 432. *Nimium ſæcularibus auctoribus; & fabulis, præſertim Deorum, vãates redarguuntur.*433. *Qua libertate debeant reprehendere.* 430. *Canes muti rei damnationis auditorum.*431.

Sacra *Eloquentia ſuo aptiſſima muneri.* 428. *Ei detrahentes evertuntur.* 426. *Ejus Character.* 428. *Conſtans ſit; & fluvio ſimilis.* 430. *Omni ſæculari præſtantior.* 427.

Sacra *Oratio comparatur cum Sæculari.*425 426. *Quæ habeat Invẽtionis Loca.* 429. 432. *Quem Stylum.* 427. 433. *Quas Partes: & quales.*435. *Secunda in ea pars quid præſtet: quem habeat locum: & quod artificium.*435. *Quas Species: & quales.* 436.

Sacerdotes *dabant Regibus legem; ut eam ſibi deſcriberent.* 228.

Sacrificium *quia obtulit Saul, cùm Sacerdos non eſſet; reprehẽditur.* 33. *Victimam apud Gentiles habebat ſignatas: & quo ſigillo.* 479.

Sæcularis *Oratio cum Sacra comparatur.*425.426.

Sagittis *immiſſæ Epiſtolæ.* 500.

Sal *omnia condit.*10. *Sales Picturæ.*446. *Orationis.*77.203. *v. etiam Argutias: & Facetias.*

Salus: *v. Valetudinem.*

Salutatio Principum *qualis Oratio ſit.*392.

Sancta Sanctis *danda; clamat in Græcis Liturgiis Sacerdos.*14.

Sanguinem *humanum qui effuderit; ſanguis ejus effundetur.*22.

Sanna *quod Vitium ſit.*81.

Sapiens *eſſe debet Orator.*6. *Sapiens non ſemper ſapit.*541. *Sapientis eſt mutare conſilium cum ratione.*50.

Sapientiam *qui pernicioſam Reipublicę fatuè dixerint.*376.

Satyra *qualis Oratio: & ubi neceſſaria.*405. *Satyricus Stylus quomodo acuatur.*203. *Satyricæ Epiſtolæ Munus: & Leges.* 511.

Scenæ *filii cineres cur intulerit Pollio.*156.252.

Scandalum *ne daret; ſe morti Eleazar expoſuit.*375.

Schema *quid ſit.*8.

Scientia *in Oratore requiſita.*5. *Scientias plures Imitatio dat.* 538.

Scribendi *uſus quàm utilis: & Oratori neceſſarius.* 7. *Memoriam adjuvat.*228. *Scribendi clandeſtinè Ars.*498.

Scripturam Sacram *in ore ſemper habeat Sacer Orator.* 43. *Ejus negligentes reprehenduntur.*43.429. *Cujus firmitatis Locum offerat Argumentis.*42. *Ejus textu duriorem habente explicationem quomodo utendum.*42. *Senſus ejus varii.*41.432. *Quinam eorum præcipuam habeant vim.*42. *Ne facetiis deſerviat: & Scurrilita-*

ti.

Digitized by Google

ti.43. *Conceptus Scripturæ: v.ſupra.*
Scurrilitas *quale ſit Vitium.*81.208.
Scylla *quale monſtrum.*452.
Scytala *inſtrumentum ad clandeſtinè ſcribendum.*498.
Secreti *exactor Sigillum: & ob id labiis Epheſtionis impreſſum.*480.
Securitas *quibus innititur.*73. *Ob quæ vacillet.*74. *Vndè in Oratore.* 244. *In Exordio quænam vitioſa.*293.
Secunda Pars *in Sacris Orationibus quid præſtet: & quomodo.* 435.
Selenitis *lapis imaginem naturaliter habet Lunæ.*430.
Senecæ Stylus, *tanquam Vnitatem habens, defenditur.* 356.
Senum *Affectus.*89. *Virtutes: & præſertim Eleazari conſtantia.* 375. *Senibus qui Stylus arrideat.*194.
Sententia *an Adagiis neceſſaria.*52. *Sententiæ ne crebræ ſint: neve palàm falſæ.* 198. *Sententias imitandi induſtria.* 548. *Sententiolis ne flendum.*204.
Sententia *quænam Figura ſit.*128.
Separatum *Exordium quo erit Vitio.*291.
Sepulchrum *Machabeis erectum Arma habens, & Naves.* 484. *Archiloci veſpas circùm habens marmoreas.*451. *Apis ſepulchrū electrum.*139. *Necnon & Viperæ.*207. *v. Epitaphium.*
Sermo, *quantùm ad Pronunciationem attinet, quid exigat.*253.264.
Sermocinatio *quænam Figura.*125. *Species Dialogiſmi.*136. *Sermocinatio Catonis ſibi necem inferentis.*204
Servire *Deo regnare eſt: quare noſtris datur Sacerdotibus annulus.* 477. *Servus Dominum honorat.*25. *In Libertatem vocatus annulum quondam accipiebat.*477. *Servorum noſtri temporis infidelitas notatur.*481.
Siciliæ *Encomium apud Ciceronem.*276.
Sidera *minora è majoribus adumbrantur.* 26. *Sideri benefico Rex comparatur.*374.
Sigillum *quid ſit.* 479. *Gladii capulo cur inciſum haberet Carolus Magnus.*480. *Sigillorum cælaturæ variæ.* 480. *Sigillarii Annuli Sponſis quare dabantur.*479. *Dormitantibus, & morientibus detrahebantur.*479. *Eorum uſus varius.*479. *Iis ſignatæ victimæ offerebantur: & quæ refferretur imago.* 479. *Impurum tamen animal Deorum non ſignabatur imagine.* 479. *Quomodo ſignabantur Tabulæ: & quare.*480. *Quomodo res Domeſticæ: & qui ciborum reliquias ſordidè ſignaverint.*481. *Iis intactis ſignatos nummorum ſacculos ſervus exhauſit.* 481. *Epheſtionis labiis Annulus imprimitur ſigillarius in ſecreti inculcationem.*480. *v etiam Annulum.*
Signa, *Argumentorū Loca, quid valeant: & quomodo refutētur.* 57.
Signum Perfidorum Iudæorum, *Inſcriptio Meſſanæ inciſa in memoriam ſceleris quorundam Hebræorum.*488.
Simia *fortium urnam confundit.*83. *Infantem ferventi immergit aquæ.*550.

Si-

Simili Argumentorum Loco quomodo utendum. 25.
Similitudines varias inveniendi duplex modus. 214. Quid inventioni conferant Exordiorum. 254. Amplificant. 214.
Similiter Cadens quid ſit. 172. Quid Similiter Deſinens. 173.
Simulatio eadem Figura cum Ironia.
Sitim veneno ſuo propinat Aquilæ Dipſas. 463. Sitientem exercitū quibus ad aggreſſionem incitaret Magnus Carolus. 411.
Solis ſemper ejuſdem effectus varii. 364. Eclypſis eo die cōtigit; quo Roma fuit condita. 368. Soli camparatur Eloquentia. 364. & Rex 374.
Somnium ænigmaticè deſcriptum. 535. Somnia quid ad laudem conferant. 371. Superſtitioſè obſervata quàm vana. 40.
Sonus Vocalium, & Conſonantium, quid conferant Orationis Harmoniæ. 173. Non ſcrupuloſè queratur. 174. Ob id Iſocrates deridetur. 174. 199. Vitioſus undè oriatur 174.
Sophiſmati cujuſdam Logici argutè Ratiocinator reſpondet. 207.
Sorites qualis ſit Argumentatio. 152.
Sortis Circumſtantia quid valeat. 37.
Spadonum deſpicitur Pulchritudo. 414.
Species qualis Argumentorum Locus. 21.
Speculationibus Deum quærere difficiliùs; quàm amare. 137.
Spes quid ſit. 68. Quibus excitetur. 73. Quibus obruatur. 74. Humana fallax. 219.
Spes inter Figuras numeratur. 159.
Spumam Protogenis Ars pingere non potuit; Caſus, & Deſperatio valuit. 543.
Sponſalitii Annuli: v. Annulos Pronubos.
Statuæ Rhetoribus erectæ. 408. Statuam quibus ſibi poſceret Iphicrates. 35. Statua Promethei arguto ſubſignata lemmate. 205. Micitii mortem ulciſcitur ejus Statua. 446. Piſonis Statuam affixere milites, eo ſuis è manibus elapſo. 218. Statuarum capitibus ablatis, ſuorum imagines qui ſuppoſuerint: & quare. 448.
Status quid, & quotuplex fuerit primævis Oratoribus. 301.
Stella in maternum lapſa ſinum Theodori ortum indicat. 371.
Stemma quid ſit: & quod ejus artificium. 476.
Sterilis ne ſit Propoſitio; quomodo fæcundetur. 313.
Studiorum Circumſtantia quid importet. 38.
Stylus quot habeat ſub ſe genera: & quid eorum quodque requirat. 196. Qui ſit aptior Orationi. 193. Similis Mithridatico ſit ātidoto: & Achati lapidi. 193. Quo plauſu eo cœperit uti Cicero. 193. Varius ex figurarum combinatione multiplici conſurgit: variaque ſortitur Nomina. 192. Copioſus qui ſit: & quid ſemper valuerit. 198. Aptus eſſe rebus debet; & Oratori. 428. Materiæ non correſpondens deridetur. 400. Dicentis; & Audientium ſit conſonus: & quomodo. 194. Sed præſertim viribus Oratoris. 45. Stylus Vir-
gilii

gilii à Zoili cujuſdam morſibus vindicatur. 195. *Suus cuique detur dicendi generi.* 194. *Demonſtrativo quinam aptior.* 379. *Quinam Deliberativo.* 414 *Qui Doctrinali.* 443. *Qui Sacro.* 428. 433. *Qui Populari.* 443. *Styli imitatio.* 547.
Suadet *Orator Elocutione dupliciter.* 109. *Semper intellectum reſpicit, etiam cùm ad voluntatem refertur.* 10.
Subjectio, *Figura ab Interrogatione, & Communicatione diverſa.* 113. 115.
Subjectum *qualis Argumentorum Locus.* 21.
Subiectum Propoſitionis *quodnam ſit.* 12.
Sulphurati *homines qui dicantur.* 419.
Superabundantia *Figura eadem cum Pleonaſmo: v. ſup.*
Superbiæ *faſtus humanæ confutatur.* 26.
Superflua *quare nonnulla in Oratione ſint.* 106.
Superioris *exhortatio vim habet præcepti.* 420.
Superlatio: *v. Hyperbole.*
Sus Parmenionis *quale Adagium.* 540.
Suſpenſio *Figura: v. Suſtentationem.*
Suſpenſio Harmonica *quid ſit: & quã unitatem det Periodo.* 166.
Suſtentatio *Figura quando; & quot modis adhibeatur.* 118.
Syllogiſmus *quas habeat partes: & quam texturam.* 148.
Sylva *rerum Oratori paranda: ejuſque triplex modus. à* 92.
Symbolum *quid ſit.* 445. *Ejus Materia ſumitur ex omni Topica.* 446. *Vnde ſumatur Forma; ſeu determinatio.* 447. *Symbolorum miſturæ.* 481. *Symbolica Ornamenta puellis Ægyptiis data.* 461. *Symbolica Oratio idem eſt; ac Symbolum.*
Sympathicæ *Figuræ intellectum moventes.* 111. *Voluntatem.* 156.
Synecdoche *qualis Tropus: & quis ejus Vſus.* 184
Synecdoche *eſt etiam Figura à Tropo diverſa: & qualis.* 129.
Synonymia *quænam Figura ſit.* 126.

T

Tabulæ *qualis Argumentorum locus.* 59. *Intactæ debent eſſe; ut fidem faciant.* 60. *Antiquæ recentioribus integriores.* 60. *Quomodo ſignabantur.* 480. *Quomodo refutantur.* 60.
Tapinoſis, *Figura rem extenuans, quid habeat.* 130.
Templorum *cultum quanti faciat Deus.* 96.
Temporis *Circumſtantia quid valeat.* 35.
Temporalia *Bona inconſtantia.* 84. *Verè Bona non ſunt; ſicut nec Mala.* 425. *Eorum amor pernicioſus* 71.
Tenuis *Stylus qualis ſit.* 208. *Quotuplex.* 209.
Tergiverſatio *Scipionis argutiſſima.* 255.
Terram *generis ſui originem jactabãt Æthiopes.* 370. *Eam oſculatus Iunnius ſpem regni accepit ex Oraculo.* 39.
Terræ Promiſſionis *fœcunditas ex racemo deducta.* 22.

Ter-

Terrena *Bona, aut Mala: v. Temporalia.*
Teſtes *duplicis ſunt generis.* 55. *Qualem Argumentorum offerant Locum: & quomodo eo utendum.* 55. *Quinam eorum validiores.* 55. *Quomodo refutentur.* 55. *Depravari poſſunt.* 56.
Teſtimonium *quid ſit.* 39. *Voluntarium eſſe debet.* 56.
Thema *quid ſit: & quomodo inveniatur.* 62. *Quale ab Emblemate requiratur.* 224.
Theologia *Fidem exponit; probat; defendit; nutrit.* 429.
Theſis *quid priſcis fuerit Oratoribus.* 229. *Vnitatem dat Propoſitioni.* 310. *Materiam dat Exordiis.* 284.
Timor *opponitur Deſiderio.* 68. *Quib' vel incutiatur; vel excutiatur.* 76. *Oritur ex mali apprehẽſione.* 76. *Vitioſus affectus eſt.* 244. *Ciceroné in Exordiis qualis occuparet.* 296. 297. *Timidi inutiles.* 211.
Timor *Figura eſt aliquando: & qualis.* 159.
Tirata di Memoria *Italicè dicta: v. Reaſſumptionem.*
Tonus: *v. Accentum.*
Topica: *v. Locos Topicos.*
Tormenta *qualis Argumentorum Locus.* 58. *Enervantur.* 59.
Totum *ad Partes quæ Argumenta ſubminiſtret.* 23.
Traditiones *quædam Hebræorum fabuloſæ, & ineptæ.* 524.
Traductio, *Iterationis ſpecies, qualis Figura ſit.* 144.
Transgreſſio: *v. Hyperbaton.*
Tranſitio *quid ſit.* 356. *Quotuplex.* 357. *Ex õni Topica eruitur.* 358. *Omnes ad eam aptæ Figuræ.* 360.
Translatum *quo Vitio ſit Exordium.* 291.
Translatæ *Voces: v. Tropos.*
Translatio *culpæ Inſinuationis ad benevolentiam opus.* 274.
Tranſumptio *Tropus idem cum Metalepſi: v. ſup.*
Tribulatio *nitorem dat Virtuti.* 424. *Innocenter, & ſereno corde eſt ſuſtinenda.* 84. *Quàm Vtilis ſit.* 214. *Summa eſt amatorũ Chriſti gratia.* 71. *Tribulati Filii Dei.* 72.
Tribunalia *varia.* 396.
Triumphanti *qualis ſolvenda Oratio.* 394. *Triumphalem trahunt Antonii currum Leones.* 452. *Trahitur verò Triumphali curru Cleopatræ imago.* 448.
Trophæa *quid ſint: eorumque Origo: & Species.* 484. *In Machabæorum Sepulchro quænam inciſa.* 484.
Tropi *quid ſint: & meritò omnes Metaphoræ vocentur.* 183. *Ex Ænigmatibus ſiunt.* 535. *Quomodo amplificent.* 220. *Quænam eorũ Species.* 183. *Eos neceſſitas primùm invenit: utitur nunc verò Ornatus.* 183. *Quare iis magis auditores delectentur; quàm propriis vocibus.* 183.
Tropologicus *Sacræ Scripturæ ſenſus quinam ſit.* 41.
Tumultus *à Bello quid differat: & quid ſit.* 283. *Belli ſpecies eſt.* 30. *Tumultuantes quomodo compreſſerint Severus, Druſus, & Iulius Ca-*

Cæſar.421.*Aſperitate quouſque Germanicus cõcitarit*.422. *Proceres obtruncandos docet Tarquinius*.448.
Turpe *quid ſit; & quotuplex*.78. *Turpium propria nomina fugienda*.178.*Vel æquivocè eaſignificantia*,179.
Tigris *flumen impetuoſiſſimum Probationi Oratoriæ ſimile*: 267.
Tyrannidi *Galeaçij Sfortiæ ſymbolicè minantur Genuenſes*.446.
Tyrones *rei Oratoriæ monentur; ne altum ſapiant*. 209.

V

Vagitus *undè dictus*.182.
Valetudinem *Hiſtoriæ lectione recuperat Alphonſus*. 515.
Vanitas *dat pretium Vitio*.138.*In Virginibus reprehenditur*.175.*dicendi Vanitas in Sacris Oratoribus redarguitur*.434.
Varietas *hominibus grata*.193. *Faſtidium aufert*. 194.
Varietas *Styli pro dignitate quo plauſu excepta*.193.
Vas *unica conſtans prægrandi gemma*.31.
Vaſtus *Stylus*: *v*. *Magnificum*.
Vaticanus *undè dictus*.182.
Vava, *puerorum vox, undè orta*.182.
Vbera *contemplatus Virginis Matris, & Chriſti Vulnera, quò ſe vertat, neſcit Auguſtinus*. 112.
Vehemens *Stylus qualis ſit*.100.
Veneratio *Figura eſſe poteſt*.158.
Venuſtus *Stylus quas leges habeat: & quos uſus*.201.
Verba *ſenſu tincta quænam ſint*. 338. *Verbalis Amplificatio undè præſertim habeatur* 221.*Verboſitas à vera Amplificatione rejicitur*.211.*v*.*Voces*.
Verbum *Dei primitùs rarum; & ideò pretioſum*.109.*Non eſt avarè prædicandum*.154.*Ne ad inſanas facetias trahatur*.43.*Vbi loquitur Deus; ignis ardet*.429.
Verecundia *quid ſit*.69.*Quibus cauſetur*. 84. *Quibus minuatur*. 85. *In adoleſcente, ut mentiretur, rogato reprehenditur*. 85.
Verecundum *Exordium quomodo eſſe debeat*.192.
Veriſimilitudo *quomodo à Veritate diſtinguatur*. 335. *In rationibus à nonnullis Veritati præfertur*.10 *Pro Conjecturalibus Cauſis eſt neceſſaria*. 11. *Quo pacto Narrationibus detur*.336.
Veſtalium *Virginitas poſt annos triginta nubentium notatur*.208.
Veſtes *Iudæam producturam, & panes, ſomniarũt Hebræi*. 524.*Veſtis rugam ſibi deſtruenti diem de injuriis dixit Hortenſius*. 257.
Vetulæ *à ſe ridiculè pictam imaginem cùm contemplaretur Zeuſis, riſu nimio correptus, mortuus eſt*.78.
Vexillo *naſcentes pueros Turcæ recipiebant*.371.
Victimæ *ſigillatæ offerebantur*. 479.*v*.*Sigillum*.
Victori *qualis Oratio ſolvenda*.394.
Victis *parcere fortis eſt animi*.113.

Vi-

Victus Circumſtantia quid importet. 47.

Vilis Stylus vitioſus quomodo ab Humili degeneret. 110.

Vindicta Indignationis filia. 69.

Violentia quid ſit. 68.

Vipera in electro moritur. 207.

Viri quod genus ament dicendi. 194. Virilitatis Encomium, & Virtutes. 374. Affectus moderatio. 90.

Vires proprias prudens Orator examinet. 4. Superare volens Florus lepidè corrigitur. 5. Vires Corporis: v. Robur.

Virgo ſepties icta non feritur. 204. Virgines fucatæ redarguuntur. 175. Quibus donabâtur Ægyptiæ Symbolicis ornamentis. 462. Virginitas Veſtalium deridetur. 208.

Virtus ſemper veram attulit laudem. 369. Vera eſt Nobilitas. 371. Sibi ſufficiens ornamentum. 378. In parentibus ferè obruitur; cùm Vitia tranſeant in filios. 371. Educationem deſiderat; cùm Vitia ſpontè creſcant. 373. In adverſis enitet. 424. Virtutis quæ Species. 375. Vis quæ extorſit Signa; ea non probant. 57.

Vita præſens ſupplicium eſt. 424. Optima eſt eligenda: nam conſuetudine jucunda fiet. 128. Vitam brevem nobis ipſi facimus. 133. Ejus inconſtantiam quænam Sulpitio ſuaſerint. 515. Dicendi eſt regula: ut enim vivimus; ita & loquimur. 3. v. Victum.

Viti quid præſtet Mandragora. 433

Vitia ſine magiſtro diſcuntur: Virtutes non ſic. 373. In poſteros facilè tranſeunt: cùm Virtutes in patribus ferè obruantur. 371. Pulchritudini nunquam apta ſunt. 414. Laudari non debent: nec ſpecioſo larvari nomine. 379. Pretium habent à Vanitate. 138. Se invicem trahunt inſtar catenæ. 28. Vitiorum quot Species. 376. Quot; & quæ febres. 20. Vitia Oratorum, licèt ſecùs egregiorum, [illegible] 541. Sæpè ab indoctis Virtutes putantur. 9. Quæ puer ſemel hauſerat Alexander; ſemper retinuit. 7. Vitium ſuæ Pronunciationis quomodo correxerit Demoſthenes. 243.

Vniformitas faſtidium parit. 194.

Vnio quàm ſit omnibus rebus neceſſaria. 356.

Vniſonum Prolationis Vitium turpiſſimum. 250.

Vocales quænam Dulces ſint; Aſperæ; aut Mediæ. 173.

Voluptas quemque ſua trahit. 109. Dolore empta nocet. 34. Faſtidiū habet affine. 208. Voluptuoſi Oratores reprehenduntur. 41[illegible] 342.

Voluntas cùm ſit Domina; Paſſionibus turpiter ſervit. 62. Quot impellatur modis. 110.

Vox (quantùm ad Prolationem) quomodo alatur. 246. Ne deliciis emolliatur. 246. Vocum ſonus Amplificationi deſervit. 219. Vociferantes Oratores irridentur. 342. v. Prolationem.

Voces (quoad ſignificationem) ne affectata quærâtur ſolertia: ſed nervus in eis præferatur Eloquentiæ. 202. Spuma puerilium verborum quænam dicantur. 434. Earum ſimplicitas Sacris Oratoribus pro-

po-

Digitized by Google

ponitur : & reprchenditur *Vanitas*.434. *Aliæ Propriæ ſunt: aliæ Tranſlatæ*.176. *Propriæ maximè decent Oratores*. 176. *Earum ſuperſtitioſus ſervator Tiberius*. 126. 179. *Quas habeant ſpecies*. 177. *Vſitatæ quænam ſint*. 177. *Vocibus, ut nummis, utendum*. 178. *Voces adhibendæ; quæ intelligantur*. 179. *Abſtruſarum delectus irridetur*. 177. *Clariores; Candidiores; ac magis Determinantes quænam ſint*. 202. *Obſcœnis tamen propriis non utendum*. 189. *Nec honeſtis; quas tamen malitia detorſit*.442. *Extraneæ parciùs adhibendæ: & quid circa hoc Tiberius*. 179. *Permittuntur Neceſſitatis cauſa; vel Modeſtiæ*.180. *Vetuſtæ Voces quotuplices ſint*. 180. *Latinæ quales fuerint*.180. *Non adhuc obliteratæ gravem Orationem reddunt: obliteratæ verò ridiculam*. 180. *Vetuſtarum aptiores ſunt maximè Novæ*. 180. *Novarum aptiores ſunt maximè Veteres*.180. *Derivatæ quænam ſint: & quem habeant uſum*. 181. *Derivatis loquens lepidè irridetur*.181. *Compoſitæ cujus ſint generis: & uſus*. 181. *Ineptæ aliquot*. 182. *Fictæ quales ſint: & cujus uſus*.182. *Tranſlatas: v. de Tropis: & Metaphora. Vocum Catalogus quomodo ad elegantiam fiat*.177.
Vrbanus *dicendi Stylus: v. Argutum.*
Vrbs *quæ generet Vitia*.28.
Vrinatores *aquis ſubnatantes epiſtolas clam deferunt*.499.
Vſus *admirationem adimit; & pretium*.109.116.318. *Vſitatæ res è memoria labuntur*.124.
Vtile *quid ſit*.63.412. *Vtilitas Attentionem facit*. 275. 277. *Vtilis quomodo ſit Doctrina*.442.
Vulgare *quo Vitio ſit Exordium*.291.
Vulgi *opinio quanti ſit facienda*.444.
Vulnera *Chriſti: & Mariæ lac contemplatur D. Auguſtinus*. 112.
Vultus *Oratoris qualis*.256. *Vultu qui deterruerint hoſtes*.421.

X

XIphiæ *piſcis; ejuſque captura deſcribitur*.123.

Z

ZElo *ferveat Sacer Orator*. 429. *Zelans S. Spiridionis Simplicitas*.434.
Zeuſis *mulieris pulchritudinem expreſſurus è quinque electis Virginibus meliora imitatur*.540. *Riſus impetu moritur*.78.

Digitized by Google

Digitized by Google